
NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 08163519 9

STV

ANNALES

ACADEMIAE GRONINGANAE.

ANNALES

ACADEMIAE GRONINGANAE.

ANNALES

ACADEMIAE GRONINGANAE

CIↃIↃCCCXXV–CIↃIↃCCCXXVI.

GABINO DE WAL

RECTORE MAGNIFICO,

HENRICO NIENHUIS

ACTUARIO.



GRONINGAE, APUD
I. OOMKENS,
Academiae Typographum
CIↃIↃCCCXXIX.

I N D E X

EORUM, QUAE HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR.





SERIES LECTIONUM

IN

ANNUM DUCENTESIMUM DECIMUM SECUNDUM

1825—1826,

IN ILLUSTRI ACADEMIA, QUAE GRONINGAE EST, PROPOSITA.



IN FACULTATE THEOLOGICA.

EELCO TINGA, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XI, *Theologiae Christianae partem practicam* tradet; die Lunae, hora XII, *partem theoreticam* repetet; diebus Martis et Mercurii, hora XII, *Sacrorum curandorum, Orationumque sacrarum componendarum et pronunciandarum rationem* exponet; denique die Iovis, hora eadem, *Textus festales*, ut dicuntur, explicabit. De ceteris cum commilitonibus consilium inibit.

ANNAEUS YPEIJ, diebus Lunae et Saturni, hora VIII, *Theologiam naturalem*, diebus vero Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, eadem hora, *Theologiam revelatam*, duce I. VAN VOORST, viro clarissimo, exponet; denique diebus Iovis et Veneris, hora IX, Loca classica, e Novi Testamenti libris depromta, interpretabitur. Ceterum commilitonum in sanctiori disciplina provectiorum commodis adiuvandis faciet satis die horaque posthac significanda.

THEODORUS ADRIANUS CLARISSE, diebus Lunae, Martis, Mercurii, atque Saturni, hora IX, *Historiam Societatis Christianae*, duce Cl. H. MUNTINGHE, enarrabit. Praeterea diebus Lunae, Martis ac Mercurii, hora X, et die Iovis, hora XI, cum *Criticam introductionem in singulos*

Veteris Foederis libros tradet; tum *Iobaeum carmen* philologice ac criticé interpretari perget. Si qui porro sint, qui, sive publice disputando, sive aliis ingenii exercitiis, virium periculum facere cupiant, eorum desideriis lubens obtemperabit.

IN FACULTATE IURIDICA.

SEERPIUS GRATAMA, die Lunae, hora IX, die Martis, hora X, et die Mercurii, hora XI, *Historiam Iuris* tradet; diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX, *Pandectas* exponet; diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Veneris, hora X, *Institutiones Iustinianeas* explicabit; diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora XI, *Ius Naturae* docebit. Disputationum exercitiis, examinibusque scriptionum, a discipulis ad aliquam legem aliumve de iure locum compositarum, horis deinde indicandis, vacabit.

GABINUS DE WAL, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX, *Introductionem in universam Iurisprudentiam*, sive *Encyclopaediam et Methodologiam Iuris* tradet; hora XI, doctrinam *de Criminibus et Poenis* exponet; hora XII, *Ius Publicum* tractabit; denique diebus Mercurii et Iovis, hora X, *Ius Gentium* enarrabit. Disputationibus, si velint commilitones, cum publicis, tum privatis, lubens praeerit.

HENRICUS NIENHUIS, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora matutina VIII et IX, *Ius Civile hodiernum* docebit; *Mercaturae* et *Nautica Iura* tradet diebus Martis et Veneris, hora X, et diebus Mercurii et Iovis, hora meridiana. Disputationibus, tam publicis quam privatis, lubens vacabit.

IN FACULTATE MEDICA.

PETRUS DRIESSEN, Regia licet auctoritate ob aetatem septuagenariam rude donatus, studiosorum tamen commodis, quantum poterit, inserviturus, diebus Iovis hora IX, et Veneris, hora IX et III, *Materiem Medicam* cum *Pharmacia Medica* coniunctam tradet.

EVERARDUS IOANNES THOMASSEN A THUESSINK, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora XI, *Medicinam Practicam* proprio sibi

ordine explicabit. Diebus Mercurii et Saturni, hora XI, de *Medicina Forensi et Politica* aget. Denique in Nosocomio Academico, hora XII, singulis diebus ad aegrotantium lectulos ad ipsam *praxin clinicam* exercendam aptos reddere tirones medicos conabitur.

GERBRANDUS BAKKER, diebus Lunae hora VIII et IX, Martis et Mercurii hora VIII, *Physiologiam* docebit; *Sceleti* et *ossium structuram* explicabit die Martis et Mercurii, hora IX; additâ, tempore hiberno, *demonstratione anatomica Corporis Humani universi*, quinquies vel sexies hebdomade, hora post meridiem V.

SIBRANDUS ELZO STRATINGH, diebus Mercurii, hora IX, Lunae et Veneris, hora X, *Pathologiam*, diebus Mercurii et Saturni, hora X, *Diaeteticam*, et diebus ac horis, posthac significandis, *Therapiam generalem* et *Semioticam* tradere constituit. Singulis etiam diebus in Nosocomio Academico aegrotis curandis vacabit, morbosque tractatos Medicinae studiosis subinde de industria paulo uberius exponet. Qui disputando vires suas periclitari velint, illorum desideriis lubens obtemperabit.

PETRUS HENDRIKSZ, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora VIII, *Chirurgiam* tractabit, singulisque diebus, hora media prima, in Nosocomio Chirurgico *Praxin Chirurgicam* ad lectos aegrotantium docebit. Die Iovis, hora post meridiem IV, *fasciarum applicationem* ita exponet, ut discipuli hac in re se exerceant. *Artem obstetriciam* diebus Martis, Mercurii et Saturni, hora IX, explicabit, et institutionibus clinicis in Nosocomio habendis vacabit.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

PETRUS DRIESSEN, diebus Veneris et Saturni, hora II, *Botanices* et *Physiologiae Plantarum Elementa* exponet. Chemiae quoque Technicae praecipua capita in ipsis Artificum officinis explicabit.

THEODORUS VAN SWINDEREN, diebus Lunae et Mercurii, hora VIII, *Historiam Naturalem Animalium* et *Fossilium*, et *Animalium*, cum *Anatome comparata* coniunctam, docebit; diebus Lunae et Martis, hora III, hoc anno, *Historiam Naturalem Avium* fusius explicabit; die Saturni,

hora VIII et XII, *Oeconomiam Politicam* exponet; die Martis, hora VIII, *Encyclopaediam Philosophiae naturalis* tradet, cui praemittet praecepta *Hodegetica* five *de studii ratione recte instituenda;* denique altera quavis hebdomade die Mercurii, hora III, *disputationum exercitiis* vacare perget.

SEERPIUS BROUWER, diebus Iovis hora XII et pomeridiana III, diebus Veneris et Saturni hora XII, *Geometriam* et *Trigonometriam* demonstrabit; diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora IX, *Physicam Experimentalem* et *Mathematicam* praecipue quoque *Hydrodynamices disciplinam*, docebit; *Astronomiam Mathematicam* et *Physicam*, *rei Nauticae* habita ratione, tradet diebus Mercurii et Saturni hora X; *Mathesin Sublimiorem* exponet horis auditoribus commodis.

SIBRANDUS STRATINGH, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora II, lectiones habebit *de Chemia generali et applicata*, et prae ceteris Chemiam animalem fusius tractabit et experimentis illustrabit. Diebus Mercurii, hora III, et Iovis, hora II, *Chemiam Pharmaceuticam*, Pharmacopoeae Belgicae accommodatam, practice tradet. Si qui porro fint, qui *Exercitiis Practicis Chemicis* operam dare velint, aut magis de industria in *Analysibus Chemicis* vel *Reagentium praxi* sese exercere cupiant, eorum desideriis lubens obtemperabit.

Lectiones de *Oeconomia Rurali* habebuntur horis dein indicandis.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

CORNELIUS DE WAAL, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XII, *Metaphysicam* tradet; hora IX, aut alia auditoribus commoda, *Philosophiae Moralis* partem alteram, id est *Ethicam;* hora XI, *Logicam* exponet; hora X, *Historiam Philosophiae* enarrabit. Ceterum, si fint, qui *Theologiam naturalem* tradi fibi cupiant, de his cum discipulis consilium inibit.

IOANNES RUDOLPHUS VAN EERDE, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora ante meridiem IX, et die Lunae, post meridiem, hora II, *Histo-*

riam Universalem; iisdem diebus, hora ante meridiem VIII, *Historiam Belgii*, et, hora X, *Antiquitates Romanas* exponet. Denique, horis auditoribus commodis, ter per hebdomadem, *Historiam populorum Europae recentiorum, foederibus illustratam*, duce MARTENSIO, enarrabit. Disputationum exercitiis lubens vacabit.

GERARDUS WOLTERS, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora matutina VIII, *Antiquitates Hebraeas* exponet; hora ante meridiem IX, *librum secundum Samuelis* analytice explicabit; hora X, *Literaturam Orientalem* tradet; hora XII, *Grammaticam Hebraeam* interpretabitur.

IANUS TEN BRINK, diebus Iovis, Veneris et Saturni, lectiones suas habebit; nempe, hora X, *Latinas*, quibus nonnullos CICERONIS libros explicabit, initio facto a libellis *de senectute* et *de amicitia; Graecas*, hora XI, quibus XENOPHONTIS *Memorabilia Socratica* tractabit. *Antiquitates Graecas*, duce Cl. BOSIO, exponet eorumdem dierum hora XII. Si qui sint, qui aliquem Graecum et Latinum scriptorem difficiliorem sibi exponi cupiant, iis operam dabit quater per hebdomadem, hora auditoribus commoda. Denique disputandi scribendique exercitiis praeesse perget.

BARTHOLDUS HENRICUS LULOFS, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XII, secundum manuductionem, quam edidit, *Fundamenta stili bene Belgici* exponet, *eaque, quae ad scientiam praestantiae, originis, indolis ac Grammatices totius linguae Belgicae et literarum Belgicarum pertinent*, additis inprimis *recte Belgice scribendi exercitationibus*. — Iisdem diebus, hora V post meridiem, alterum suum compendium secuturus, fusius *Rhetoricam Belgicam*, sive *generaliora Eloquentiae* ac simul *Poëseos Belgicae praecepta* tradet, *exemplis illustrata*, et adiunctis Exercitiis, quae Oratoris actioni, sive vocis et gestuum moderationi, inserviant. Reliquis studiosorum desideriis lubens obtemperabit.



Disputationes publicae per omnes Facultates instituentur diebus Mercurii et Saturni, *ab hora matutina undecima ad primam, aut a secunda ad quartam.*

Bibliotheca Academica, diebus Lunae, Mercurii et Saturni, *a* IX ad I, *et*

diebus Iovis *et* Veneris, *ab hora* II ad IV, *ſtudioſis aliisque literarum amantibus patebit, iis legibus, quae in aditu ipsius Bibliothecae publice affixae ſunt.*

Muſeum Hiſtoriae Naturalis patebit die Mercurii *ab hora* XII ad I, *et ab hora* II ad IV.

Peregrinarum linguarum, nominatim Anglicae, Germanicae, Italicae et Gallicae, cupidi ſuos hic reperient Praeceptores, publica auctoritate ad id conſtitutos, ut civibus noſtris inſerviant; uti etiam illi, qui artibus gymnaſticis cuiuscunque generis corpora ſua formare ac ſe erudire geſtiunt, et qui Equitandi ac Pingendi arte inſtrui cupiunt, ſuis non deſtituuntur Magiſtris.

LECTIONES

HABITAE

IN

ATHENAEO FRISIACO,

ANNO UNDECIMO,

(1825—1826.)

RECTORE MAGNIFICO

NICOLAO MULDER.

EV. WASSENBERGH, in Academia quondam Frisiaca, linguae Graecae, Antiq. Graec., linguaeque Belgicae Professor ord., nunc emeritus, *Euangelium Marci* quater per hebdomadem explicuit. Examina vero instituit ad eiusdem *Euangelii* Capita XIV, XV, XVI. Bis etiam *Xenophontis Memorabilia* exposuit. Praeterea selecta quaedam Carmina Belgica, tum Grammatice, cum poëtice, illustravit.

NIC. MULDER, Chem., Pharm. et Bot. Professor, *Chemiam* quater per hebdomadem exposuit; tempore hiberno bis *Anatomiam et Physiologiam Vegetabilium* illustravit, additâ, tempore verno, quater *Botanicâ terminologicâ et Systematicâ:* bis itidem *Pathologiam* tradidit.

I. G. ERMERINS, Physices, Matheseos, etc. Prof. *Elementa Geometriae* quater docuit; quater itidem *Physicam generalem et experimentalem; Logicam* vero bis exposuit.

I. G. DE CRANE, I. U. D. Litt. Hum. et Hist. Prof., singulis septimanis quater exposuit *Historiam universalem*, ter itidem enarravit *Antiquitatis Ro-*

manae disciplinam, tum et *Ciceronis de senectute* dialogum interpretatus est.

I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, L.L. O.O. Professor, *Lectiones analyticas* V. T. quater quavis hebdomade tradidit; quater itidem *Antiquitatem hebraicam*.

B. R. DE GEER, Theol. Dr. et Professor, *Historiam Ecclesiae Christianae* quater quavis hebdomade docuit; bis itidem *Lectiones Hermeneuticas* tradidit.

I. H. PHILIPSE, Iur. Prof., *Ius Naturae*, duce HOEPFNERO, quavis hebdomade bis tractavit; *Institutiones Iuris Romani Iustinianeas*, duce WESTENBERGIO, quinquies, *Pandectas*, eodem duce, sexies interpretatus est; ter itidem *Historiam Iuris Romani*, duce BACHIO, enarravit.

S. ENS, M. D. Anat. et Physiol. Prof., bis quavis hebdomade *sceleti humani et ossium structuram* explicavit; bis itidem *Artem obstetriciam* tractavit; *Operationes* vero *chirurgicas*, *Praxin medicam* atque *Physiologiam* C. H. quater tradidit. Hiberno denique tempore lectiones suas *demonstrationibus anatomicis* in cadaveribus illustravit, *methodum secandi* quotidie docens.

ORDO LECTIONUM,

ALIARUMQUE EXERCITATIONUM ACADEMICARUM,

QUAS IN ILLUSTRI

DAVENTRIAE

ATHENAEO,

A. D. XX SEPTEMBRIS A. MDCCCXXV. USQUE AD FERIAS AESTIVAS A. MDCCCXXVI.

FAVENTE SUMMO NUMINE, HABEBUNT

CLARISSIMI PROFESSORES.



PETRUS BOSSCHA, Philos. Theor. Mag. Liter. Hum. et Iuris Doct. Hist. Antiq. Eloq. et Ling. Graec. Professor, h. t. Rector Magnif. *Historiam Universalem* tradet diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris hora XI. iisdem diebus hora X *Antiquitates Romanas* explicabit. Diebus Martis, Iovis et Veneris hora IX *Iliados Homericae* libros III. IV. V et VI. interpretabitur. Provectioribus Tragicorum aliquam fabulam tractandam proponet hora commoda. In Latinis literis exponet *Terentii Heautontimorumenon* et *Ciceronis Orationem pro Roscio Amerino* diebus Lunae et Mercurii hora IX. Veneris hora post meridiem II. Praeterea, si iustus sit auditorum numerus, diebus Martis et Iovis hora commoda lectiones instituet aut de *Historia Literaria* aut de *Historia Patriae.*

CORNELIUS FRANSEN VAN ECK, Theol. Doctor, eiusdemque et literarum Belgicarum Professor, diebus Lunae et Martis, horâ post meridiem tertiâ, *Euangelium Lucae* interpretabitur. Eâdem horâ, diebus Iovis et Veneris, *Historiam Religionis et Ecclesiae Christianae*, duce MUNTINGHIO,

enarrabit. Diebus autem Lunae, Martis et Iovis, horâ meridianâ, *praecepta et exempla eloquentiae et Poëſeos Belgicae* tradet. Praeterea eloquentiae exterioris exercitiis vacabit, tempore auditoribus commodo.

IACOBUS VERBURG, Theol. Doctor, Lingg. Orient. et Antiq. Hebr. Profesſor, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, horâ XI, *initia linguae Hebraeae* tradet. Iisdem diebus, horâ X, *de Antiquitate Hebraeâ* lectiones habebit. Praeterea, diebus horisque auditoribus commodis, vel Syriacae et Chaldaicae, vel Arabicae linguae inſtitutionem dabit; provectioribus etiam discipulis ad penitiorem monumentorum Hebraeorum cognitionem aditum patefaciet, tractandis varii ſtyli ſpeciminibus.

HENRICUS COCK, Iur. Rom. et Hodiern. Dr. Iur. Profesſor Ordinarius, *Pandectas* exponet diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris hora IX. *Inſtitutiones Iustineaneas* iisdem diebus hora X; *Encyclopediam Iuris* diebus Martis et Veneris hora XI. Repetitionem inſtituet Pandectarum die Martis hora post meridiem III, Inſtitutionum eadem die hora post meridiem II. Praeterea, ſi iuſtus ſit auditorum numerus, horâ ipsis ſibique commoda, Hiſtoriam Iuris Romani, vel Iuris Naturalis tradet initia.

IACOBUS ABRAHAMUS DOMPELING, Math. Phyſ. et Phil. Theor. Profesſor, *Matheſeos elementa*, *Geometriam* ſcilicet et *Algebram*, docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, horâ matutinâ VIII. *Goniometriam* vero, *Trigonometriam rectilineam* et *ſphaericam*, nec non *curvarum theoriam* explicabit diebus et horis auditoribus commodis. *Phyſicam*, *experimentis illuſtratam*, exponet diebus Mercurii et Veneris horâ meridianâ. *Logicam* tradet diebus Lunae et Iovis horâ X. Collocutionibus philoſophicis, praeſertim de Logices praeceptis, vacabit alternis hebdomadibus, die Mercurii horis veſpertinis a VII ad IX. *Hiſtoriam Philoſophiae* tradet diebus et horis auditoribus commodis. Ceterum eorum deſideriis, qui vel Matheſeos vel Philoſophiae Theoreticae ſublimioribus partibus, ipso praeëunte, operam dare ſtudent, lubens ſatisfaciet.

I. ANRAAD, Lector Anatom. Chirurg. et Art. Obſt. Lectiones ſuas Obſtetrit. habebit die Lunae et Veneris post Meridiem ab horâ II ad III.


IOHANNES PETRUS AREND, Linguar. German. et Anglic. Lector, *Initia Linguae Germanicae* docebit diebus Lunae, Mercurii et Veneris, horâ post meridiem III. Eâdem horâ diebus Martis et Iovis, die Saturni autem

horâ X, *Initia linguae Anglicae* tradet. In Germanicis literis exponet KLOPSTOCK, *der Messias*, diebus Lunae et Veneris horâ post meridiem IV; die Saturni horâ XI, ABT, *vom Verdienste*. Explicabit in Anglicis Literis, diebus Martis et Iovis, horâ post meridiem IV, MILTON, *Paradise lost*; et die Saturni horâ matutinâ VIII, GOLDSMITH, *Vicar of Wakefield*.

Praeterea, si iustus sit auditorum numerus, hora ipsis commoda, Historiam Literariam Germanorum et Anglorum tradet; vel docebit Initia linguarum Italicae et Hispanicae.

I U D I C I A

ORDINUM UNIVERSITATIS GRONINGANAE, DE COMMENTATIONIBUS AD QUAESTIONES, ANNO CIƆIƆCCCXXV PROPOSITAS.



IUDICIUM ORDINIS IURIDICI.

Ad quaeſtionem propoſitam *de poena ſtigmatis*, *de eius origine atque uſu apud diverſos populos*, *deque eius meritis ſecundum praecipuos iuris criminalis ſcriptores*, unam accepit ordo commentationem, inſcriptam dicto Terentiano: *Quidquid praeter ſpem eveniet*, *omne id deputabo eſſe in lucro.*

In hac reſponſione Auctor primum poenae ſtigmatis originem, eiusque uſum apud diverſos populos antiquos et recentiores iuſto ordine explicuit; dein praecipuorum iuris criminalis ſcriptorum, cum eorum, qui hanc poenam vel generatim vel ad certum modum probant, tum eorum, qui illam vel omnino non, vel in nonnullis tantum caſibus determinatis admittendam eſſe exiſtimant, ſententias, et argumenta in utramque partem prolata accurate expoſuit. In quibus omnibus, ſive materiae distributionem, ſive orationis munditiam et perſpicuitatem, ſive tandem teſtimoniorum, quibus Auctor argumenta ſua confirmavit, ubertatem ſpectes, adhibitae diligentiae talia dedit ſpecimina, ut nullus dubitaverit Ordo hancce commentationem praemio dignam iudicare.

Reſignata ſchedula, innotuit nomen CAMPEGII HERMANNI GOCKINGA, *Groningani*, *Iuris utriusque Candidati in Academia Groningana* (nunc vero Iuris Romani et Hodierni Doctoris); in quem, postquam, examine inſtituto, ſe huius commentationis auctorem abunde probaſſet, propoſitos honores conferendos Ordo decrevit.

H. NIENHUIS,
Ord. Iurid. ab actis.

IUDICIUM FACULTATIS MEDICAE.

Ad quaeſtionem, quae *de diverticulo in inteſtino tenui brutorum non raro, hominis minus frequenter obvio* erat propoſita, unam tantum commentationem accepit Facultas Medica, quae ſymbolum adſcriptum habebat: *ſi non nova, dummodo vera.*

Quae commentatio, quamvis cum aliis comparari non potuerit, permultis praeſtantiae dotibus ſeſe commendavit.

Poſtquam enim auctor ſcriptionis ſuae partes ſingulas accurate diſtinxiſſet, id laude dignum cenſet Facultas, eas ita eſſe pertractatas, ut concinno ordine ad unum diſputationis finem ducant omnes.

Verum illud Facultati praeſertim placuit, in ſingulis illis partibus tam multa inveniri, quae probant, huius ſcriptionis auctori obſervationis diligentiae, iudicii ſubtilitatis, et refutationis, ſi quando opus erat, ſagacitatis laudem omnino competere; dum ſimul, ut eo melius ſententia, quam profitetur, intelligi poſſet, tabulam bene pictam addidit, in qua partium, de quibus ſermo inſtituitur, ſubtilis conformatio ex voto proponitur.

Quae cum ita ſint, aureo praemio condecorandam eſſe hanc commentationem cenſuit Facultas. Quum vero ſchedula eſſet aperta et examen legitime inſtitutum, ſcriptorem eſſe conſtitit iuvenem praeſtantiſſimum MENTONEM ANTONIUM HENDRIKSZ, *Medicinae in Academia Groningana Candidatum.*

S. E. STRATINGH,
Facultati Med. ab actis.

Ordini disciplinarum Mathematicarum et Phyſicarum ad quaeſtiones propoſitas nulla oblata eſt commentatio.

H. C. VAN HALL,
Ord. ab actis.

Ordo Philoſophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum ad quaeſtionem propoſitam nullum accepit reſponſum.

B. H. LULOFS,
Ord. ab actis.

IUDICIUM FACULTATIS THEOLOGICAE.

Facultas Theologica ad quaeſtionem, anno praecedenti propoſitam, duas accepit reſponſiones, quarum altera inſcripta erat: *Haec decies repetita placebit.* HORATIUS; altera: *Ut deſint vires, tamen est laudanda voluntas;* de quibus commentationibus ſic iudicavit Facultas: utrasque auctorum doctrinam, diligentiam et ſcribendi facultatem ſatis manifeſto oſtendere, priorem vero ob accuratiorem ipsius propoſiti argumenti expoſitionem, digniorem eſſe, quae praemio ornetur, etſi nonnulla capita copioſius poſterioris auctor pertractaverit. Quae cum igitur, ſi ſola Facultati oblata fuisſet, praemium procul dubio reportasſet, decretum est, publice auctoris honorificam facere mentionem. Reſignata ſchedula priori commentationi adiuncta, ſcriptoris nomen lectum est: ANTONIUS HENRICUS PAREAU, *in Acad. Ultraiectina Theologiae Studioſus*, qui et, inſtituto examine, Facultati ſatisſecit. Poſterioris vero auctorem ſe profesſus est WIBRANDUS VERWEY, *Theologiae in hac Acad. ſtudioſus.*

T. A. CLARISSE,
Fac. Theol. ab act.

P R O G R A M M A

NOVI CERTAMINIS LITERARII

A RECTORE ET SENATU UNIVERSITATIS GRONINGANAE

INDICTI

D. XXIV OCTOBRIS

CIↃIↃCCCXXVI.



Ex decreto Regis Augustissimi, Academiarum civibus et Athenaeorum alumnis in nostra patria a singulis Ordinibus Academicis quaestiones proponuntur sequentes:

AB ORDINE IURIDICO QUAERITUR:

Historia iurium, ad mercaturam pertinentium, quae apud veteres ac recentiores populos, commerciorum studio insignes, fuerunt recepta.

AB ORDINE MEDICORUM QUAERITUR:

Quid praestiterunt cum veteres tum recentiores Medici ad systematis arteriosi pathologiam stabiliendam?

AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM QUAERITUR:

1.

Describatur Osſium animalium, *tam recentiorum, quam aëri, humiditati aliisque iniuriis diu expoſitorum, ut et horum osſium in carbonem, ita dictum, animalem converſorum, nec non ad cineres redactorum ſuccincta hiſtoria, praeparatio, indoles atque varius uſus chemicus, technicus et oeconomicus.*

2.

Quid hactenus ex plantarum Phyſiologia de forma, directione, ſtructura et functione radicum innotuerit, et quaenam ſint phaenomena, in oeconomia rurali obſervata, quae ex hac cognitione utiliter explicari posſint?

AB ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM QUAERITUR:

Enarrentur Heraclidarum incurſiones in Peloponneſum, earumque cauſae et effectus exponantur.

AB ORDINE THEOLOGICO QUAERITUR:

Num ex formula ὁ υἱὸς τῦ Θεῦ, quae in ſacro N. F. codice pasſim est obvia, comprobari posſit divina IESU CHRISTI *natura?*

Reſponſa oratione Latina, manu aliena, ſatis nitide ſcripta, et ante diem 1 Augusti 1827, Auctorum ſumtibus, mittuntor ad Virum Clarisſimum, qui

Senatui Academico erit ab actis, obſervatis iis; quae leguntur Art. 210 Decreti Regii, 2 Aug. 1815, N°. 14.

Victoribus in honeſtiſſimo hoc certamine praemia distribuentur die Iovis, 11 menſis Octobris anni 1827, quo novus Rector munus ſuum est auſpicaturus.

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM

IN

ACADEMIA GRONINGANA

DEFENSARUM.



1825.

29 Octobris. JOSUAE WIENTJES VAN UILDRIKS, Winſchota-Oldambtini, Diſſertatio Medica Inauguralis, ſiſtens *Conſiderationem Diaeteticam alimentorum*, pro gradu Doctoris Medicinae, in Curia Academica defenſa.

28 Novembris. CHRISTOPHORI CAROLI RÖMER, Curaſſoa-Americani, Disputatio Iuridica Inauguralis *varii argumenti*, pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni, in Curia Academica defenſa.

14 Decembris. PETRI LAMBERTI DE GAVERE, Groningani, Specimen Iuridicum Inaugurale, *de eo, an iniuria, volenti facta, poenis ſit coercenda*, pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni, in Choro Templi Academici defenſum.

1826.

8 Martii. **GERARDI HENRICI SIMON**, Amstelaedamensis, Dissertatio Medica Inauguralis, *de noxis, quae ex usu cibi animalis male constituti cum hominibus communicari possunt*, pro gradu Doctoris Medicinae, in Curia Academica defensa.

19 Aprilis. **CAMPEGII HERMANNI GOCKINGA**, Groningani, Dissertatio Iuridica Inauguralis, *de doctrinae Iuris Criminalis incrementis, inde a saeculo duodevigesimo, media iam parte elapso*, pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni, in Choro Templi Academici defensa.

Promotiones CUM vel SINE adiecto *laudis* testimonio, ex Decreto Regio d. d. XIV Martii anni CIƆIƆCCCXXVI.

26 Aprilis. **ADRIANI WALRAVEN ENGELEN**, Gelri, Specimen Iuridicum Inaugurale, sistens *selecta de Decemviris eorumque legibus*, pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni, in Curia Academica defensum, cum laude.

29 Aprilis. **THEODORI VAN GESSELER**, Groningani, Dissertatio Iuridica Inauguralis, *de Delictis et Quasi-delictis ex Iure Hodierno*, pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni, in Choro Templi Academici defensa, cum laude.

27 Maii. **HUGONIS CHRISTIANI CARSTEN**, Hoogeveena-Drenthini, Dissertatio Iuridica Inauguralis, *de Inventario secundum Ius Hodiernum*, pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni, in Curia Academica defensa.

31 Maii. **CORNELII SLEESWYK VENING**, Lemmera-Frisii, Disputatio Iuridica Inauguralis, qua exponuntur *diversae de Fine Poenarum sententiae*, pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni, in Curia Academica defensa, magna cum laude.

5 Iunii. **PAULI HENRICI JACOBI VAN WASSENAER**, Noviomago-Gelri, Disputatio Iuridica Inauguralis, *de Emancipatione*, pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni, in Curia Academica defensa; cum laude.

1826.

7 Iunii.	DIDERICI DE VRIES REILINGH, Groningani, Dissertatio Medica Inauguralis, *de Artemisia Vulgari, nostra aetate potissimum in Epilepsia laudata*, pro gradu Doctoris Medicinae, in Auditorio Literario defensa, cum laude.
14 Iunii.	ALBARTI TELTING, Franequera-Frisii, Disputatio Iuridica Inaugurale, *de Iuribus nondum natorum*, pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni, in Choro Templi Academici defensa, magna cum laude.
Eodem die.	MARTINI POPTA, S. F. Harlinga-Frisii, Disquisitio Anatomico-Physiologica Inauguralis, *de Functione Renum*, pro gradu Doctoris Medicinae, in Curia Academica defensa.
17 Iunii.	FRANCISCI CAROLI THEODORI VAN RANDWYCK, Noviomago-Gelri, Specimen Iuridicum Inaugurale, continens *vitas ICtorum Romanorum Quinti Mucii Scaevolae et Publii Rutilii Rufi*, pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni, in Curia Academica defensum.
Eodem die.	ADOLPHI YPEIJ, Leovardia-Frisii, Disputatio Iuridica Inauguralis, *de Praescriptione Criminum ac Poenarum*, pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni, in Curia Academica defensa, cum laude.
Eodem die.	GEORGII JANI SPANDAW, Groningani, Disputatio Iuridica Inauguralis, *de Statu Personae, maiorennibus Iure Gallico tributo, post promulgatum novum Codicem Belgicum non tollendo, sed lege transitoria ipsis confirmando*, pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni, in Choro Templi Academici defensa, cum laude.
29 Novembris.	PETRI HOFSTEDE DE GROOT, Groningani, V. D. M. designati *Ulrumi*, in vico agri Groningani, Disputatio *de Clemente Alexandrino, Philosopho Christiano: sive de vi, quam Philosophia Graeca, imprimis Platonica, habuit ad Clementem Alexandrinum religionis Christianae Doctorem informandum*, pro gradu Doctoris Theologiae, in Auditorio Literario defensa, magna cum laude.

1826.

13 Decembris. CLAUDII HENRICI VAN HERWERDEN, Zutphaniensis, V. D. M. designati *Hontenissae* in vico agri Zeelandici, Disputatio *de libro Iosuae, sive de diversis ex quibus constat Iosuae liber monumentis, deque aetate, qua eorum vixerunt Auctores*, pro gradu Doctoris Theologiae, in Auditorio Literario defensa, magna cum laude.

THEODORI ADRIANI CLARISSE

ORATIO,

DE

NOSTRORUM TEMPORUM AD RITE EXCOLENDAM THEOLOGIAM OPPORTUNITATE,

HABITA D. III NOVEMBRIS MDCCCXXV,

CUM ORDINARIAM THEOLOGIAE IN ACADEMIA GRONINGANA PROFESSIONEM SOLENNI RITU CAPESSERET.

ACADEMIAE GRONINGANAE REBUS CURANDIS QUINQUEVIRI ILLUSTRISSIMI, SPECTATISSIMI!

QUI CURATORUM AMPLISSIMO HUIC COLLEGIO A TABULIS ES, VIR GRAVISSIME!

MAGNIFICE RECTOR, CETERIQUE ARTIUM QUARUMCUMQUE AC DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!

CUIUSCUMQUE LOCI ATQUE ORDINIS AUDITORES, CIVES, HOSPITES, SUA QUISQUE DIGNITATE CONSPICUI!

TU DENIQUE, LECTISSIMA IUVENUM CORONA, ACADEMIAE ORNAMENTUM, PARENTUM DECUS, NOSTRA CURA, NOSTRAEQUE DELICIAE!

Quibuscumque vel novi muneris auſpicandi vel ſolennis diei celebrandi cauſa, publice, eruditorum adſtante frequentia, verba faciendi obtigerit provincia, eorum omnium in ancipiti loco poſita eſſe ſolet fortuna. Nam et ipsius, in quem eſcenderint, loci, politisſimorum virorum elegantiis asſueti leporibusque, dicentes percellit auguſtisſima veluti maieſtas, et eorum auditorum exoranda est benivolentia, quorum iudicium ac perſpicaciam nullis artibus ſub-

terfugere aut circumvenire posſint. Accedit, quod cum plurimarum quidem artium peritia *vel* ex ſingulari quadam ingenii felicitate, *vel* ex iudicii multifaria exercitatione ſubacti maturitate, *vel* ex praeclara multarum earumque gravisſimarum rerum cognitione manare ſoleat et redundare, ad hanc bene dicendi facultatem pervenire nemo posſit, niſi in quo perfecta reperiatur omnium, quotquot cenſentur, animi virium coniunctio et quaſi conſummatio. Quam pulcherrimae rei difficultatem tantam exiſtimasſe vel principes in eloquentia viros accepimus, ut numquam ſine ingenti animi commotione ad dicendum accedere ſolerent. Quod ſi hoc illis acciderit, quid ab aliis exſpectare fas erit, qui ſuae ſibi mediocritatis conſcii, eorum ſe quidem exemplum ſequi cupere, praeſtantiam vero asſequi nullo modo posſe, profitentur?

Sed in communi hoc omnium discrimine, ſingulorum tamen eadem non est conditio. Nam multae, quae ad humanitatem pertinent, disciplinae ita ſunt comparatae, ut, qui eas profitentur, ſi vel ex abſconditis earum recesſibus ac penetralibus ſua depromant verbisque amplificent, ipsa tamen materiae vel gravitate vel ſuavitate audientiam ſibi faciant, pariantque favorem. Quotus enim quisque est paulo humanior, qui philoſopho, de rerum natura, de providentia divina, de mentis humanae immortalitate aliisve de rebus gravisſimis docte disputanti aures non praebeat attentos? Quem erectioris ingenii virum umquam capere poterit taedium, ubi de hiſtoria, de poeſi, de ipſa hac eloquentia perſpicue et ad perſuadendum accommodate dicentes audiat harum artium peritos. His igitur, in ipsis, quas tractant, rebus, praeſens adest auxilium atque adiumentum.

Sed aliorum longe diverſa est ratio, ad quorum numerum haud ſcio, an ipsi Theologi una cum Iurisconſultis et Medicis ſint referendi. Etenim, leges quidem, quibus ſingulae civitates ſingulis temporibus uſae ſunt, accurate tenere, et omnia, quae ad rem publicam recte adminiſtrandam pertineant, probe perſpicere; cauſasque, unde corporis humani bona pendeat valetudo, videre, affectis vero aegrotisque eius membris ſalutarem adhibere posſe medicinam, magnificum quid et plane divinum plerique homines exiſtimant, ipsi vero a ſuis ſtudiis harum rerum peritiam alienam et remotiorem putant; quo fit, ut, ſi vel aliquis harum disciplinarum principatum teneat, ubi paulo ſubtilius et diligentius de ea dicere inſtituat, a paucisſimis in eodem ſtudiorum genere verſantibus ſoleat audiri. — Similiter etiam Theologiam, quamquam res, in quibus exponen-

dis versatur, non modo gravissimae sunt, sed cum iis quoque omnibus, quae cuique homini cordi esse debent, tam arcto vinculo coniunctae, ut sine periculo earum ne ignarus quidem esse possit; — tamen ipsam illam disciplinam tot spinis sentibusque obsitam esse vulgo suspicantur, ut, qui eius vim et auctoritatem perspectam non habent, penitus ab ea abhorreant, et a nostri seculi luce atque elegantia eiusmodi salebrosam horridamque disciplinam prorsus alienam putent. Nam etiamsi oracula divina, quod ad praecipua doctrinae capita attinet, ita perspicua sunt, ut vel de plebe homines eorum vim ad animum emendandum, erigendum, illustrandum sentire possint, haud pauca tamen in iis inveniuntur, quae vel per suam naturam vel per male sedulam hominum diligentiam usque adeo sunt obscurata atque corrupta, ut non sine diligenti copiosaque eruditione illustrari aut restitui queant. Praeterea in erroribus multimodis, foedissimisque opinionum monstris cognoscendis, diiudicandis, refutandis sic occupati esse solent Theologi, ut ea in re disciplinae caput atque arcem positam esse existimes. Has vero disceptationes, utilitatis quidem et ponderis multum, dulcedinis vero aut voluptatis parum habentes, si quis coram permista in diverso doctrinae genere versantium eruditorum multitudine agitare, iisque tanquam fercula exquisitiora apponere velit, is profecto importunus et intempestivus, ne dicam ineptus ridiculusque, et erit et ab omnibus cordatioribus habebitur.

Quibus omnibus saepenumero perpensis, eiusmodi materiam mihi, coram vobis, AA. HH.! hac hora dicturo, eligendam duxi, quae et ab omnibus difficilioribus quaestionibus esset remota, et simul fortasse ad vanam istam nullisque fundamentis superstructam, eorum, qui hisce maxime diebus Theologiae studium contemnendum esse existiment, suspicionem confutandam aliquid conferre posset. Dicam igitur de *nostrorum temporum ad rite excolendam Theologiam opportunitate*. Vos vero A. A., ut ea, quam non semel sum expertus, benevolentia et favore mediocritati meae subveniatis, meumque timorem sublevetis, rogo, obsecro.



Opportunitas temporum; — ut ab ipsius rei, quam defendendam suscepi, explicatione initium fiat; *temporum* igitur ad aliquam disciplinam excolendam

opportunitas duplici dicitur significatione. Eiusmodi enim indicat temporum rationem, quae et huic illive disciplinae multiplicem praebeat occasionem, ad locum suum suamque dignitatem tuendam; et ipsi praeterea eam adiumentorum ac subsidiorum afferat affluentiam, in qua laeta florere, caputque efferre possit.

Ubi vero duplicem hanc nostris temporibus Theologiae esse felicitatem contendo, complures a me dissentire, nec tamen omnes iisdem de caussis dissentire video. Nam alii molliores ac delicatuli homines, a nostrae huius aetatis morum elegantia, studiorumque, quae hodie maxime vigent, venusta- te, Theologiam tanquam severioris frontis magistram nimis longo intervallo disiunctam esse clamitant, quam ut, qui inter politos cultosque viros censeri cupiat, eam amplecti aut velit aut adeo possit. Alii contra morosi, queruli, asperi, ipsam quidem Theologiam omni veneratione prosequendam ducunt, sed plerorumque nunc maxime ingenia leviora esse, quam ut ulla gravioris momenti disciplina, nedum sanctissima haec simulque difficillima Theologia, magnopere iis placere, aut pro dignitate ab iis excoli possit.

Duplex eapropter struenda nobis erit acies. Primum ostendendum, eam horum temporum esse conditionem, cuius qui rationem habeat, iis praesertim virtutibus operam dandam censeat, quibus ad severiores quasque disciplinas, ipsamque Theologiam, probabiliter excolendam aptus reddatur atque idoneus; deinde vero declarandum, quantum adiumenti studiorum instituendorum, quae nostra memoria plerisque placere incepit, ratio Theologis praestet ad provinciam sibi demandatam et tuendam et exornandam.

Prius igitur certamen ineundum mihi est cum iis, qui, cum elegantiores esse volunt et festivi, Theologiam tanquam tristem severamque disciplinam spernunt; a quibus ego sciscitor, quibus tandem rationibus adducti, sic sibi persuaserint, nostra tempora levibus ludicrisque studiis magis quam gravioribus seriisque disciplinis favere? Ut dicam, quod sentio, A. A! videntur mihi isti homines, quae vivunt, temporum rationem ex sua ipsorum metiri, quaeque sibi placeant aequalibus quoque accepta esse omnibus, quae ipsi respuant eadem pariter omnibus contemtui esse, opinari. Cum tamen nos in ea versemur sententia, nihil opinionibus concedendum, sed certae veritatis persuasioni animo informandae studendum esse, non possumus, quin longe aliter de universa illa quaestione iudicandum existimemus; nec dubitamus affirmare, eas

virtutes a praesenti rerum conditione doceri et quasi inculcari, quibus qui pectus munitum habeat, is demum rite Theologiam sit exculturus.

Nam, ut ab eo, quod rei caput censendum est, initium sumamus, quid cum Theologi munere ita coniunctum est, ac Dei reverentia, Christique ac Christianae doctrinae amor? Profecto uti religionis expers homo vix dicendus est, sic Theologus omnino cogitari nequit. Quis, quaeso, summi Numinis infinitam potentiam, stupendam sapientiam, bonitatem incomparabilem, admiranda consilia, opera ineffabilia cognoscat atque intelligat, nedum aliis tradat explicetve, qui ipse summa illa Dei perfectione non commoveatur, Dei consilia non veneretur, Dei opera non suspiciat? Quis ad colendum Deum Eique obediendum alios inflammare poterit, cui pectus est omnis Dei reverentiae vacuum? Quis religionis Christianae vim et praestantiam aliis ostendat, quam ipse non sentiat, de cuius ipse praestantia sibi non persuaserit. Quorsum vero haec disputo? Nempe eo, ut intelligatis, eiusmodi tempora, quibus plerique religioni et Christianae sunt infensiores, excolendae Theologiae non maximopere favere, ubi vero Deo divinisque oraculis suus constet honos, ibi et florere Theologiam. Nostis A. A., quae, superiori seculo exeunte, illum imprimis populum, quo nullus alius maiori bonarum literarum amore flagrare putabatur, transversum rapuerit vertigo, utque omnia religionis pietatisque in Deum hominesque, quin et ipsius humanitatis vincula confregerit. Nostis ut hoc malum morbo pestifero simile per universam Europam sese propagaverit, qualemque ad ipsam Theologiam pervertendam habuerit vim, ita ut, quos eius honorem et vero sinceritatem adversus obtrectatores et calumniatores defendere oporteret, horum ipsorum non pauci sensim sensimque aetatis suae vitio fuerint infecti, cuius disciplinae se patronos, vindices, emendatores esse profitebantur, eiusdem propemodum hostes facti et proditores. Nec equidem inscius sum, ne in hunc quidem diem vulnera ista cicatrices duxisse, aut resedisse istum furorem, sed idem tamen video, haud contemnendam rerum commutationem novissimos annos adduxisse. Nam quemadmodum, ubi fulmina luceant, ac tonitruum fragore coeli personent, homines terrore corripiuntur, ubi vero detonuerit, fulmenque cessaverit, aere longe puriori ac salubriori reficiuntur ac recreantur; sic etiam mala ista atque infortunia, quae tamdiu magnam Europae partem vexarunt, eum tandem habuerunt effectum, ut homines in se redirent spretamque religionem denuo pristina veneratione prosequerentur. Adorandum profecto hac in re divinae

providentiae consilium, quod effecit, ut eadem natio, quae vulnera inflixerat, etiam medicinam pararet, acerbam illam quidem, sed salutarem. Nondum deleta est miserrimi istius temporis memoria, quod populorum gentiumque res turbavit, nulli societatis humanae ordini pepercit, neminem non afflixit. Recordamur adhuc, ut unius impotentis Tyranni dominatio omnibus exitium comminaretur, donec tandem, summo rerum Arbitro moderante, excussum fuerit iugum, restituta libertas, tranquillior rerum conditio postliminio revocata. Depulsum est, quod capiti nostro imminebat, periculum, sed bona, quae secum traxerat calamitas, non una perierunt. Cuius in infortunio opem et auxilium imploraverant, cuiusque vim ad animos erigendos et consolandos usu cognoverant, eam nunc religionem permulti magni facere, tueri, eiusque honorem amplificare. Repressa est effrenata religionis Christianae adversariorum audacia. Vix unus aut alter invenitur, qui eam palam adoriri audeat; quique antea ingenui aut liberales esse non posse sibi videbantur, nisi doctrinam a Christo propositam calumniis peterent ac dicteriis, illi ipsi nunc certatim templa frequentant, Deoque et Christo tribuunt honorem. Ea nunc plurimorum est persuasio, nihil esse gravius, nihil sanctius, nihil augustius pietate in Deum et Servatorem. Testem dictorum advoco numerum illum paene infinitum hominum summo loco natorum, divitiis affluentium, honoribus ac muneribus spectatissimorum, qui nihil antiquius habuerunt, quam ut omni virium contentione eniterentur, ut oraculorum divinorum quam latissime per orbem terrarum dispergerentur volumina, quique multiplici alia ratione ostenderunt, quanti aestimarent rem Christianam. Ex quibus omnibus illud non temere efficere mihi videor, rite excolendae Theologiae, quae sine pietatis studio nulla est, vix umquam fuisse tempora opportuniora.

Enimvero uti non sufficit bonum velle, nisi accedat singularis quaedam prudentia; qua sola effici potest, ut bonum revera existat, sic ne ipsum quidem illud pietatis atque religionis studium commendari potest, nisi prudentiam comitem habeat, qua in certum cursum dirigatur. Nam illud ubi solum sibi relinquitur, coecum furit ac saevit, summisque ima miscet. Eheu, quam saepe terra maduit sanguine hominum in Dei honorem, horribile dictu, trucidatorum! Quoties ferro flammisque regiones florentissimae devastatae, agri populati, urbes eversae, quo scilicet sanctius benignissimum Numen coleretur! Cuiusmodi infanda flagitia si qui hodie sint, quamquam vix credibile est,

si tamen sunt qui excusare studeant, sibique et aliis persuadere, vel non tam atrocia ea fuisse, vel causas habuisse non vituperandas, illi quomodo hanc sententiam tueantur, ipsi videant. Nos vero in eos iniuriosi esse non videmur, si vel insanire eos pronunciamus, vel quidquid honestum laudatumque sit ludibrio habere. — Sed ut eo redeat, unde paululum deflexisse videtur, oratio, Theologum imprimis delatum sibi munus sine prudentia rite obire nullo modo posse, res et ratio docet. Nam si vel in rebus quotidianis, atque ad hanc vitam pertinentibus, nemo facile illa rectrice destitutus operae pretium facere possit, quanto minus illi, quorum studium omne omnisque industria in rebus divinis scrutandis, aliisque ad agnoscendam Dei perfectionem atque excolendam veram virtutem adducendis versatur. Cuius gravissimi muneris naturam, etiamsi nihil aliud accedat, per se circumspectos reddere cautosque par est, quicumque eo fungantur. Nunc vero omnia, quae nostra memoria acciderunt, nos exhortantur, ne quid leviter, ne quid temere a nobis fiat, ut in omnibus non modo, quid velimus, sed etiam qua ratione fieri illud recte possit, reputemus. Quod cum negligerent, qui haud ita pridem magnáe illius, quam modo commemoravimus, rerum conversionis auctores fuerunt, omnia, quae haud malo fortasse consilio moliti fuerant, mox in ruinas dilabi atque corruere viderunt. Valet hoc prae ceteris de Theologis, qui finium, quibus in hac rerum conditione circumscribitur ratio humana, obliti, neque in iis, quae nostra fert mediocritas, acquiescentes, spiritus sumserunt altos, omniaque repagula confregerunt. Hi igitur si, quae vera esse suspicabantur, sibi interiorisque admissionis amicis reservassent, nec nisi cum viris doctis, penes quos de his rebus erat arbitrium, protinus communicassent, detrimentum fortasse haud adeo magnum attulissent. At illi, quaecumque temere arripuerant, ea mox in vulgus produxerunt, quaeque scholarum pulvere erant sepelienda, de iis ex pulpitis pro concione declamitarunt. Quae res dici non potest, quam perniciosa fuerit verae religioni. Cum enim diversissimae sic opiniones divulgarentur, nec raro novi doctores sibi invicem obloquerentur, de universa religionis causa iniquius iudicare, deque gravissimis capitibus omnique dubio maioribus subdubitare inceperunt homines rudiores. Ex multis, quae, ut verbis meis fidem faciam, proferre possim, unum attulisse suffecerit exemplum. Postquam nempe immortalis ille inclaruit philosophus Regiomontanus, cuius incomparabili sagacitati atque iudicio acutissimo haud mediocrem debet accessionem Philosophia, haud pauci mox, ut su-

mus homines, reperiebantur, qui nunc tandem, post tot feculorum decurfum, veritatem fefe nudam mortalium oculis confpiciendam praebere putarent, nec modo fplendidisfimam esfe, quam KANTIUS accendisfet, lucem dicerent, fed praeterea, quae huc usque a fummis philofophis propofita esfent omnia, ad hanc lucem meras esfe tenebras; parumque abfuit, quin magiftrum discipuli falli nefcium praedicarent. Haec igitur rerum facies cum esfet, ecce prodierunt ex Theologis unus et alter, ex eorum etiam numero, quorum eruditio atque in Christianam religionem ftudium omni dubio maiora esfent, novamque hanc doctrinam asfumferunt, cum Christiana religione contulerunt, mox vero, quod ne per fomnium quidem exfpectare quisquam potuerat, invenerunt, ovum ovo fimilius non esfe, quam Euangelium KANTIANAE philofophiae. — Exftitit aliquis vir doctus, qui data opera ostendere fatageret, non aliud IESU confilium fuisfe aut esfe potuisfe, quam ut virtutem mercedis fpe vacuam, a KANTIO nunc denuo commendatam, inculcaret, discipulos vero Eius mentem non bene cepisfe. Iam nulla mora; traducta est nova fapientia in templa; ex facro fuggestu, audientibus rufticis, opificibus, mulierculis, qui IESU verba fe explicare profitebantur, nihil frequentius clamitarunt, quam virtutem propter fe folam esfe colendam; nullam praemiorum vel poenarum rationem esfe habendam, quas nihil aliud esfe quam necesfarias male factorum fequelas; ne posfe quidem Deum poenarum remisfionem peccatoribus concedere, fimilisque farinae alia. At interim, quid accidit? KANTIUM excepit FICHTIUS, FICHTIUM SCHELLINGIUS, FRIESIUS, HEGELIUS, alii, qui pedetentim magiftri doctrinam ita torferunt ac concusferunt, ut vix quidquam fuo loco remaneret. Ex hoc inde tempore ipsi philofophi de multis placitis, de iis quoque, quae tanquam certo fcilicet certiora venditata fuerant, dubitare, neque hoc iniuria, coeperunt, fundamento ea non fatis idoneo niti fufpicantes. Iam, quid multa? Adftupuerunt miraculo Theologi nostri KANTIANI. Illumne thefaurum, quem tanquam de coelo delapsum tam religiofe cuftodierant, nunc in cineres et carbones converfum? Illane, quae numquam convelli posfe toties affirmaverant, tam celeriter e manibus fibi extorta? Quid agerent, quo fe verterent, prorfus non habuerunt. — Nobis vero, A. A., in huiusmodi homines, quales haud paucos praeterlapsa nuper tulerunt tempora, tamquam in fpeculum intueri licet, nec iniuria ea propter dicere nos posfe exiftimamus, noftrorum certe temporum hiftoriam, fi quae alia, magiftram veluti esfe et effectricem prudentiae, at-

que adeo, excolendae Theologiae hanc nostram aetatem esse quam maxime opportunam.

Uti igitur religionis amor prudentia duce destitutus in furorem, prudentia vero sine pietate in calliditatem atque hypocrisin facile abit, ita utriusque coniunctione praeclarum aliquid ac propemodum perfectum nascitur. At tamen, ut omnibus numeris absolutus existat Theologus, aliquid adhuc deesse videtur, nisi prudens illa pietas campum sibi videat apertum, in quo libere exspatiari, suamque vim totam exserere queat. Quo die cogitandi sentiendique libertas ex Theologia tollitur (nam Homericum illud etiam ad nostram disciplinam transferre liceat), eo praestantiae eius disperit dimidium. At, quae nostrorum temporum hac saltem ex parte est felicitas, nullum vidit aevum maiorem libertatem. Quascumque regiones mente lustremus, sive Europam, ubi fere familiaris ac necessaria facta est, sive Americam, nostra tandem memoria eadem, quibus nos utimur, iura sibi asserentem, sive alias terrarum orbis partes cogitemus, qualis, A. A., ubique post paucos annos rerum conversio, qualis laetandi gestiendique materia! Ne illic quidem, ubi tyrannis atque superstitio omnia denuo potestati suae subiicere conantur, istud tamen, quod antea in mentem vocemque obtinuerant, imperium facile recuperare poterunt; neque maiori iure sub Traiano Imperatore Romani, quam hodie permultae per universum orbem terrarum gentes, harum vero nulla verius, quam Batavorum natio, raram temporum felicitatem praedicare potuerunt, *ubi, quae velis sentire, quaeque sentias, dicere liceret.* Atqui in hoc ipso praecipua mihi caussa quaerenda videtur, cur nonnulli Theologiae excolendae minus accommodata esse haec tempora potissimum indicent. Hanc enim disciplinam, utpote Dei, in sacris libris de sua natura suaque voluntate certiores nos facientis, auctoritate magnam partem superstructam, in abiectam quasi servitutem datam esse putant, nec sibi unquam libertatem recte adserere posse. Haec autem qui iactant, discrimen illi quidem, quod est veram libertatem inter atque licentiam, prorsus ignorare videntur. Ipsa quidem, quod facile largior, temporum ratio manifesto ostendit, ubi omnibus omnia permittantur, nihil nisi turbas ac ruinas exspectandum esse, neque rerumpublicarum neque singularum familiarum incolumem manere atque intemeratam salutem; neque aliorsum tendere istam novarum rerum cupidinem, libertatis nomen mentitam, quam sive in

omnium imperiorum everſionem, ſive in militis cuiusdam fortunatioris dominationem, qua utraque nulla ſervitus est intolerabilior. Uti igitur ſine legum reverentia populi ac civitates pesſum ire ſolent, ſic etiam, niſi certa atque indubitata auctoritate nitatur Theologia, protinus in eam quisque pro arbitratu involabit, eamque miſerandum in modum violabit ac ludificabitur. Eſto igitur. Fatemur, non quaelibet promiſcue ſibi licita cenſere Theologiam. Quid inde conſequitur? An hoc, eam libertate carere posſe? Nihil minus. Nec cives ſervire dicuntur, ubi legibus parent, nec Theologi, ubi Deo, omnis veri, lucis omnis fonti uberrimo, ſidunt, eiusque ſuſpiciunt effata. Illa vero est libertas, quam nos expetendam ducimus, quaque carenti disciplinae noſtrae ſuum non posſe conſtare honorem ſtatuimus, quae humana auctoritate nulla duci ſe aut ligari patitur: humana inquam, utpote ſemper incerta atque inſtabili. Qua libertate, quae, licet multa viris praeclaris tribuat, nemini tamen ſeſe umquam emancipat, cum noſtra aetate permultis populis, patriae imprimis genti, omnino frui contingat, quid impedit, A. A., quo minus noſtrorum temporum ad Theologiam rite excolendam opportunitatem agnoſcamus ac magnificis extollamus verbis?

Dicta ſufficient fortasſis ad eos refutandos, qui noſtram aetatem levibus tantummodo atque futilibus crepundiis ac gerris, non ſeriis rebus gravibusque tractandis, omnium vero minime Theologiae excolendae, accommodatam esſe, crepant. Sed novum adverſariorum accedit agmen, torvo vultu ac rauca voce, novum nobis facesſens negotium. „Quid tandem proderit, inquiunt, ſi vel maxime noſtra tempora ad religionis amorem, prudentiam, veram libertatem exhortentur, cum iſtiusmodi tamen homines, quales ipsa haec tempora tulerunt, ad omnia alia potius quam ad Theologiam excolendam facti ſint? Tu, quantum lubeat, inſtauratam pietatem iactes licet, nihilo tamen minus certum est, vel hoc ipso tempore Theologiam plurimorum expoſitam esſe contumeliis, cum vel tollant, quidquid ſanctum ac reverendum cenſeri oporteat, vel neſcio quae ſomnia ſingant, ac putidisſimi myſticismi barathris mergantur. Inſtant ex una parte, ſi quis divinitus praeter conſuetum rerum ordinem cum hominibus communicatam commemoret doctrinam, ac irriſione aliisque artibus hunc ad ſilentium redigere conantur; alii ex altera parte iſtam, quam tu laudaſti, libertatem inſectantur, nec quidquam intentatum relinquunt, ut priſtinam ſuperſtitionem, illique amicas vexationes, horrendumque adeo illud

haereticae pravitatis, ut vocatur, inquisitionis tribunal ex Tartaro, in quem erant detrusa, in dias luminis auras postliminio revocent. Quae cum inficias ire nullo modo possis, quid tu nostra tempora Theologiae favere contendis?"

Haec illi, qui sibi videntur quidem aliquid dixisse; vereor tamen, ut prudenti rerum existimatori suam persuadeant sententiam. Haud pauca enim nobis sunt in promtu, quibus, quae obiiciunt, redargui ac refutari possint. Quodsi vel omnia prorsus vera essent, quae proferunt, ne tunc quidem de Theologia desperandum esse putarem. Unde enim, quam tantopere exagitant, ista in sanctiorem disciplinam transiit calamitas? Nimirum ex ipso minus quidem prudenter, quod fatemur, instituto, ex ipso tamen religionis pietatisque studio, vero illo ac primario rite excolendae Theologiae fonte! Quod in Mysticos hodiernos non temere dici, facile, ut opinor, mihi dabitis, A. A., cum ex verissimo BORGERI, et mei quondam carissimi praeceptoris, quem lugent ipsae gratiae musaeque, cum ex huius igitur effato, in mystica ratione, non pietatis insit defectus, sed contra *religiosi sensus luxuries quaedam et abundantia.* Eamdem vero eorum quoque rationem esse, qui vulgo Rationalistae audiunt, si dixero, fortasse incredibile quid proferre videbor. Nihil tamen, de eorum certe non paucis, mihi quidem videtur certius. Quodsi enim ab ultima origine rem repetimus, neminem maiorem vim ad eos excitandos habuisse comperimus, quam IOANNEM SALOMONEM SEMLERUM, virum non modo eruditione, cuius incredibili erat copia, instructus, sed etiam religionis, quo flagrabat, amore, merito celebratum. Hic igitur, cum ex eorum, qui a *pietate* excolenda nomen acceperant, schola prodiisset, suique temporis Theologos scholasticis spinosisque quaestionibus longe maius pretium statuere videret, quam iis, quae ad animi emendationem facerent, ista inutilium rerum farragine ac quasi faece Theologiam liberare instituit, multaque praestitit nullo aevo intermoritura. Verum multas merito reiiciens quisquilias, multaque dudum antiquata sed verissima postliminio revocans, ut fit, in nova et inaudita proferenda pronior reddebatur, et pedetentim quaedam historici imprimis, ut vocabat, argumenti una revulsit, quae tolli non debebant, utpote cum totius religionis Christianae consilio atque argumento arctissime coniuncta. Huius exemplum secuti alii, qui nec doctrinae praestantia, nec animi integritate, cum summo viro erant comparandi, omnem IESU religionem, quod ille utique noluerat, et, contra BAHRDTIUM similesque, se nolle saepius dixerat,

ſuſtulerunt. Quod vero cum non adeo ex religionis quodam contemtu, ſed potius ex male intellecta illius vera natura, ſit repetendum, nonne exſpectandum, cum opinionum commenta deleat dies, fore ut ſenſim ſenſimque etiam errantes in meliorem viam ſint redituri, ſuo quidem loco relinquentes quae iure erant antiquata, perperam vero repudiata denuo amplectentes. Neque de incerta ſpe hic ſermo est: nam revera in ipsa illa, unde malum ortum videtur, Germania haud pauci ſunt, qui, cum antea in novitiorum illorum doctorum caſtris militasſent, haec iam ſigna reliquerint, errorique gravisſimo huc usque implicatos ſe fuisſe, ingenue confiteantur. Quod vero ſi ſeſe habet, uti diximus, ex ipsis illis turbis, hoc emolumenti ad Theologiam redundabit, ut, quemadmodum ex fornace aurum, ſic et ex contentionibus illa purior atque intaminatior ſit proditura. Quo minus, ſi qui ſint, qui temere illotisque manibus ad Theologiam tractandam accedant, aut adeo priſtinam barbariem inſtaurare ſtudeant, ex paucorum eiusmodi perverſitate omnes in univerſum corruptas esſe, colligi ſine multorum manifeſta iniuria potest. Nam illud ipsum, quod, quae iſti moliantur, tot aliorum tamque vehementes excitent clamores, ſatis ſuperque oſtendit, quam nova plurimis accidant iſta et inexſpectata. Quibus enim ipsi favemus homines, ſi ab aliis ea quoque propugnata videmus, ea in re nihil nobis inesſe videri ſolet magnopere admirandum.

Ex quibus omnibus hanc concludimus rationem, iniurioſos esſe in noſtros aequales, quicunque eos rite excolendae disciplinae ſanctiori idoneos esſe negent, nihilque omnino impedire, quo minus et hodie perfecti exiſtant Theologi. Verum, cum noſtrorum opportunitatem temporum celebro, A. A., non illud tantummodo mihi volo, posſe hodie veros Theologiae cultores in ea tractanda pro ipsius dignitate verſari, ſed longe maius quid atque praeſtantius intelligo. Nimirum ea, quae nunc plerumque locum obtinet, ſtudiorum dirigendorum ratio tantum abest ut obſit cuique ad praeclaram noſtrae doctrinae cognitionem adſpiranti, ut e contrario auxilium ei praeſtet eximium atque adiumentum. Quod multis oſtendere etſi a praeſenti argumento non plane ſit alienum, vereor tamen ne, ſi hoc inſtituam facere, veſtra patientia, AA., abuti videar atque adtentione. Summis igitur digitis praecipua capita attigisſe ſuffecerit.

Theologicae disciplinae ea est ratio, ut a quocunque doctrinae genere non pauca in ſuos uſus convertenda repetat, nec fere ulla ſit ars, cuius praeſidio

non exornetur atque augeatur. Philoſophiam cum dico, omnium illam disciplinarum principem, quis neſciat, graviſſima eius loca, veluti de divina natura, hominum officiis, aliaque ita cum Theologia eſſe coniuncta, ut ad eam ipsam prorſus pertinere videantur. In Latinarum vero Graecarumque et Orientalium literarum ſcientia omni tempore, ut quisque optimus Theologus cenſebatur, ita maxime ſedulam collocavit operam. Quid Grammaticam memorem, Hiſtoriamve aut Poeſin? Quid Criticam, quam in Theologia post ERASMUM et BEZAM ferme tam frequentem eſſe, quam in regno ſuo, fateri non dubitavit optimus harum rerum arbiter RUHNKENIUS. Mitto alias disciplinas, Iurisprudentiam, puta, Medicinam, Mathematicam, alias; a quibus, licet a noſtra videri poſſint paulo alieniores, haud parum ſubſidii, cum ad difficiliorum Sacrae Scripturae locorum explicationem, tum ad nonnullorum doctrinae ſanctioris capitum illuſtrationem, mutuati ſunt Viri docti. Quo ipso effectum eſſe, ut fines noſtrae artis egregie promoverentur, quis tandem dubitaverit?

Quae cum ita ſint, quodnam unquam tempus nobis magis opportunum fuiſſe dicamus, quam illud ipsum, quod vivimus? Ut enim in quaelibet hodie inquirunt eruditi! ut nihil inexploratum relinquunt! Quorum ſi vel aliqui nova potius quam certa ſectari videantur, haud mediocri tamen copiarum acceſſione omnes fere artes hodie ditari, negari nequit. Nam, reliquas ut mittam, quis illas, quae cum Theologia arctiſſime ſunt copulatae, doctrinas, Philoſophiam, Literas et Hiſtoriam ita florere neſciat hodie et vigere, ut nullo unquam tempore maiori animi ardore, ubivis terrarum et ab omnigenae conditionis hominibus, excultae fuerint. Sed et illud in magna felicitatis parte ponendum eſſe videtur, quod noſtra aetate vix ulli eiusmodi ſtudiorum inveniantur moderatores, quales illi erant, in quos olim ex ipsa hac cathedra invectum eſſe novimus ſummum Theologum PAULUM CHEVALLERIUM, „qui adolescentibus ſtolide auctores eſſent, ut humaniores literas et antiquitatis ſcientiam, tamquam verba ſplendidasque nugas, vel prorſus negligerent, vel dicis cauſa tractarent, vel primis labris delibarent, atque pro Graecis Latinisque ſcriptoribus legendis, omnem potius diligentiam rebus, ſi diis placet, impenderent, doctrinarum impallescerent compendiis, et quascumque disciplinas, quae animum ad graviores artes formare debeant, praeter Dialecticam et Metaphyſices arcana, angue peius et cane fugerent." Faceſſere eiusmodi doctores iuſſit CHEVALLERIUS. Prudenter omnino et pro illorum ratione temporum. Noſtris vero neque res

negliguntur, et verbis, fine quarum accurata cognitione manca est atque imperfecta omnis fcientia, opera datur haud vulgaris. Sive Graecas Latinasque literas refpicias, quot exftitere noftra memoria, qui eos exornarent: quot hodieque funt in principibus cenfendi, etiam ex noftratibus! Sive in Orientales convertas oculos, et alibi ita excoluntur, ut numquam antea, et, quae in noftris regionibus a SCHULTENSIIS SCHROEDERISQUE accenfa fuit, lux novo hic fplendore, fatentibus etiam exteris, emicat. Taceo Indicam fapientiam atque elegantiam, nunc tandem, post tot feculorum decurfum, ex latebris erutam atque Europaeorum admirationi expofitam. Taceo tenebras, quibus Aegyptus, omnis doctrinae foecunda mater, tamdiu involuta iacuit, nuperrime ingeniofa virorum eruditisfimorum diligentia propemodum discusfas. Ex quibus pulcerrimis inventis, in noftros dies refervatis, iam mirum in modum Theologia profecit, maiora exfpectat commoda. Permulta religionis adverfariorum manibus extorta funt tela eorum auxilio; non paucis Sacrae Scripturae locis nova lux affufa: et in univerfum tot nova excolendae atque exornandae noftrae disciplinae hodie praebentur fubfidia, ut laetiora hoc nomine tempora vix umquam viderit.

Quodfi vera funt, quae huc usque dixi, A. A., verisfima autem esfe mihi quidem videntur; quid mirum, tam largam fummorum Theologorum fegetem tulisfe noftram aetatem et etiamnum ferre? Quos omnes enumerare laudesque eorum celebrare fi annitar, ubi tandem exitum inveniat oratio? Nec multis profecto opus est verbis; nam, fi vel illos tantummodo memorem, qui ab ineunte hoc feculo, in fola regione patria e vita decesferunt, quanta vel fic iam nomina mihi fint recenfenda! SCHACHTIUM intelligo, RAVIUM utrumque, TE WATERUM, veftrum ABRESCHIUM, GREVIUM, alios permultos, ex quibus et meus quondam praeceptor, nimis mature nobis ereptus, BORGERUS, et prae ceteris MUNTINGHIUS ille, neque hic ultimo loco, adhuc memorandi funt.

MUNTINGHIUM vero cum dico, verbis vix fignificare posfum, quanto doloris fenfu pectus fauciatum habeam et excruciatum. Quotiescumque enim in viri incomparabilis redeo memoriam, redeo autem quotidie, toties perfecti omnibusque numeris abfoluti Theologi imago animo obverfatur. Quem incomparabilem virum ex oculis nobis ereptum luget, nec unquam lugere definet, quicumque aut noftrae Academiae, cuius clarisfimum lumen exftitit, bene cupiat, aut univerfae Theologiae, in qua exornanda et emendanda nemo in Belgio ante eum magis perite, nemo liberalius, prudentius nemo est verfatus. Itaque vel unum hunc,

quondam nostrum, Theologum nominasse suffecerit, quo illam temporum nostrorum ad Theologiam rite excolendam opportunitatem demonstrem. Ego vero, qua pietate virum optimum, qua reverentia, qua admiratione fuerim prosecutus, et viventi palam significare gestivi, et, quae illi debeam, nulla unquam ex grata memoria revellet dies. — Nolim tamen hoc loco, quae praeclare ille fecit dixitque, singula percurrere et ambitiosa oratione celebrare; nam non tantum eos nactus est laudatores, qui summis eius meritis et intelligendis et declarandis essent maxime idonei, sed omnes insuper aequi huius rei iudices, Theologiae inter nostrates principatum ad MUNTINGHIUM referendum esse, uno ore fatentur, pariterque fatebitur posteritas.

Atqui hoc ipsum gravissimae mihi est solicitudini, cum tali ac tanto viro nunc prorsus successorem me datum esse videam. Quum ante biennium gravissimi muneris auspicandi gratia huc escenderem, ea spe, fore ut MUNTINGHII consiliis utendi diu mihi daretur copia, haud mediocriter erigebatur animus. Nunc vero, quali me animo esse putatis, A. A., qui et ipso iam usu intelligere incepi, quod antehac vix suspicari poteram, quot quantaque a publico Theologiae Doctore praestari debeant officia, et eximio illo meorum studiorum rectore et adiutore destituar. Verum haec utcumque se habent, non leve tamen mihi solatium praebet, cum Vestra, Viri Illustres, benivolentia, quorum apud Augustissimum Regem intercessioni honoris illa, quam hodiernus mihi attulit dies, accessio debetur, quibusque gratum animum non testificari religio sit, tum Vestra, Viri Clarissimi, tot iam indiciis mihi spectata amicitia. Multas Vos quidem, quae in MUNTINGHIO summae erant, ingenii animique dotes quin in me sitis desideraturi, nullus dubito, observantiam vero, humanitatem, candorem, neque huc usque (confidere enim liceat) desiderastis, neque unquam merito Vos desideraturos esse spondeo sancteque promitto.

Vos autem, Commilitones praestantissimi, mihique haud uno nomine carissimi, etiam mihi estis compellandi. Audivistis, quam sint opportuna, in quae vestra incidit aetas, tempora ad studia Literarum et Theologiae persequenda. Mihi vero spectata est vestra industria, vestraque in Literis et vero in augustissima Theologiae disciplina excolendis alacritas, vestra denique modestia, et singulare mei studium. Damnum, quod MUNTINGHII iactura passi estis, equidem nullo modo resarcire valeo: at in Eius tamen Viri praestantissimi exemplum tamquam in Helicem quamdam aut Cynosuram intueri et vos et ego poterimus, et coniunctis

viribus ad ſimilem olim laudem comparandam eniti. In quo honeſtisſimo virtutis atque doctrinae certamine lubens vobis, quotcunque huius rei ſtudio ducimini, non tam dux adero, quam comes.

Tu vero, omnium bonorum auctor, Deus Optime Maxime! vires nobis et vitam largiaris; Tu, quae pro Regis, Patriae, Academiae, omniumque bonorum ſalute nuncupamus vota, pro ſumma Tua per Chriſtum, ſanctisſimum Servatorem, manifeſtata in homines benignitate atque clementia, rata eſſe iubeas.

INWIJDINGS REDEVOERING,

OVER

HET BELANG, DAT ER VOOR DEN LANDBOUW GELEGEN IS, IN DE KENNIS DER NATUURLIJKE HISTORIE VAN HET VADERLAND,

DOOR

HERMANNUS CHRISTIAAN VAN HALL;

gehouden ter aanvaarding van het gewoon Hoogleerambt in de Faculteit der Wis- en Natuurkundige Wetenschappen aan de Hoogeschool te Groningen, den 12den April 1826.

At prius ignotum ferro quam ſcindimus aequor,
Ventos et varium coeli praediſcere morem
Cura ſit, ac patrios cultusque habitusque locorum;
Et quid quaeque ferat regio et quid quaeque recuſet.

VIRGILIUS, Georg. I. v. 50—53.

EDELE GROOTACHTBARE HEEREN, VOORSTANDERS EN BEOEFENAARS DER WETENSCHAPPEN, AAN WIEN DE BELANGEN DEZER HOOGESCHOOL ZIJN TOEBETROUWD!

RECTOR MAGNIFICUS! AANZIENLIJK HOOFD VAN DEN AKADEMISCHEN SENAAT!

WELEDELE, HOOGGELEERDE HEEREN, HOOGLEERAREN IN DE ONDERSCHEIDENE VAKKEN VAN ONDERWIJS, AAN DEZE HOOGESCHOOL, HOOGGEACHTE AMBTGENOTEN!

AANZIENLIJKE EN ACHTBARE MANNEN, DIE IN DIT GEWEST OF IN DEZE STAD VERSCHILLENDE WAARDIGHEDEN VAN REGTSPLEGING EN BEWIND BEKLEEDT!

WELEERWAARDE HEEREN, BEDIENAARS VAN DEN GODSDIENST IN ONDERSCHEIDENE KERKGENOOTSCHAPPEN!

WELEDELE, ZEER GELEERDE HEEREN, DOCTOREN IN DE ONDERSCHEIDENE FACULTEITEN!

EDELE JONGELINGEN, WELKE TOT BESTUURDERS EN HELPERS DER MENSCHHEID AAN DEZE HOOGESCHOOL WORDT OPGELEID!

GIJ ALLEN EINDELIJK, VAN WELKEN RANG OF STAND, DIE DEZE PLEGTIGHEID MET UWE TEGENWOORDIGHEID VEREERT!

ZEER GEACHTE HOORDERS!



Wanneer wij ons voor een oogenblik in onze verbeelding uit het gedruisch eener woelige stad op de stille velden der Natuur verplaatsen, doet zich het tref-

fendfte verfchil voor onze oogen op. — Hier is men gestadig omringd van de werken der kunst en leeft men in al de onrust en verwarringen der menfchelijke maatfchappij. Daar ademt men de vrije lucht onbelemmerd in, daar geniet men de milde vruchten des velds en leeft, in eene zalige onbezorgdheid, in het midden van alles, wat de weldadige Schepper aan zijne fchepfelen fchenkt.

Wanneer wij, op den eentoonigen kunstweg der dagelijkfche bezigheden voortwandelen, valt het fomwijlen moeilijk, om ons zoo geheel en al met onze gedachten op het veld te bepalen. Maar voor velen Uwer, die eenen korteren of langeren tijd Uws levens op het land doorbragt, en in het landelijk bedrijf Uw grootfte genoegen fteldet, voor U kan dit voorzeker zoo bezwaarlijk niet zijn. — O, hoe gaarne herinnert Gij U met mij die genoeglijke dagen, toen wij, in den fchoot der vrije Natuur, den onbegrensden hemel, zooverre ons gezigt reikte, befchouwden; toen wij de krachten der Natuur, ieder oogenblik voor onze oogen werkzaam, ontwaarden; toen wij die onbegrijpelijke werking des Almagtigen, het leven, in alle Dieren en Planten aanwezig, en ieder droppel water, als met levende fchepfelen bezield, opmerkten!

Vanwaar komt het, dat hetgeen ons thans zoo belangrijk voorkomt, zoo dikwijls minder belang inboezemt aan hem, die dagelijks van die gelukkige tooneelen getuige is? Is de kennis, van hetgeen hem overal omgeeft, voor den landman minder gewigtig; of is het flechts die zoo gewone, als noodlottige onverfchilligheid voor hetgeen het meest onder ons bereik valt, welke ook hier eenen fchadelijken invloed uitoefent?

Inderdaad, geachte Hoorders, het laatfte kan niet twijfelachtig zijn. De landman moge, door zijne dagelijkfche werkzaamheden, allengs aan den vaderlijken grond en Vaderlandfche voortbrengfelen gewoon worden; deze *gewoonte* heeft hem echter nog geene wezenlijke *kennis* doen verkrijgen, en men mag in ons Vaderland rondborftig verklaren, dat de landman van de Natuurlijke Gefchiedenis van zijnen geboortegrond, in hare toepasfing op zijne nuttige bezigheden, niet dan een zeer onvolledig begrip heeft, hetwelk hem vele zaken onverklaarbaar doet blijven en hem den weg tot verbetering en volmaking van zijn bedrijf geheel en al affluit.

Ik wil thans niet fpreken van het verheven genot, hetwelk hij, bij deze befchouwing, konde genieten; ik wil niet aantoonen, hoeveel dit genot tot veredeling van zijn hart en geest zoude kunnen toebrengen; aan zulke redenen toch lee-

nen niet allen altoos even gaarne gehoor en fommigen zelfs zouden deze als ijdele woorden en klanken veroordeelen. Ik wil alleen aanwijzen en mijne ftelling met enkele voorbeelden ftaven, dat zoodanige kennis met het wezenlijk *belang* van den landman overeenkomftig en voor de gelukkige uitvoering van zijn bedrijf onmisbaar is.

Vergunt mij derhalve, zeer geëerde Toehoorders, dat ik in dit plegtig uur Uwe aandacht bepale bij *het belang, dat er voor den landbouw gelegen is, in de kennis der Natuurlijke Historie van het Vaderland.*

Plegtig noem ik het oogenblik, waarin ik, thans voor het eerst tot U fprekende, eene waardigheid aanvaarde, waarvan welligt niemand, meer dan ik, het gewigt, met de moeilijkheden daaraan verbonden, befeffen kan. Meer dan immer gevoele ik, wat het zegt, geplaatst te zijn op een ftandpunt, waarin niet alleen het goede, waartoe men in ftaat is, maar ook het minder gelukkige, hetwelk men voortbrengt, een ieder even zeer in de oogen valt. En ware het niet, dat de mij opgedragen waardigheid mij tevens de fchoone gelegenheid aanbood, om mij, meer bepaald en onverdeeld, toe te wijden aan wetenfchappen, wier beoefening tot dus verre een groot gedeelte van het geluk mijns levens uitmaakte, ik zoude gewisfelijk eene roeping, die mij vereerde, uit gevoel van onvermogen, niet hebben durven volgen.

Thans echter is het lot geworpen en mijne aanvaarding heeft over mijn toekomftig zedelijk en wetenfchappelijk aanwezen beflist. — Ik fpreek voor eene fchaar aanzienlijke en geleerde mannen en voor eene rij van regtfchapene Jongelingen, die, in de kracht huns levens, vol ijver en moed op den weg van het goede en fchoone vooruitgaan. Wat blijft mij dan anders overig, dan het mogelijke te beproeven, na van U, geachte Hoorders, met aandrang om die toegevendheid verzocht te hebben, waarop mijne jaren en mijne ongewoonheid, om in het openbaar te fpreken, voorzeker eenig regt geven. Welaan dan, met vertrouwen op die toegevendheid aangevangen en met beraden moed de mij ontfloten loopbaan ingetreden!

I. Het geheele bedrijf van den landman kan en behoort niets anders te zijn, dan het oordeelkundig gebruik der voortbrengfelen van de Natuur, geregeld volgens die onveranderlijke wetten, waarnaar zij groeijen en zich vermenigvuldigen. Zijn gezond verftand, onafgebroken opmerkzaamheid en de toets der voorvaderlijke ondervinding ftellen hem daartoe vooral in ftaat. Niets ontglipt hem, die zijne landelijke werkzaamheden met gezetten ernst en warme geestdrift behartigt.

De *lucht*, die hem zelven, zijn vee en alle zijne veldvruchten omgeeft, kome dan in de eerfte plaats in aanmerking; de lucht, die voor een deel tot voedfel aan de gewasfen, die hij voortteelt, verftrekt, die zich door de opene porien en door middel van eigene luchtbuizen in het geheele weeffel der planten verfpreidt en in den akker, dien hij bebouwt, indringt. De lucht is verfchillend in eigenfchappen naar het verfchil der jaargetijden; zij is anders in bergachtige ftreken, anders in moerasfen; anders aan den zeekant, als in het midden des lands, anders op welbedekte, als op opene plaatfen. Heeft niet de met zeedampen bezwangerde lucht van Zeeland, van Holland, of van de kusten van Groningen (1), eene andere werking op de planten en voert zij, bij het ploegen, geene andere beftanddeelen in den grond, dan de heuvelige ftreken van Gelderland? Hoe kennelijk zijn niet de uitwerkfels der zeewinden en der uit zee opkomende nevels of *zeevlammen* en hoe vele gewasfen ondervinden niet de nadeelen der onachtzaamheid van hem, die dezelve aan dien fchadelijken invloed onvoorzigtig heeft blootgefteld?

De landman daarentegen, die, niet als een werktuig, door blinde navolging van de handelwijze van anderen, in eenen gedurigen eenzelvigen kring wordt rondgevoerd, maar die over oorzaken en gevolgen nadenkt, iedere opmerking der Natuur op zijne werkzaamheden toepast, zal niet alleen aan den eigenaardigen toeftand der lucht, op die plaats, waar hij den landbouw uitoefent, bij alle zijne handelingen indachtig zijn, maar ook den wisfelvalligen toeftand van het weder met alle opmerkzaamheid in het oog houden.

Zoodra hij des morgens zijne legerftede verlaat, is zijn eerfte werk, om den ftaat der lucht en van het weder te onderzoeken. Eene gezette en herhaalde waarneming, gepaard aan de kennis van onderfcheidene, uit de dagelijkfche ondervinding ontleende, voorteekenen, ftellen hem in ftaat, om het weder van den dag, zoo al niet met volledige zekerheid, ten minfte met genoegzame waar-

schijnlijkheid te bepalen. Warmte en koude, droogte en vochtigheid, de verschillende drukking der lucht, de rigting der windstreek, alles is hier zijner oplettendheid waardig. Naar het weder regelt zich al het werk van den dag, hiervan hangt de goede uitslag van vele verrigtingen af. Het bewerken der landerijen, het zaaijen en inoogsten der veldvruchten, alles heeft zijnen tijd en is bij den eenen toestand der lucht veel voordeeliger dan bij den anderen.

Nog hooger klimt de waardij der kennis van het weder, wanneer wij die voor een uitgestrekter tijdperk kunnen aanwenden en naar den staat van het toekomstig jaargetijde, met eenige waarschijnlijkheid, weten te gissen. Ook in dit opzigt is er eene Natuurlijke Geschiedenis van het Vaderland en kunnen de hier opgemaakte weerkundige waarnemingen, vergeleken met den staat des landbouws, een uitgestrekt nut aanbrengen. De belangrijke *staten van landbouw*, welke, van het jaar 1806 af, eene bijkans volledige Geschiedenis van onzen Vaderlandschen landbouw opleveren, geven ons hiervan de sprekendste bewijzen. Doch deze merkwaardige geschiedkundige bouwstoffen zijn nog niet alomme genoegzaam gewaardeerd en nog niet uit *alle* Gewesten volledig genoeg verzameld. Er zijn nog buiten twijfel vele bijzondere eigenschappen van ons luchtsgestel, welke wij, in hare betrekking tot den landbouw, nog niet dan zeer onnaauwkeurig kennen (2).

Men poge echter de verspreide waarnemingen te verzamelen en tot een doelmatig geheel te brengen en de landman althans neme deze zaak tot een voorwerp zijner ernstigste overwegingen. Hij kenne, waar hij zich bevinde, de uitwerking der meestvoorkomende windstreken en beschutte zijnen moestuin of boomgaard voor de nadeeligste derzelve.

Hij houde zich verzekerd, dat iedere poging om de wenken der Natuur te volgen, hem de schoonste vruchten zal opleveren. Zoo had men, bij de groote en algemeene nadeelen, welke de bij ons zoo veel verbouwde *Boekweit* van de nachtvorsten in het voorjaar te lijden had, opgemerkt, dat de vorst hare grootste verwoestingen bij deze tedere planten aanrigtte, wanneer dezelve des nachts vochtig waren. Hierdoor geleerd, trok de nijvere landman des avonds, wanneer hij voorteekenen van aanstaande nachtvorsten bemerkte, een gespannen koord over zijne boekweitvelden, waardoor de druppen van de planten afvielen en deze weinig nadeel van de koude te vrezen hadden. Wie weet, hoeveel er door dit eenvoudig middel niet is behouden gebleven?

II. Van niet minder belang is voorzeker de kennis der *wateren*, die onze velden omringen, of, van hooger oorden afgedaald, langs onze gronden naar zee stroomen. De ware Landhuishoudkundige kent derzelver aard en hoeveelheid en put uit de geschiedenis van den Vaderlandschen landbouw regelen voor zijne toekomstige handelingen. — De ondervinding van rampvolle jaren, als die van 1816 en 1817, is voor hem niet verloren.

Laag en vochtig gelegen zijn wel de meeste onzer landerijen, doch deze ligging heeft ook hare voordeelen en is in sommige jaren boven de meer drooge en hoogere ligging van andere Gewesten verreweg te verkiezen. (3). Vandaar dat wij vaarten en kanalen door onze dorre heide- en zandgronden graven en hierdoor hunne al te drooge ligging verbeteren. Vandaar dat wij, op zeer schrale en nog schier onbebouwde zandgronden, het water van nabijgelegene streken naar onze landen afleiden en in eene regelmatige drenking van den grond eene onuitputbare bron van rijkdom kunnen vinden. — In Duitschland zijn er te dezen aanzien uitgestrekte ondernemingen gedaan en ook in ons Vaderland enkele proeven met goed gevolg bekroond. Doch men wane niet, zelfs eenige hoop op eenen gelukkigen uitslag te hebben, zonder de allernaauwkeurigste kennis van den natuurlijken toestand der voorwerpen, die men behandelt. Is b. v. de betrekkelijke hoogte dier wateren niet genoegzaam bepaald, dan verkrijgt men te weinig water, of is buiten staat den te grooten overvloed op zijnen tijd weder te verminderen. Zijn de bestanddeelen en eigenschappen van het water ons niet volkomen bekend en bevat het b. v. okerachtige deelen, waarop wij niet gelet hadden, dan mislukt de onderneming en in beide gevallen zijn alle moeiten en kosten geheel nutteloos verspild.

Bij de Veeteelt, die een zoo groot en belangrijk gedeelte van onze Vaderlandsche landhuishoudkunde uitmaakt, is vooral het gezet onderzoek naar het water, dat door het vee gebruikt wordt, een noodzakelijk vereischte, daar er buiten twijfel vele ziekten, uit het niet wel zuiveren der slooten en andere drinkplaatsen van het vee haren oorsprong hebben. Inzonderheid merkwaardig is in ons Vaderland het onderscheid tusschen zout en zoet water (4) en hoe dikwerf heeft zich de landman te beklagen, die, bij het aankopen van vee, uit andere Provincien herkomstig, dit onderscheid niet genoegzaam heeft in het oog gehouden?

Is het niet daarenboven deze verandering, die zelfs de soort der gewassen, welke het vee tot voedsel verstrekken, geheel doet veranderen? Er zijn planten, die alleen op ziltige gronden, als in onze buitendijksche aan zee gelegene landen, tieren; er zijn er anderen, die alleen aan zoet water wassen. Vandaar dat men, bij het indijken der *kwelders*, of aan zee gelegene gronden, geheel nieuwe grassoorten op de weilanden moet zaaijen, daar de zeegrassen op ingedijkt land verkwijnen en ten laatste geheel uit dezelve vergaan.

Waar de grond zelve door de aanspoeling der wateren wordt gevormd, is het verschil derzelve nog zooveel te meer opmerkenswaardig. De Noordzee werpt vruchtbaarder kleibodem op, dan de Zuiderzee. Beide soorten zijn geheel verschillend van de rivierklei en maken in beide streken eene andere behandeling in den landbouw noodzakelijk.



III. Zoo komen wij als van zelve tot het grootst en aangelegenst punt van den Vaderlandschen landbouw, de kennis namelijk der *grondsoorten*, welke onze vruchtbare velden en akkers uitmaken. Alleen en op zich zelve baat deze kennis weinig, doch zij wordt van het grootste belang, zoodra men haar in verband brengt met de kennis der luchtstreek en met den aard der gewassen, die men wil aankweeken. Dan wordt zij het middelpunt van alle landelijke werkzaamheden, waarin al de onderscheidene takken van landbouw zamenkomen, en leert ons hoe, ook in deze wetenschap, alle de vakken van menschelijke kennis zich onderling in de schoonste overeenstemming blijven vereenigen.

Men onderzoeke vooraf den grond in zijne grovere, meer zigtbare, bestanddeelen en dringe vervolgens meer naauwkeurig tot deszelfs fijnere ontleding door. Men onderzoeke niet alleen, uit welke aardsoort de bouwgrond hoofdzakelijk besta, maar lette tevens, op hetgeen de geheele natuurlijke toestand des lands op die plaats met zich brengt. Deze gronden zijn beter voor bouwland, gene voor grasland of boomgaard geschikt. Deze zijn beter voor tarw, gene voor gerst, andere wederom beter voor rogge en boekweit en worden zij somwijlen naar deze eigenschappen als *tarwegrond*, *gerstegrond* enz. onderscheiden (5).

Zou de landman, die van al de onderfcheidene eigenfchappen van den bodem geheel en al afhangt, maar ook van alle dezelve een voordeelig gebruik kan maken, dit alles zijne nafporing niet overwaardig achten?

Hij vergenoege zich dan ook niet met de befchouwing van de oppervlakte der aarde, maar trachte dieper door te dringen. De ondergrond, dit weet hij, heeft grooten invloed op de bovenfte aardlagen en bevat dikwijls geheele beddingen keijen en uitgeftrekte leem- of oerbanken, welke den wasdom der boomen grootelijks benadeelen. Deze toch, gelijk wij uit de algemeene Natuurkunde der Planten weten, volgèn doorgaans met hunnen ftam en takken den groei en de uitgeftrektheid der wortelen onder den grond. Vergeefs, dat een vruchtbare bodem den jongen *Beuk* eenen voordeeligen wasdom fcheen te beloven. Welig opgefchoten, wordt zijn groei weldra belemmerd door de oerbanken, waarop zijne wortels, als op eenen ondoordringbaren muur, ftuiten en, na weinige jaren, doet eene teleurgeftelde hoop den kweeker de ftraf voor zijne onkunde of traagheid ondervinden.

Alle landbouwkundige behandeling moet derhalve naar den aard der gronden zijn gewijzigd. Aan geene algemeene, op alle landen toepasfelijke, regels is dezelve te binden. Zware kleigronden vorderen eene andere bebouwing, met andere werktuigen en leveren andere veldgewasfen op, dan de losfe zandgronden. Op zware en vaste gronden is nog het braakliggen der bouwakkers bij velen in gebruik, doch hier gaat na verloop van vier, vijf of zes jaren een geheele oogst verloren. Dit is echter het geval niet op andere gronden, waar men, door eene gepaste afwisfeling van veldvruchten en genoegzame bemesting, het land zijne vruchtbaarheid doet behouden en zoo, gelijk reeds de uitfpraak der Ouden was (6), het braken der landen overbodig doet zijn. Het is voor een gedeelte hieraan, dat fommigen onzer Zuidelijke landgenooten hunnen voortreffelijken landbouw hebben te danken, welke, onder den naam van de Belgifche of Vlaamfche, door geheel Europa beroemd is; een roem, welke door hen te meer wel verdiend is, daar het grootfte deel van het thans zoo vruchtbare *land van Waes* weleer niet dan het gelaat eener woeste heide vertoonde.

De oorzaak der mindere oorfpronkelijke vruchtbaarheid van fommige gronden is dikwijls gelegen in eene te groote éénzelvigheid der beftanddeelen, daar klei, zand en veengrond, elk alleen op zich zelve, fchier geheel onvruchtbaar zijn, doch flechts door onderlinge vermenging voor de kweeking der gewasfen gefchikt


worden (7). Vandaar, dat de landman, die met den aard van den bodem, dien hij bebouwt, wel bekend is, deze vermenging, waar zij mogt ontbreken, kunstmatig tracht daar te ftellen, dat hij de te zware klei met kalk of zand, het zand weder met kleigrond kan brengen tot dat doelmatig evenwigt van werkende krachten, zonder welke de aarde geen groeijend vermogen zoude bezitten. — De groote verfcheidenheid van gronden, hier te lande aanwezig, geeft dikwijls gelegenheid, om zeer onderfcheidene grondfoorten in een klein beftek bijeen te vinden, wanneer de geringfte oplettendheid ons dadelijk de grootfte voordeelen fchenkt, zoo wij maar niet verzuimen te zien en te onderzoeken, wat de Natuur voor een ieder openlegt.

In andere landen worden de al te zware en ftijve gronden, door vermenging met kalkaarde, tot grooter vruchtbaarheid opgewekt. In de Noordelijke Gewesten van Nederland misfen wij den eigenlijken kalkgrond geheel en al; doch zien dit gemis, in onze uit zee aangefpoelde kleigronden, vergoed door de kalkachtige overblijffels van fchelpdieren, welke de Oceaan voorheen aldaar had aangevoerd, en waaraan deze gronden een deel hunner vruchtbaarheid verfchuldigd zijn. Welnu, wat zouden wij langer werkeloos klagen en het gemis dezer ftof voor onze gronden betreuren? — De nijvere Nederlander zoeke zijne welvaart, waar hem de Natuur hare wegen openftelt! Nog voert hem de zee, als in vroeger dagen, hare fchelpen naar zijn ftrand, welke fchelpen, tot kalk verbrand, een uitmuntend hulpmiddel voor zijnen landbouw uitmaken. Een hulpmiddel, niet beftaande in ijdele gisfingen van eenen voorbarigen geest, maar werkelijk door de ondervinding als nuttig bewezen; gelijk in de naburige *Kolonien van Weldadigheid* metterdaad is getoond.

En waar konden wij een luisterrijker voorbeeld ten betooge van onze ftelling vinden, dan daar, op dien weleer zoo vergeten grond, dat merkwaardig uitwerkfel van menfchelijk vernuft en fchrander overleg? — Men had zich het fchoonfte doel voor oogen gefteld: men wilde de woeste heide in vruchtbare velden herfcheppen en zoo de aarde voor hare bewooners vergrooten. Nu befchouwt men de landftreek met oplettendheid, ziet de ligging en hoogte der wateren, peilt de diepte van den bruikbaren bodem, onderzoekt de beftanddeelen der onderfcheidene gronden en — reeds is het geheim gevonden! Diepe graften doorfnijden de oppervlakte der aarde en drenken de omliggende ftreek; het opmerkzaam vernuft mengt fchelpkalk door de al te vaste gronden, verbetert

den veengrond met zand en maakt den bodem vruchtbaarder door zijne eigene beſtanddeelen.

O ſlaan wij toch ſteeds het oog opmerkzaam om ons heenen! Wie weet, welke ſchatten er nog in onzen Vaderlandſchen grond bedolven liggen? Wie kent de grenzen van het menſchelijk vernuft en van zijnen vindingrijken geest, wanneer de Natuur deze geleidt op den weg, door haar zelve aangewezen?



IV. Hoe gaarne zoude ik, geachte Hoorders, door dit voor mij zoo bekoorlijk onderwerp weggeſleept, nog langer bij deze vertroostende beſpiegelingen vertoeven; doch andere beſchouwingen wenken mij en, door den overvloed van zaken en de beperktheid des tijds gedrongen, kan ik alleen enkele hoofdpunten aanroeren en moet vele wetenswaardige bijzonderheden met ſtilzwijgen voorbijgaan. Ik gevoel dit vooral bij de overweging van het belang der kennis van de Vaderlandſche, wilde of gekweekte, gewasſen, voor onzen landbouw. Hoeveel is hier niet op te merken, hoeveel te leeren en te onderzoeken! Wat al verſcheidenheden onder onze gekweekte boomen en planten! Wat al verſchillende ſoorten van gronden, welke ieder gewas bij uitſluiting verlangt! Wat al moeilijkheden in de kweeking derzelve, wat al duisterheid bij derzelver *Botaniſche* kennis en hoe weinige zijn niet de hulpmiddelen, die hier den Nederlander het juiste ſpoor aanwijzen!

Indien men in de gelegenheid was, om onze granen, onze peulvruchten en andere uit vreemde landen herkomſtige planten, in hun oorſpronkelijk Vaderland in het wilde te zien groeijen, wij zouden gewis nog vele belangrijke verbeteringen in onzen Nederlandſchen landbouw kunnen invoeren, door aan onze bouwplanten, zooveel mogelijk, denzelfden bodem te verſchaffen, als dien, waarin de Natuur haar het eerſte voortbragt. Wij kunnen dit werkelijk doen bij ſommige ſoorten, welke in ons eigen land in het wilde voorkomen en wij volgen den wenk der Natuur, wanneer wij b. v. de *Spurrie* aankweeken in de ſchrale heidegronden van Gelderland, waar zij tevens van Natuur in menigte voorhanden is.

Wanneer wij eenige onzer nuttigſte inlandſche planten, de *Grasſen*, beter

kenden en wisten te onderscheiden, wij zouden voorzeker de beste en voedzaamste soorten kunnen uitzaaijen en niet zooveel nutteloos kruid in onze graslanden toelaten. Wij zouden, indien wij overtuigd waren, dat het *Raijgras* (Lolium perenne) onder de voortreffelijkste Grassoorten behoorde, dit niet met veel moeite uit andere landen ontbieden, daar ditzelfde *Raijgras* hier zoo algemeen is, dat er bijkans geene streek in Nederland is te vinden, waar dit gewas niet in grooten overvloed wordt aangetroffen.

Eene menigte van wilde planten, welke doorgaans met den algemeenen, en weinig onderzoek vorderenden, naam van *onkruid* bestempeld worden, zijn dikwijls in de huishouding der Natuur van het hoogste gewigt en van dadelijken invloed op den landbouw. Vele soorten van inlandsche planten kunnen, in tijd van nood, tot voedsel voor mensch of vee verstrekken, andere dienen hem tot kleeding of brandstof, andere eindelijk om de ziekten, aan zijne landstreek eigen, te genezen (8); zoodat ik wel eens het denkbeeld heb gemeend te mogen uiten, dat door de eigene planten en dieren onzer landstreek in al onze *volstrekt noodzakelijke* behoeften zoude kunnen worden voorzien.

Is het niet vreemd en schier onbegrijpelijk, dat de Nederlandsche landman zich niet meer op de kennis onzer inlandsche planten toelegt; daar deze overal om hem groeijen, bijna ieder plekje, dat hij onbezet laat, dadelijk innemen en hierdoor den meesten invloed op de teelt zijner gewassen uitoefenen. — De beroemde BRUGMAN's heeft opgemerkt, dat sommige planten door schadelijke uitvloeisels uit hunne wortels den wasdom van anderen benadeelen. Andere plantsoorten tieren daarentegen welig in elkanders bijzijn en schijnen zich wederkeerig te helpen en te beschermen. Welk sterveling kent genoegzaam de oorzaak van deze handelingen der steeds werkzame Natuur? Wien zal het gegeven zijn, haar geheimenis voor zich en anderen te ontsluijeren?

Maar, is het ons niet vergund, de oorzaken dier verschijnselen te doorgronden, wij kunnen hare uitwerkselen zien, en, naar deze kennis handelende, vele voordeelen genieten, vele nadeelen voorkomen.

Zoo is het beste middel om de voor den landbouw schadelijke planten te verdelgen, of hunne vermenigvuldiging te keer te gaan, ligtelijk te vinden, wanneer men derzelver aard en groeiwijze kent en hen, volgens dien leiddraad, poogt te weren. In die streken, waar de zoogenoemde *Hermoës* of *kwade aard* (Equisetum palustre) der veeteelt groot nadeel toebrengt, heeft het landvolk den groei

en de voortplanting van dit verderfelijk onkruid befpied en gezien, hoe zijne wortels vijf of zes voeten, en foms nog dieper, in den grond indringen en door geen uitfteken te verdelgen zijn. Vandaar, dat zij, door het delven van zeer diepe, of zoogenaamde *kwade aard-slooten*, de verdere verfpreiding van den *Hermoes* ftuiten en de plant tevens van boven, door eene goede behandeling en bemesting van het land, door den meerderen wasdom der gras-zode, als het ware trachten te doen verftikken.

Het groot gewigt der Vaderlandfche Plantkunde voor de kennis der gewasfen, die onze wei- en hooilanden uitmaken, en waaronder vele foorten inderdaad fchadelijk zijn, valt voorzeker een ieder in het oog. Doch fteunt deze kennis bij ons op vaste gronden? Is de landman genoegzaam in ftaat, om de voor hem zoo belangrijke gewasfen, die tot een gezond voedfel aan zijn vee verftrekken, behoorlijk van andere minder nuttige of zelfs fchadelijke planten te onderfcheiden? — Moeten wij niet veeleer erkennen, dat wij, bij die algemeene verfpreiding van kennis en befchaving, waarop ons Vaderland met regt roem draagt, van de toepasfing der *Plantkunde* op onze Vaderlandfche landhuishouding nog zeer weinig weten? Er zijn, wel is waar, enkele verfpreide ftukken die uitmuntende waarnemingen bevatten, doch er is hier nog geen geheel, en de, in hare toepasfingen zoo vruchtbare Plantkunde, is bij ons nog niet algemeen onder de landlieden bekend.

Eerst in onze dagen is door eene hoogstverdienftelijke Maatfchappij, die zich de zedelijke en verftandelijke befchaving harer Landgenooten tot het edel doel harer pogingen voorftelt, de zamenftelling eener *Volks-Plantenkunde*, als prijsftoffe, opgegeven. Mogt het haar gebeuren, dat bevoegde fchrijvers, van haar nuttig oogmerk overtuigd, zich haastten, om ook te dezen aanzien aan hare uitnodiging te beantwoorden en de opgegevene taak te voldingen! Dit zoude voorzeker eene parel te meer zijn aan de rijke eerekroon, waarmede zij nu reeds voor onzer aller oogen fchittert (9)!

Nooit genoeg kan het den landman voor oogen gehouden worden, dat hij, in den geheelen omvang van zijn bedrijf, de Natuur moet raadplegen en alle hare lesfen getrouwelijk navolgen.

Bij het aanleggen van houtplantfoen rigte hij alles naar den eigenen aard van iedere boomfoort in. Hij plante woudboomen bijeen, even als zij oorfpronkelijk in de bosfchen gevonden worden, en wage hen niet op onbefchutte plaatfen,

waar zij voorzeker minder wel zouden slagen. Anderen zijn, door hunne natuurlijke standplaats, meer aan wind en koude gewoon en kunnen dus, met meer nut, langs opene wegen geplant worden.

Belangrijk is de houtteelt inzonderheid op onze nog onbebouwde heidegronden, welke hierdoor eenen aanvankelijken graad van vruchtbaarheid verkrijgen, die hen naderhand tot meerdere bebouwing geschikt maakt. Ook hier kan men een begin maken met het aanplanten van die houtsoorten, welke reeds van natuur op diergelijke gronden aanwezig zijn. Berken en dennen zullen den grond voorbereiden, waarop naderhand eiken en beuken zooveel te weliger zullen opwassen.

In welk een vertroostend licht doet zich hier niet de beoefening van onze inlandsche Plantkunde op, wanneer wij nagaan, dat er, in onze Noordelijke Gewesten alleen, nog meer dan 600,000 bunders woeste heide of zand gevonden worden, welke verbazende uitgestrektheid, door toenemende beplanting, vooral met onze inlandsche houtsoorten, voorzeker konde beperkt worden. — Ik voor mij reken de houtteelt op alle plaatsen en in alle streken van ons land, waar de omstandigheden dit maar eenigzins gedoogen, niet alleen voor het belang, maar ook voor de stellige pligt van elken weldenkenden burger, daar wij hierdoor niet alleen het aanvoeren van uitheemsche brandstof, ten voordeele van onzen handel kunnen verminderen, maar tevens het nadeel verhoeden, hetwelk ons door de onophoudelijke vergravingen onzer *lage veenen* gedurig wordt toegebragt en hetwelk vele landen in onafzienbare poelen doet veranderen. Het is waar, diezelfde Plantkunde leert ons, welke gewassen het voornamelijk zijn, waardoor de wederaangroei van het veen wordt bevorderd; doch die aangroei is zoo langzaam, dat hij niet kan opwegen tegen de vernielende kracht, waarmede wij, in den boezem van ons eigen land omwroetende, zooveel lands in water herscheppen!

V. Mijne rede spoedt ten einde. Ik heb met U de kennis van luchtstreek en grond en gewassen in hunnen invloed op het landbedrijf beschouwd. De Dieren, die ons helpen in onze werkzaamheden, die ons ligchaam voeden, ons kleeden

en da, anders eentoonige, ſtilte der Natuur verlevendigen, mogen ons in de laatſte plaats bezig houden.

Zoowel de Dierſoorten, die tot hulp van den landbouw van elders zijn ingevoerd, als de oorſpronkelijke bewoners dezer ſtreken zelve, komen hier in aanmerking. Of zoude het onze belangſtelling niet wekken, te weten, welke rasſen van Rundvee in onze verſchillende Gewesten te huis behooren, en waar zij met de meeste zorg worden in ſtand gehouden; waar de beste ſchapen zijn; in welke ſtreken het edel paard uitmunt, waar, met één woord, alle die bronnen van landelijke welvaart het best en het zuiverst vloeijen? Het is van belang, te weten, wat bij de overbrenging van het vee uit de eene ſtreek in de andere moet in het oog gehouden worden; welke de algemeene oorzaken van hunne ongeſteldheden zijn; welke ziekten beſmettelijk worden en zoovele andere onderwerpen, waarvan een algemeen begrip voor den landman onmisbaar mag geacht worden.

De kennis der natuurlijke Geſchiedenis van elk dier, in verband met die van ons eigen land zal vooral dan onze zorgen beloonen, wanneer wij eenige dierſoort uit andere oorden in de onze willen overbrengen, of onze inlandſche ſoorten, door eene oordeelkundige kruiſing der rasſen wenſchen te veredelen. De landman lette vooral op de natuurdrift van elk dier, welke zij ook in ſlavernij nimmer verloochenen. Of was niet de nabootſing der aan de bijën eigene natuurdrift de oorſprong der thans zoo voordeelige bijënteelt? De mensch zag hunne huishouding en de vruchten hunner regelmatige maatſchappijen. Hij lokte hen in ruimere woningen, verzorgde hen van geſchikt voedſel, gaf hun eene betere gelegenheid om hun inſtinkt te volgen en, ziet daar, de vrucht van hunnen arbeid werd de zijne! Zoo weet hij zich, op eene andere wijze, indien het mij vergund is, U ook met ſchijnbaar geringe voorbeelden op te houden, door eene kleine oplettendheid, het onderhoud zijner hoenders min kostbaar te maken, door hen in den boomgaard te houden, waar zij in eene menigte van Inſekten of Inſekten-eijeren een deel van hun voedſel vinden en tevens de vruchtboomen voor hunne ſchadelijkſte vijanden beveiligen.

Elk dier volgt zijne ingeſchapene natuurdrift onveranderlijk, doch de mensch, met hooger geestkracht begaafd, weet dezelve naar willekeur tot zijn voordeel te leiden, zonder dat de, op lager trap van ontwikkeling geplaatſte, Dieren het

oogmerk zijner handelingen kunnen overzien. — Zoo kan hij de vijandelijke Natuur van het eene Dier tegen het andere met groot voordeel gebruiken, om de hem nadeelige foorten te verdrijven. De Natuurlijke Gefchiedenis onzer inlandfche Dieren en vooral der Vogelen en Infekten geven ons hier eene menigte merkwaardige voorbeelden, waarvan fommigen te algemeen bekend en gewaardeerd zijn, dan dat ik daarvan zoude mogen gewagen. Doch er zijn evenwel nog vele punten in de natuurlijke historie dezer Dieren en vooral in die der Infekten, die onze tuingewasfen en ooftboomen benadeelen, welke nog niet algemeen genoeg bekend zijn. Hoe vele onfchuldige Vogelen worden er niet jaarlijks, ik zegge niet aan ons nut, maar aan ons vermaak, ja zelfs aan onze grillige luimen en aan beuzelarijen opgeofferd! Hoe vele Vogels, waarvan ik flechts de door het verdelgen der Infekten zoo nuttige Spechten, Koolmeezen, Nachtegalen en anderen wil aanvoeren, zien niet hunne nesten verdelgen, of vallen zelve in de menigvuldige hinderlagen, waarin het menfchelijk vernuft deze weerloze fchepfelen dagelijks opvangt! Is dit het gebruik onzer verhevene menfchelijke rede, dat wij de huishouding der natuur verftoren en om het najagen van een nietig tijdverdrijf die fchepfelen vernielen, welke ons zelven de grootfte dienften kunnen bewijzen? Mogen wij zoo geheel het heilzaam evenwigt miskennen, waardoor eene zorgende Voorzienigheid iedere foort van fchepfelen in ftand houdt, en zijn wij door het verbreken van dit natuurlijk evenwigt niet veelal zelve de oorzaak van de buitengewone vermeerdering van fommige fchadelijke dierfoorten?

Men heeft de Natuurlijke Gefchiedenis dikwijls te last gelegd, dat zij, in vergelijking van andere wetenfchappen, zoo weinig dadelijk nut ftichtte. Doch M. H. zal dit gevoelen wel eenige wederlegging behoeven, wanneer wij flechts een gedeelte van het Dierenrijk, de Infekten, befchouwen en wij in de kennis van derzelver zonderlinge huishouding, van derzelver voeding en geaardheid en van het verband, waarin zij tot andere Dieren ftaan, met een woord in derzelver Natuurlijke Historie, de eenigfte middelen ontwaren, om onze rijke oogften, onze hoven en onze volgeladen boomgaarden voor de verwoestingen dezer dieren te beveiligen?

De opmerkzame Waarnemer der Natuur, aan wien zij alleen hare geheimenisfen openbaart, vindt eindelijk ook nog in de kennis der Dieren merkwaardige kenteekenen voor de aanftaande veranderingen des weders. Hun fijn gevoel of

hooger gespannen instinkt waarschuwen hen bij voorraad. Het onderscheiden geluid van sommige Diersoorten duidt een nakend onweder of groote warmte aan. De aankomst of het verhuizen onzer trekvogelen voorspelt ons de op handen zijnde verwisseling der jaargetijden. Bij het naderen van eenen strengen winter graven de, in holen zich ophoudende, Dieren, hunne woningen dieper en zijn de hazen in zwaarder vacht gehuld, de vinken en ander gevogelte met digter pluimen bekleed; als waren zij toen reeds tot eene strengere beproeving voorbereid.



Al hetgeen ik tot nu toe in het algemeen over de natuurlijke Geschiedenis onzes Vaderlands aanstipte, als het voorname hulpmiddel van de welvaart des landmans, zal ons dan inzonderheid te stade komen, wanneer wij den Akkerbouw hier te lande, door de uitvindingen elders gedaan, willen verrijken of verbeteren. Hoe vele misslagen worden er in dit opzigt niet begaan, door het onvoorwaardelijk toepassen van gebruiken, elders gebezigd, op onzen landbouw, in onzen grond en in onze luchtstreek? Elk land heeft te dezen aanzien iets eigenaardigs, hetwelk men met fijngesponnen redekavelingen niet kan wegredeneeren en hetwelk zich nooit straffeloos laat verwaarloozen.

Ik voor mij, zoude onze laaggelegene voortreffelijke weilanden voor geene *Kunstweiden*, hoezeer ook elders aangepresen, willen verwisselen. Ik zoude geene *vreemde Theorien*, of zelfs aldaar door de ondervinding als nuttig bewezene gebruiken, op onzen landbouw willen overbrengen, zonder die eerst aan de kennis van den natuurlijken toestand onzes Vaderlands te hebben getoetst. Deze wijst ons den weg, dien wij moeten inslaan, en gelukkig hij, die dien wenk der Natuur verstaat en onbevooroordeeld volgen mag!

Wanneer ik in eene mij geheel vreemde streek als landbouwer werd geplaatst, ik zoude beginnen, met blindelings de aldaar in zwang zijnde handelwijze te volgen; doch ik zoude tevens de natuur van land en lucht trachten te leeren kennen en, op dien grondslag over oorzaken en gevolgen nadenkende, van trap tot trap mijne verbeteringen invoeren en ik houde mij verzekerd, dat dan geene verkeerde uitkomsten mijne verwachting zouden te leur stellen.

Dat ook op ons Vaderland de Natuur haren eigen stempel heeft gedrukt en het verbreken daarvan niet straffeloos gedoogt, zal ik thans niet behoeven te bewij-

zen, doch ik wil nog een enkel voorbeeld ter opheldering aanhalen. — Men beschouwe den zoo hooggeroemden landbouw in Engeland. Hoeveel voortreffelijks hij ook, in dat land, moge bezitten en hoeveel goeds er ook voor ons uit ware over te nemen, men wane echter niet, dat hij in zijn geheel in ons land zou kunnen of behooren te worden overgebragt. Of zoude men dan niet tevens die luchtstreek en dien grond moeten hebben, van de onze zoozeer verschillende; zoude men dan niet onze kleine landeigenaars pachthoeven moeten geven, zoo uitgebreid als die der Engelschen, welke wel enkele personen rijker maken, doch der welvaart van het geheel niet altoos bevorderlijk zijn? Of heeft het de ondervinding niet bewezen, dat onze landbouw, naar evenredigheid der oppervlakte van den bouwbaren grond, *meer* opbrengt, dan de Engelsche? Eene uitkomst, welke velen vreemd zal voorkomen, doch die evenwel op eene naauwkeurige berekening gegrond is (10).

Rekenen wij ons dan gelukkig, dit gezegend Vaderland, hetwelk zoo ruim in alle onze behoeften voorziet, te bewonen en spannen wij alle onze krachten in, om de welvaart van hetzelve, waar wij kunnen, te vermeerderen en den landbouw, dien hechten grondslag van ons Volksbestaan, in alle zijne deelen te leeren kennen, te doorgronden en, met vereenigde pogingen, tot hooger en hooger volkomenheid te brengen!

Geen Nederlander schame zich deze pogingen! en hij, die, aan de hand der Natuur, ook op deze wijze zijn vernuft en alle zijne andere vermogens, aan de welvaart van dit ons gelukkig Vaderland, regt dienstbaar weet te maken; hij voorzeker zal in die welvaart, bij eigen roem en voordeel, vruchten plukken, die hem zijne vlijt en opofferingen dubbel zullen beloonen en vergoeden!

De algemeene bevordering van het goede, ook ten opzigte van den landbouw, was mede aan U aanbevolen, Edele Grootachtbare mannen, aan wien de zorg voor deze Hoogeschool door Z. M. onzen beminden Koning is toevertrouwd. Gij gaaft dan ook de overtuigendste blijken, dat Gij deze Wetenschap als Wetenschap voorstaat en haar, om hare eigene waarde, bevordert. Mogt zij, met de haar aanverwante takken van menschelijke kennis, onder Uw

toevoorzigt, aan deze Hoogeschool blijven bloeijen en mogt ik gelukkig genoeg zijn, om, in het mij toebetrouwde vak, Uwe heilzame bedoelingen niet geheel en al te leur te stellen. Mogt ik eenmaal in staat zijn, om de plaats van mijnen beroemden, der Wetenschappen te vroeg ontrukten, Voorganger op eene voldoende wijze te vervullen en door eene getrouwe nakoming der mij opgelegde pligten en door inspanning van alle mijne krachten dit hoogverheven doel mijner pogingen eenigzins te naderen! Ondersteunt mij daartoe bestendig met die achtbare en opbeurende toegevendheid, welke teregt de Zuster der Wijsheid wordt genoemd, en vereert mij met een deel van die veelvermogende bescherming, welke deze beroemde Hoogeschool bij U altijd heeft mogen ondervinden.

Aan U, hooggeachte Ambtgenooten, bevele ik mijne jeugd en mindere ervaring, als aan zoo vele welwillende en veilige gidsen aan, terwijl ik zal trachten Uw spoor, op den weg van menschelijke kennis en Wetenschap, na te volgen. Vergunt mij Uwen raad te vragen, waar mijne mindere kundigheden dien voorzeker zullen behoeven. Ik gevoel al het belangrijke van den mij aangewezen leerstoel, in dit Gewest, meer nog dan elders in Nederland, van de hoogste aangelegenheid. Ik huiver op het denkbeeld dat ik mede geroepen ben, om den welverdienden roem dezer vermaarde Hoogeschool met U te helpen handhaven; doch ik gevoel mij tevens, door de voorkomendste verwelkoming in deze gastvrije stad en door Uwe medewerking, waarmede ik mij meen te mogen vleijen, opgebeurd en bemoedigd. O Gij, die mij nog jong in Uwen kring opneemt, den vreemdeling burger noemt, den naauwlijks bekenden als vriend wilt beschouwen, neemt mijnen welgemeenden dank, voor zoo vele door U reeds betoonde bewijzen van welwillendheid, aan. Opgenomen in Uwen edelen en wijzen kring, hope ik eenmaal waardig te zijn, een Ambtgenoot en Broeder, Uwer waardig, genoemd te worden.

En Gij, voortreffelijke Jongelingen, voor wien ik mede tot voorganger op den weg der Wetenschappen en der eere geroepen ben, dat wij, vereenigd en blijde dien weg bewandelende, volijverig tot het gemeenschappelijk doel onzer pogingen voortstreven! Een gering verschil van jaren ons niet scheidende, zal voorzeker geen verschil van stand ons kunnen verdeelen. Laat ik niet alleen Uw raadsman, laat ik meer, laat ik Uw vriend zijn en laten wij elkander, als vrienden, in de beoefening der Wetenschappen ondersteunen. — O, elk onzer zal die hulp wel behoeven! De weg, die naar den tempel van ware kennis en wijsheid

leidt, is niet overal even effen en gemakkelijk; maar het doel is heilig en doet elken weldenkenden in geestdrift ontvlammen. Welaan dan, ſnellen wij te zamen, met vereenigde krachten, dat heilig doel te gemoet en mogten alle vrienden van het goede en ſchoone onze pogingen toejuigchen!

De Almagtige verhoore daartoe mijne bede! Hij vervulle onze wenſchen! Hij breide den geleerden roem dezer Hoogeſchool ſteeds verder en hooger uit en bevordere door haar inzonderheid zijn verheven en Goddelijk oogmerk van algemeene beſchaving en ware verlichting onder het Menschdom!

AANTEEKENINGEN.

(1) Volgens de merkwaardige proeven van den Hoogleeraar P. DRIESSEN, wordt er in de zeelucht dikwijls eene merkbare hoeveelheid vrij *acidum hydrochloricum* aangetroffen en is de zeelucht zoo hierdoor, als door andere eigenschappen, van de lucht uit het midden des lands verschillend. — Men zie hierover een belangrijk stuk van den te vroeg overledenen Scheikundigen J. C. DRIESSEN, *de acidi muriatici praesentia in aëre athmosphaerico in Journ. für Chemie* N. R. VI, 2. p. 139—156. — Alg. Kunst- en Letterbode 1803. p. 361—365.

(2) De onweders en hagelbuijen komen op de eene plaats in ons land veel menigvuldiger voor, dan op de andere. — Het zoude niet onbelangrijk zijn, om de *hagelafleiders*, waarop onze bekwame landgenoot A. VAN BEEK (Alg. Kunst- en Letterbode 1825. bl. 394—397) ons onlangs opletted heeft gemaakt, aan eene nadere beproeving in ons Vaderland te onderwerpen. Dit onderwerp toch verdient alle aandacht, indien men in aanmerking neemt, hoe groot en algemeen de schade is, welke bij ons jaarlijks door hagelslag wordt veroorzaakt, gelijk uit de jaarlijksche Staten van Landbouw genoegzaam blijkt. Men vergelijke die van 1806, § 12 en 42; 1807, § 1, 3, 8, 12, 19, 20 en 42, in welk jaar de schade alleen in Gelderland werd begroot op *f* 150,000. In het jaar 1808 (Staat § 42) berekende men de geledene schade in het kwartier van Zutphen op meer dan *f* 244,000 en in de omstreken van Nijmegen op bijna *f* 100,000. Men zie voorts den Staat van den Landbouw in 1809, § 2 en 42; 1810, § 2; 1813, § 3, 8 en 42, wanneer het verlies in het gewest Groningen op meer dan *f* 150,000 geschat werd; 1816, § 41; 1817, § 42; 1818, § 42; 1819, § 1, 3, 12 en 42; 1820, § 1 en 13; 1821, § 1, 3, 8, 12 en 42; 1822, § 42, in welk jaar men in Luik bij de *f* 150,000 meende verloren te hebben; 1823, § 12 en 42; en 1824, § 4, 8, 21 en 42. Ook in de jaren 1825 en 1826 zijn, gelijk wij reeds voorlopig uit de nieuwspapieren weten, aanmerkelijke schaden door hagelslag veroorzaakt. Na 1816 is er dus geen jaar voorbijgegaan dat wij in dit opzigt niet meer of minder hebben geleden en van al de jaren, waarvan wij de geschiedenis van onzen landbouw bezitten, zijn de jaren 1814 en 1815 volstrekt de eenige, in welke wij van rampen door den hagel veroorzaakt, niets in de Staten van Landbouw aangeteekend vinden. Indien genoemde *hagelafleiders* op de

proef goed werden bevonden, zoude men, uit de vergelijking der kosten van derzelver oprigting en onderhoud, met het middengetal der jaarlijksche schade, door den hagel veroorzaakt, ligtelijk kunnen berekenen, in hoeverre de oprigting derzelven voor den landbouw al dan niet raadzaam ware.

(3) Men leze hieromtrent de Redevoering van mijnen hooggeachten leermeester en vriend den Hoogl. J. KOPS, *over den Noord-Nederlandschen bodem, als meer geschikt voor den landbouw, dan die van vele andere landen van Europa.* Amsterdam 1821, bl. 5 en 6.

(4) In de rampspoedige jaren van 1816 en 1817, waarin het vreesselijk aantal van 388,868 schapen in ons Koningrijk, ten gevolge van de langdurige vochtige luchtgesteldheid, is omgekomen, is er in Zeeland en op het eiland Texel nog zeer veel behouden, door de schapen op de ziltige buitengronden te doen weiden; hetgeen vooral zigtbaar was onder *Bruinisse*, waar een schaaphoeder, ziekte bespeurende onder zijne schapen, die binnendijks geweid werden, dezelve spoedig genas, door hen op de *schorren* of buitendijksche landen over te brengen. Men vergelijke den Staat van den Landbouw gedurende den jare 1817, opgemaakt door den Hoogleeraar J. KOPS. § 36.

(5) Men vergelijke A. THAER, Grundsätse der rationellen Landwirthschaft. Berlin 1809, I. bl. 40—42.

(6) „Sed tamen alternis facilis labor: arida tantum
„Ne saturare fimo pingui pudeat sola; neve
„Effoetos cinerem immundum iactare per agros.
„*Sic quoque* mutatis requiescunt foetibus arva,
„Nec nulla interea est inaratae gratia terrae"

VIRGILIUS, Georg. I. v. 79—83.

(7) Zelfs zeer zware kleigrond, welke oogenschijnlijk alleen uit klei schijnt te bestaan, bevat nog altoos eene vrij groote hoeveelheid zand en zoude, zonder dezelve, geheel onhandelbaar zijn.

(8) Het een en ander hiertoe betrekkelijk heb ik gepoogd bijeen te brengen, in mijne verhandeling: *Hoofdtrekken der Natuurlijke Historie van Noord-Nederland* bl. 23; te vinden in den *Recensent ook der Recensenten* Jan. 1825.

(9) Het zal niet noodig zijn te herinneren, dat hier de verdienstelijke Maatschappij *tot nut van 't Algemeen* bedoeld wordt, die reeds meer diergelijke vragen heeft opgegeven, ten einde de wetenschappen meer algemeen bekend en van meer dadelijk nut in het praktische leven te doen zijn.

(10) Men leze het stuk van den Generaal J. VAN DEN BOSCH in het maandwerk *de Star* 1819, bl. 293 - 299.

GABINI DE WAL

ORATIO

DE

PHILOSOPHICA IURIS DOCTRINA,
HAC NOSTRA AETATE MULTIS
INIUSTE CONTEMTA;

PUBLICE DICTA GRONINGAE DIE XXI DECEMBRIS MDCCCXXVI,

*QUANDO MAGISTRATUS ACADEMICI
MUNERE ABIRET.*

ACADEMIAE CURATORES, VIRI NOBILISSIMI, GRAVISSIMI!

QUI CURATORIBUS AB ACTIS ES, VIR SPECTATISSIME!

DOCTRINARUM QUARUMCUNQUE PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!

SACRI CODICIS INTERPRETES AC PRAECONES FACUNDISSIMI!

QUARUMCUNQUE DISCIPLINARUM DOCTORES, CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, ACUTISSIMI!

AUDITORES CUIUSCUNQUE ORDINIS AC LOCI, ACCEPTISSIMI, GRAVISSIMI!

VOS ETIAM IUVENES PRAESTANTISSIMI, QUI AD INGENII ET ERUDITIONIS LAUDEM CONTENDITIS, PATRIAE, PARENTUM ET PRAECEPTORUM SPES ATQUE EXSPECTATIO.



Saepius, quando Oratorem Academicum rostra conscendentem intuebar, mecum cogitare coepi de provinciae suae difficultate. Oportet enim eum dicendi argumentum sumere, quod neque alienum est a disciplina, ad quam iuventutem instituit; neque, ad popularem intelligentiam minus accommodatum, aegre tantum mente capiatur ab iis, qui diversis studiis sunt dediti. Quam expeditum sit ipsi in audientium reprehensionem incurrere, neminem fugit. Si enim tale quid eligat, quod captu facile, auribus non ingratum, neque ab omni venustate destitutum, iis placeat, qui hospites sunt in disciplina, dicenti prae

aliis culta; ſi hanc disciplinam efferat ab utilitatibus, quas praebet; ſi disputet de vinculo, quo aliis doctrinis coniungitur; ſi eius historiam adumbret vel inde partem aliquam ſibi ſumat; ſi primarium quendam eius cultorem laudet, ut aliis ſit exemplo; ſi, inquam, tale quid eligat, forte probabitur in vulgus eruditorum hominum et plauſus illi impertientur ab omnibus, quibus laetum accidit, orationem ipſis auditam non tantum esſe, verum etiam intellectam. Severius autem illi iudicabunt, qui, rerum peritiores, ea magis appetunt, quorum altior est indagatio. Hi igitur dolebunt non ex intimis doctrinae recesſibus ac veluti latebris repetitum esſe disputationis argumentum, unde monſtret Orator, quid in disciplina ſua valeat; indignabuntur, e ſuggestu academico, lectisſimae doctorum virorum coronae, ea proferri, quae vel in compitis audiantur, vel non arguant cumulatiorem dicentis eruditionem. — Hanc provinciae moleſtiam non tantum experiuntur, qui Theologiam, Medicinam, Philoſophiam, Mathematicam, Phyſicam, aliamve ſimilem doctrinam profitentur, verum ea Iureconſultos etiam afficit. Quando autem eam cogitatione complectebar, de eligendo concionis argumento occupatus, maxime me commotum ſenſi, cum perſuaſisſimum haberem, multos fore, ſive iidem ſtudii generi deditos, ſive aliud exercentes, quibus illud non posſit non displicere. At vero commotionem animi tantum ſenſi, non vero demisſionem. Audaciam non quidem excitavit virium mearum fiducia, ac ſi ad ſubterfugienda pericula habilius mihi esſet ingenium! Imo longe alia fuit tranquillitatis cauſa! Ex eo enim, quod de perſonae, quam nunc ſuſtineo, difficultate, mihi ipſi perſpectisſima, Auditores ante commonui, confido, paratiorem fore humanitatem eorum ac benevolentiam, qua ut dicentem proſequantur, omnes obtestor atque obſecro.

Magistratu igitur annuo me abdicaturus, ut mori recepto ſatisfaciam, verba facere conſtitui *de Philoſophica Iuris Doctrinâ, hac nostra aetate multis iniuſte contemta.* Accipite A. A. quare hoc argumentum mihi placuerit. Ipſe ille annus, quo Rectoris munus capesſivi, ducenteſimus erat ab eo, quo ſummus inter nostrates vir, HUGO GROTIUS, disciplinae figuram Iuri Naturali impoſuit, notionem iuris accurate exponendo, eius veritatem arguendo, eius principium indagando, eius primarias poſitiones explicando et tandem disciplinae, ita exſtructae, aliarumque, ipſi vicinarum, varietates distinguendo. Haec cogitatione complexus, eo ſponte ferebar, ut quae eius fata per duo ſaecula fuerint, memoria repeterem et in cauſas eorum, quae proſpera illi, quaeque adverſa ac-

ciderunt, mentem defigerem. Reminiscebar ipsi, per omne tempus illud; neque cultores ac laudatores, neque reprehensores atque inimicos defuisse, illos interdum nimios atque immoderatos, hos saepius vehementes atque iracundos. In eo quidem nostra aetas distat ab antiquiori, quod, qui Philosophicam Iuris Doctrinam vituperatione reprehendunt, ab opprobriis quidem et contumeliis sese abstineant, quibus olim et ipsa disciplina et eius doctores maligne petebantur; at in eo certa utraque convenit, quod aeque multi sint, qui eam odio habeant totamque reiectam velint, quique eius cultores vel despiciant, vel nescio qua miseratione prosequantur. Huius contemtus causas, quas alii dissimulant, alii apertius profitentur, investigare, eiusque rationes suo momento ponderare, et ab hoc loco, et a mea persona non alienum existimavi. Quid enim germanae iurisprudentiae cultori magis convenit, quam disciplinae, immerito vituperatae, molestias abstergere ac dignitatem restituere? Exemplo mihi sunt e popularibus nostris Iuris Doctores bene multi, qui timentes, ne Romani Iuris studio, omnibus iusto pretio non aestimato, detrimentum aliquando importaretur, eius causam fortiter egerunt. Quid, quaeso, philosophicae iuris doctrinae cultorem retinebit, quin horum agendi rationem sequatur et disciplinam suam defendat? Servata igitur, quae ingenuos omnes decet doctrinarum studiosos, animi moderatione, at simul ea usus dicendi libertate, sine qua nulla est veritatis disceptatio, sic argumentum tractabo, ut non singulorum iuris doctorum opiniones separatim exponam, sed universe dicam de sententiis eorum, qui philosophicae iuris doctrinae sese opposuerint; quoniam animus mihi non est hunc illumve oratione mea petere, sed disciplinae dignitatem tueri. Res autem meas ita agam, ut primum dicam de contemtus causis et occasionibus; dein rationes exponam, quibus utuntur adversarii earumque levitatem, ut ita Philosophicam Iuris Doctrinam ab iniusta despectione vindicem. Vos, A. A. dicenti faveatis!

Uti omnia in hoc orbe, ita etiam doctrinarum studia, fortunae vicissitudines experiuntur. Experta fuit inter primas Philosophica Iuris Doctrina. Postquam enim GROTIUS eam exornaverat, suis, uti monui, nunquam cultoribus, nunquam etiam obtrectatoribus caruit. Horum numero, per omne tempus, insignes fuerunt, qui in illustrando Iure Romano omnem operam collocantes, huius studio nulla non mala ab exculto iure naturali metuebant. Hoc mirum videri poterit, A. A. si quidem ipsum illud Ius Romanum, longe maximam partem, a ratione, non ab arbitrio, profectum, philosophiae est plenissimum,

atque ideo illud cum philoſophica iuris doctrina in multis amice conſpirare atque inde illustrari oporteat. Licet profecto inter Iuris Romani patronos multi fuerint angusti homines, qui adverſus ea declamaverint, quae ignorabant, nil aliud timentes, quam ne ſua, qua pollebant, doctrina vel dignitate imminueretur vel cultorum numero, caveamus tamen, ne metum illum, ſine ulla ratione illatum dicamus. Fatendum enim est, philoſophiae ſtudium Iuri Romano omnino nocuisſe. Fuerunt enim e recentioribus, qui ſuam philoſophiam in Ius Romanum intulerint; qui notiones, priscis incognitas, ipſis velut invitis obtruſerint, quique, ut probarent, ſuam ſapientiam eandem esſe, quae olim fuit veterum Iureconſultorum, horum loca ita per interpretationem contorſerint, ut tota cum novis philoſophorum placitis esſent conſentanea, ab intelligentia vero ſenſuque auctorum ſuorum quam longisſime abhorrerent. Talem per iuris philoſophiam ius civile illustrandi, vel potius corrumpendi, morem, hodie frequentiorem, quam quidem antea, merito metuisſe ac reſpuisſe ingenuos Iuris Romani cultores, inter peritos rerum arbitros nemo unus ibit inficias. Praeterea inter philoſophiae iuris ſtudioſos fuerunt, qui parum moderate res ſuas agentes, interdum alios facto ſuo excitaverint, ut in ipſos inveherent. De obtrectatorum enim calumniis ut plenius triumpharent, non tantum disciplinam ſuam ultra modum extulerunt, verum etiam, inſtituta utriusque doctrinae comparatione, iuris Romani laudibus, quantum poterant, detrahere ſtuduerunt. De iure igitur illo multa effutiverunt, partim ficta aperte, partim exaggerata. Totum illud Ius rudem indigestamque molem dixerunt, e partibus longe diverſis et male cohaerentibus conflatam, ſine ordine delectuque diſpoſitam, contrariis ſententiis repletam, incertam, ne ſagacisſimis quidem eius cultoribus penitus intellectam, aliaque multa eiusdem ſuavitatis. Suam autem disciplinam, ab ipſa ratione, omnis veritatis fonte, oriundam, excellentisſimam praedicaverunt dubiisque vacuam, utpote cuius doctrinae ſingulares, e certis principiis iusta argumentatione, ad Mathematicam rationem proxime accedente, derivantur. Hanc in Iuris conſtituti locum ſuffectam voluerunt, ut iudicantibus esſet norma, ſecundum quam lites inter cives dirimerent. His utinam Iuris Romani fautores non aliter obviam ivisſent, niſi civilis ſapientiae dignitatem et utilitatem ſtrenue tuendo et monſtrando, quantum praeſtet confiteri potius neſcire, quae neſciuntur, quam proferre, quae temeritatem produnt cauſamque ſuam male defendere. At quod in aliis reprehendebant ipſi admiſerunt, et, ad honorem

Iuri Romano conſervandum, non tantum adverſariorum calumniam obtriverunt et contuderunt, verum ipſam disciplinam, cui erant infesti, iisdem telis petiverunt, quibus alios contendisſe indigne tulerant. Hinc enata inter utriusque doctrinae cultores animorum contentio, qui, velut pars parti oppoſita, pro cuiusque dignitate, ſine ulla fere intermisſione, pugnaciter certaverunt. O, quantum ſatius fuisſet meminisſe e veteribus MARCUM CICERONEM, SEXTUM POMPONIUM, MUCIUM SCAEVOLAM, LABEONEM, MARCIANUM, PAPINIANUM aliosque principes Iureconſultorum, utriusque iuris praeceptis mentem imbutum habuisſe, eoque gloriam non interituram ſibi comparasſe! Quantum ſatius fuisſet, ſi moderatiorum atque optimorum Iureconſultorum vestigia ſequuti, probavisſent, utrumque ius, naturale et civile, ſuis dotibus esſe commendabile ſuaque utilitate inſigne, et ingenuum quemque iureconſultum ſine rubore alterutrum non ignorare, vel mediocriter tantum cognitum habere! Quantum ſatius fuisſet ſi GROTIUS, ULRICUS HUBERUS, NOODTIUS, SCHULTINGIUS, BYNKERSHOEKIUS, ELIAS LUSACIUS, et, qui recentiorem aetatem illustraverunt, CRASSUS et KEMPERUS, ſi gravisſimi et acutisſimi quique etiam inter extraneos Iureconſulti, iuris naturalis ac civilis ſcientia aeque conſpicui, omnibus fuisſent exemplo! Tunc certe de diverſarum ſcholarum asſeclis mentio non fuisſet iniecta, neque genuini praeceptoris alicuius clarioris discipuli ab aliis distincti fuisſent et ſeparati; tunc non opprobriis et calumnis quaeque adverſarios laceravisſet; ſed una omnibus culta fuisſet doctrina, per partes ſuas quidem diviſa, quarum vero nonnullae multis vel ſpretae non fuisſent, vel etiam penitus neglectae. — Ne vero putetis A. A. omnes, qui in unam quamdam Iureconſultorum ſcholam ſeſe coniecerunt, imprimis civilis ſapientiae ſtudioſos, bene convenisſe. Uti enim eos, qui mentem in iuris philoſophia exercebant, ſumma in ſententiis varietas ſecernebat, ita eos, qui ad iuris civilis ſcientiam ſeſe applicabant, non tantum ſegregabat ſimilis in opinionibus differentia; verum inter eos etiam erat controverſia de conſilio, deque via ac ratione, qua tractandum ſit ius Romanum. Ante tempus enim illud, quo clarisſima iurisprudentiae lumina, ANDREAS ALCIATUS, IACOBUS CUIACIUS, VIGLIUS AB AYTTA, HUGO DONELLUS, aliique viri excellentioris doctrinae, Romani iuris monumenta ex Historia et Antiquitate illustraverunt, omnibus recepta erat diffuſa commentandi ratio, quam BARTOLUM, ſaeculi quartidecimi iuris interpretem, auctorem habere ferunt, in eo imprimis occupata, ut omnis dis-

crepantia inter contraria iuris loca dividendo et distinguendo tolleretur, utque una esset sibique constans iuris doctrina, ad usum apta et accommodata. Iam ipsi iuris Romani doctores in partes oppositas abierunt. Altera voluit, ius illud, tanquam veteris aevi monumentum longe pretiosissimum, illuminataeque sapientiae testimonium, suae tantum praestantiae causa excoli atque illustrari. Altera ideo tantum in illud operam impendendam esse voluit, ut usui forensi inserviret causisque orandis ac iudicandis normam praeberet ac regulam. Non quidem negaverunt omnes, qui ad hanc pertinebant, elegantioris humanitatis cultum iurisprudentiae commodis consuluisse, causas legum enucleando, errores expungendo, depravata corrigendo. At simul perhibuerunt, longe alium finem Themidis alumnis esse propositum, quam veterum Iureconsultorum locis sanitatem restituere, et e fatis, moribus, institutis et lingua Romanorum, iurisprudentiae decus, ornatum, imo lucem afferre. Ad accuratam enim absolutamque iuris scientiam enitendum esse existimaverunt, ut, qui ad causas civium dicendas sese accingerent, quique ad lites dirimendas et ius suum cuique tribuendum vocarentur, habiles essent et idonei, iurisque principiis ad negotia inter homines accommodandis imprimis exercitati. Eos, qui flores sectabantur, ubi fructus erant legendi, utut cumulatae eruditionis laude florentes, utut ingenii divitiis aucti, ad res tamen gerendas parum aptos, imo magnas inter opes inopes et egenos esse censuerunt. Haec posterior iuris tractandi ratio, quae *practica* dici solet, magna rerum iudicatarum mole onerata magis, quam ornata, haec, inquam, iam olim vicit per Galliam et longe maiorem Germaniae partem. Prius vero in Belgio paucisque Germaniae tractibus diutissime stetit, donec tandem locum cedere fuerit coacta et elegantius iurisprudentiae studium, si quidem non penitus emortuum, certe languescens et moribundum videretur. — Per omne tempus non quidem defuerunt, qui de utraque ratione coniungenda monuerint, imo hoc nomine non exiguam laudem sibi compararint. At hoc ipsum temperamentum fecit, ut literarium et historicum iuris studium paulatim negligeretur, imo tandem desertum iaceret. Quos enim hoc studii genus delectabat, ii, si quidem amabant discipulorum frequentiam, cogebantur ad practicam docendi rationem sese accommodare, atque ea potissimum explicare iuris capita, quae usu adhuc valebant, omittere autem vel leviter attingere, quae Romanis erant propria, ab aevi recentioris moribus aliena, etiam ius publicum civitatis Romanae. Quin hic rerum eventus elegantiori iuris studio

ad interitum fuerit fatalis, nemo unus dubitare poterit et res ipsa monstrat. Per annos enim fere triginta, qui saeculum, quo vivimus, proxime praecesserunt, vix ullum exstitit iurisprudentiae elegantioris specimen, quod iis possit comparari, quae dederat aetas antiquior. — Ad hanc ita neglecti Iuris Romani causam accedebat alia, in eo posita, quod iura patriae originis, sive medii, quod vocant, aevi tempore condita, sive etiam serius recepta, olim parcius exculta, iam multorum diligentiam occupabant, quodque ea, quae usu etiamnum valebant, una cum causarum agendarum ratione, in iudiciis observata, iam publicis lectionibus exponebantur, quo factum fuit, ut multorum animi a Iure Romano fuerint avocati, quatenus illud iuri, tunc temporis usu vigenti, non cohaereret.

Ita res sese habebant, quando, versus saeculi proxime elapsi finem, duae res acciderunt, inter primas memorabiles, quibus factum, ut multi ad iuris philosophiam se converterint. Altera, eaque longe gravissima, est ingens illa, quam Gallia fuit experta, rerum publicarum conversio. Tunc enim ex umbraculis eruditorum in solem producta philosophica iuris doctrina, et, quae tantum in scholarum silentio disceptari solebant de iure hominum ac civitatum quaestiones, iam in publicis ac celeberrimis legislatorum consessibus agitatae fuerunt, et, audientibus omnibus, populari trutina examinatae. Quantum fecerit ea tempestate, animorum aestus atque agitatio, ut philosophia iuris multos voluptate sua blandiretur, vix tamen inde detrimentum accepisset Iuris Romani studium. Disciplinae enim, quaecunque illae sint, rite non excoluntur, nisi ab iis, qui sunt mentis tranquillae, turbarum civilium fluctibus non commotae. Iuris igitur philosophia, si quidem non alios nacta fuisset amatores, nisi quos urgebat negotiorum publicorum ardor, cum multis quidem communicata fuisset et latius patuisset, at doctorum virorum diligentiam a Iure Romano alieniorem non fecisset. Hoc vero accidit, quando Philosophiae Iuris principia ac fundamenta accuratius indagata et certius constituta fuerunt. Causam attulit alterum illud factum, de quo modo dicebam, nova scilicet philosophorum schola, quae, et discipulorum frequentia, et vi atque efficacitate, quam in omne doctrinarum genus exercuit, prorsus fuit insignis. Etenim non longe ante tempus illud, quo accidit in Gallia rerum conversio, condita fuit Critica philosophorum schola, medium locum Dogmaticam inter et Scepticam tenens, inde nomen repetens, quod velit, ante omnem doctrinae philosophicae exposi-

tionem, summa cernendi prudentia et iudicandi severitate disquirendum esse, quaenam sint prima omnis cognitionis elementa, quaeque eius acquirendae leges. Haec schola, primum occupata in mentis humanae contemplatione, dein etiam de liberis hominum actionibus secundum rationis normam regendis disputationem instituit, ita ut non potuerit, quin eius placita, uti in alias disciplinas, ita etiam in iurisprudentiam fuerint illata. Haec autem non ita pertinuerunt ad omnium partium momenta, neque ad singulares iuris doctrinas, verum ad ultimam earum stirpem summumque principium, ita ut de proprio disciplinae fundamento et de limitibus quibus ab aliis separatur, certius quam antea constiterit. Iam Philosophica Iuris doctrina, prae omni alia, hominum animos sibi conciliavit et devinxit, si quidem, cum quae nova moliebatur schola, eruditos alliciebant, tum vero manifestus philosophicae iuris doctrinae tunc temporis effectus in res civitatum publicas monstravit, quam gravissima sit ac ponderis plena. Ita multos, iuncto velut agmine, ad philosophorum castra provolare, aegre ferebant omnes, quibus Ius Romanum curae erat cordique. Imo iustam horum indignationem atque odium excitabant e philosophis nonnulli, qui suam doctrinam eo magis efferre sibi videbantur, quo maiori contemtu in Iuris Romani fautores invehebant, meris tantum argutiis et inutilibus lucubrationibus, ut putabant, delectatos. Iam ultra modum augeri inter utriusque studii fautores contentio, ita ut animos pacare et concordiam restituere moderatiores frustra tentaverint. — Neque mox a solis philosophis damnum iis fuit metuendum, quibus Ius civile erat in honore. Per multos enim Europae regiones, novi legum civilium codices, patrio cuiusque sermone conscripti, primum exspectati et parati, tandem vero recepti et promulgati fuerunt, sublata omni Iuris Romani auctoritate, cuius interitum nonnulli augurabantur, veram eius praestantiam, nullo temporis lapsu delendam, suo pretio aestimare nescientes. Iam, qui hoc Ius tuebantur, a veteri splendoris fastigio iam deiectum, ultro citroque agitati, pressi, coacti, numero tandem imminuti et macerati, tantum de re sua non desperaverunt, sed difficultatem et vicem fortiter sustinentes, periculum perruperunt. — At vero non adversus omnes, qui ipsis erant inimici, aequali successu fuit certatum. Philosophi non ita adversariorum telis, quam quidem ipsis rerum temporumque rationibus cedere coacti fuerunt. Postquam enim rerum publicarum procellae et tempestates abierant, deferbuit ardor de hominum civitatumque iure ex rationis principiis publice disputandi. Imo quae turbas, per Gal-

liam agitatas, excepit tristis et severa unius potentissimi dominatio, omnem proscripsit philosophiam, eam imprimis, quae in iure tractando versatur. In Germania vero iuxta Criticam scholam alia adolevit, frequenti consortione celebrata, quae nomen a Natura sumens, praecepta sua, non ab exculta ratione, sed ex animi sensu, sive clariore illo, sive etiam obscuriore, derivat, ita ut nudam veritatem mentis acie intueri hominibus non permittat, sed tantum nebulis nimbisque offusam. Haec philosophia maiores partes sensibus et ingenio tribuens, quam iudicii severitati, poetis inprimis grata, iisque etiam accepta, quibus Rationis nomen et imperium erant in odio, iureconsultis placuisse non videtur, studium ad illam rarius conferentibus, ita ut insignis eius non fuerit in iurisprudentiam vis et effectus. Mox tempora consequuta sunt, quibus, minuente animorum vertigine, philosophiae cupiditas tota languescere ardorque mentium ad veritatem deficere coepit. Horum eventum ac fortunam experta quoque fuit Philosophica Iuris Doctrina, ita ut neglecta paene fuerit et in contemtum adducta. Longe vero abest, ut afflictam disciplinae conditionem maiori fortitudini et ingenii exsuperantiae in adversariis tribuamus, sed potius rerum vicissitudini et temporum inclinationibus.

Haec dum Iuris Philosophiae accidebant, novis legum civilium codicibus conficiendis, uno velut agmine, restiterunt Iuris Romani cultores, tum qui elegantiori eius studio delectabantur, tum qui forensem sequebantur utilitatem. Hi antiqua servari voluerunt, ne gloria evanesceret, multis laboribus ac vigiliis ipsis quaesita, magnam partem accuratae iuris Romani scientiae debita. Illi vero, qui populis nostrae aetatis eadem via ad perfectiorem iurisprudentiam progrediendum esse censuere, qua olim incesserunt Romani, codices a legislatore iussos ac promulgatos quam maxime improbaverunt, quippe qui volebant, omne ius e moribus et consuetudine sponte enasci oportere, lege tantum confirmandum et corrigendum, uti olim apud Quirites Praetoris Edictum iuris scripti auctoritatem tuebatur illique supplebat. Ius igitur, quo nunc quisque populus utitur, ipsi edicti instar servandum esse suaserunt, secundum temporum rationes morumque et opinionum migrationes flectendum ac temperandum; interim historico iuris studio ingenia esse conformanda, ut ex iis, quae olim facta sunt, exemplum sibi sumant recentioris aevi iureconsulti. A proposito meo alienum est de huius consilii meritis disputare. Illud unum profiteri mihi liceat, me perspectum non habere, quare eadem illa via, qua ad perfectiorem iurisprudentiam pro-

gressi sunt Romani, recentioribus quoque populis servanda sit, qui certe omnes non eadem observantia Decemviros suos coluerunt, qua olim Romani, neque legibus antiquatis ita pertinaciter adhaeserunt, atque illi duodecim suis tabulis, quae propter antiquam severitatem et mutatum populi ingenium sero demum temperatae fuerunt atque emollitae, partim quidem moribus, et, probante populo, per Praetoris edictum, partim etiam legibus diserte latis. Profiteri mihi liceat, me prorsus fugere, quare non ex iis, quae, cum ipsa ratio, tum multorum temporum usus, docuit de fine civitati proposito, de legibus ad illum prudenter accommodandis et cuiusque civitatis rationibus convenienter adaptandis, de iuris constituendi principiis ac praeceptis, ea seligere et in unum legum civilium codicem conferre, quae optima sunt et praestantissima, ut ius certum constituatur ac lege descriptum, neque totum pendeat a iudicantum arbitrio, diverso saepius ac mutabili, vel ab eorum de mutatis moribus opinione, quorum migratio tarde admodum fieri solet, non repente, ita ut difficillimum sit decernere, si illud in disputationem veniat, an ius per mores iam mutatum sit habendum, num vero minus. — Igitur, qui Ius Romanum colebant, plerique novos legum civilium codices, patrio sermone scriptos, aversabantur, et ad veterum legum conservationem vires communiter intendebant. Neque successu caruit cum adversariis conflictio, cum novi legum civilium libri rarius sint conditi, criminalium vero longe frequentius, ita ut nulla fere sit per cultiorem Europam civitas, quae tales vel non habeat, vel non exspectet, antiquum tamen ius civile plurimum conservans. Quod vero Iuris Romani dignitatem et cultum magnopere restituit, est historica de iure illo disquisitio a Iureconsultis per Germaniam tentata, iam eo tempore, quo Ius Romanum ab omni non modo fortuna, sed etiam spe, derelictum videbatur. Hoc autem studium ita feliciter et prospere cessit, ut brevi recens Historicorum schola discipulorum pariter ac laborum frequentia et praestantia illustris, magno ingenuae eruditionis emolumento, per Belgium, Galliam, aliasque etiam regiones fuerit propagata. Quam fausto autem sidere instaurata fuerit Ius Romanum e veteris aevi monumentis illustrandi ratio, cui Iureconsulti in patria nostra olim insignem gloriae partem debuerunt, argumento sunt e bibliothecarum tenebris eruta non tantum praeclara antiqui iuris fragmenta, sed integri quoque ac praestantissimi commentarii, antea latentes et ignoti, unde nova lux veteri Romanorum iurisprudentiae affulsit. Vellem hisce divitiarum thesauris aucta et velut tropaeis

ornata historicorum iureconſultorum familia, quanto ſuperior erat, tanto ſubmisſius ſe gesſisſet, neque, ultra modum ſuperbiens, inter ſocios tulisſet, qui, ſublatis ad frontem ſuperciliis, Philoſophicam Iuris Doctrinam, iam prisca celebritate carentem, nullo honore habuerint, imo deſpexerint, vel ſaltem nulla esſe eius in res hominum ac civitatum merita, temere nimis pronuntiaverint. Auscultaverunt iis et asſenſerunt bene multi, ita ut inutile videri nequeat, eorum rationes ponderare. — At plures ſurgere mihi videor, qui me calumniae, ad auditores allatae, accuſent, libros manibus ferentes, a iureconſultis, quos impugnare mihi est animus, de iure naturali ſcriptos et in publicum editos! Sed pace vestra, caveatis, quaeſo, ne librorum tituli vobis fraudem faciant! Quod enim Iuris Naturalis nomen praetendunt, hoc ipſum arguit, quam perditam, profligatam, imo exanimatam habeant Philoſophicam Iuris Doctrinam, cum nomen, quo plerisque internoſcitur ab aliis disciplinis, tanquam rem, pro derelicto habitam, occupaverint et doctrinae longe diverſae impoſuerint! Putatis iuris Philoſophiam eorum libris describi, ab hominis ratione derivatam, quae fuit olim CICERONIS, quae GROTII, quae plerorumque acutisſimorum hominum omnis aetatis. Imo vero longe aliam rem tractant, nempe philoſophiam iuris, in civitatibus per uſum ac legem conſtituti, quod appellare amant *ius naturale*. Subſistit autem in legum pervestigatione, quatenus cohaerent populorum indoli, ingenio, cultui, moribus, religioni, victus comparandi modo, terrae, quam habitant, coelo, in quo vivunt, aliisque ſimilibus. Non quidem, A. A. huius disciplinae, ad quam eruditorum animos primus adiunxit MONTESQUIEVIUS, quem ſequuti inter alios FILANGIERIUS et BENTHAMUS, non, inquam, eius praeſtantiae atque utilitati vel minimum detractum velim, ſi tantum non locum occupet Philoſophicae Iuris Doctrinae, ex internis hominis principiis derivatae, cuius ope et auxilio ipſa, ſine inſigni detrimento, non carebit. Igitur calumniae accuſationi ſatis reſpondisſe mihi videor, et Philoſophicae Iuris Doctrinae, quae vero nomine ita dicitur, a multis, qui ſcholae Historicae ſe addictos profitentur, negligi atque contemni, res habeatur verisſima!

Novistis A. A. cauſas ſimultatis multis ſuſceptae, qui iuris Philoſophiam habent in odio, quarum enarratio me diutius exercuit, ita ut de eorum rationibus breviter tantum disputare neceſſe ſit. Antequam illud agam, dicenti liceat orationem paululum intermittere.

(*Muſica auditur.*)

Qui Philosophicam Iuris Doctrinam contemnunt, A. A. non iisdem rationibus moventur, neque omnes inter se consentiunt. Argumenta tamen, caeteris graviora, quibus utuntur plerique, ad duplex genus possunt referri. Vel enim perhibent, nullum esse ius, quod a natura proficiscatur, utpote quod totum ex hominum voluntati originem ducat; vel tuentur, nullam esse utilitatem eius disciplinae, quae versatur in Iure exponendo, si quidem e ratione possit derivari.

Dicunt, nullum esse ius a natura, sed illud totum nasci ex hominum voluntate. Novistis, A. A. iam olim fuisse inter scholae Alexandrinae philosophos, eandem doctrinam professos, et fuisse etiam tempore illo, quod GROTII aetatem a nostra seiungit; at vero simul novistis, quam fortiter huius disputationis cornua commoverint multi viri acutioris ingenii, dignitatem rationis humanae iurisque veritatem et sanctitatem ab omni dubitatione liberantes. Horum rationes si vellem vobiscum recognoscere, A. A. diem dicendo consumerem. Non igitur in memoriam revocabo, quae iam olim iis fuerunt opposita, qui negabant, vim rationis per omnes homines esse diffusam, eamque immutabilem esse et sempiternam, qui vero leviter statuebant de eo, quid verum sit, quid bonum, quid iustum, quid falsum, quid turpe, quid iniustum, cuique suum esse iudicium suamque intelligentiam, ita ut quis temere efficeret eandem quoque persuasionem menti aliorum inhaerere. Non revocabo, quodnam responsum tulerint ii, qui putabant, iuris ignorantiam, quae in rudibus et incultis populis conspicitur, luce clarius arguere, mera esse figmenta, quae de naturali iure inter homines feruntur. Haec missa facio et operam tantum collocabo in refutandis rationibus, quibus aevi nostri iureconsulti utuntur, si quidem rationes afferant. Sunt enim eorum numero, qui rem ita perspicuam ac manifestam putant, ut argumentatione non indigeat, quia iuris e ratione oriundi veritas a nemine ullo inter philosophos evidenter probata ipsis videtur; quapropter nil aliud dicunt, nisi de iure illo non constare, illud in disputationem venire non posse, illud temere defendi, et quae his sunt similia. At vero hi ipsi rationem agnoscunt eiusque imperium; loquuntur enim de lege morali, hominum animis insita, ad recte faciendum impellente. An igitur volunt, rationem illam liberas hominum actiones tantum regere, quatenus ad voluntatis cum lege convenientiam referuntur, atque unice ad agendi incitamenta respicere; minime vero eas curare, quantum pertinent ad hominum societatem et communionem, quae so-

lis honesti principiis ac regulis conservari nequit et sustineri? An hoc satis consonum putatis A. A.? Equidem adduci non possum, ut illud credam, et sine repugnantia cogitari non posse mihi videtur, rationem, cuius natura tota in unitate et consensu est posita, liberas hominum actiones ita tantum regere, ut secundum virtutis legem suscipiendae sint vel omittendae; at vero de iis, ad hominum convictum relatis, non esse sollicitam, ideoque fato atque arbitrio committere, an actiones illae ordini, in hominum communione externe servando, conveniant, num vero repugnent. Hoc non patitur rationis natura, omnem inter homines rerum ordinem ac necessitudinem lege sua regens!

Licet vero plerique iuris veritatem simpliciter negent, sunt tamen, qui rationes afferant. Dicunt enim Ius Naturale esse illud ius, quod valet in statu naturali, iam vero quia in tali statu homines nunquam vixerunt, efficiunt, necesse esse, ipsum etiam illud ius vanum esse et inane, magisque laeto Poetarum ingenio, quam severae Philosophorum disquisitioni, originem debere. Haec argumentatio multum proficit, non quidem, quod volunt adversarii, ad evertendam iuris naturalis veritatem, sed ut inde discamus, quantum neglecta in verbis et notionibus accuratio rerum cognitioni possit nocere! Fuerunt certe inter Iureconsultos Philosophos, ante nostram aetatem, qui adeo angustam dederint disciplinae definitionem, eam vero falsam et plerisque recentioribus reiectam. Quamvis igitur verum esset, qua de re, a nostra disputatione prorsus aliena, dissentiunt multi, etiam historiarum peritissimi viri, quamvis, inquam, verum esset, homines nunquam in ullo alio statu vixisse, quam in uno civili, inde tamen vel minimum pateret, fictum quid atque a Philosophis excogitatum esse Ius Naturale, utpote quod non tantum in statu, qui dicitur, naturali vim habet et auctoritatem, verum etiam in omni alio, etiam civili, quatenus illi per conventiones ac leges nil additum fuerit vel detractum.

Equidem nescio, an ipsi perspiciant adversarii, quam leve sit argumentum, quod refutavi, quoniam illud non magnopere urgent; at novi, aliud esse, quod rem prorsus evincere sibi persuadent. Etenim ad naturam iuris omnino pertinere affirmant, et recte, ut illud adversus laesiones aliorum, etiam per vim, possit defendi. Cum vero defendendi facultas non adsit extra civitatem, inde efficiunt, extra civitatem nullum etiam esse ius, ideoque omne ius e ci-

vitate denum enafci. Hoc certe egregiam habet veri fpeciem. Res enim est manifesta, civitatem unicum esfe inter homines inftitutum, quod iuri fanctionem posfit adiungere fatis efficacem. Videmini tamen, A. A. de re dubitare et fcrupulus aliquis vobis refidet. Caufa mihi non latet. Vobis enim liquido non apparet, quo modo ipfa rei alicuius veritas, e ratione derivanda, pofita fit in alia re, quae tota pendet a rerum ac locorum natura, a diverfa hominum conditione aliisque momentis. Non intelligitis, quo modo ex eo, quod citra civitatem cuique vires non funt, iuri fuo tutando fufficientes, argui posfit, nemini ius a ratione esfe concesfum. Non perfpicitis, quomodo ab externis rerum temporumque rationibus, argumentatione probabili concludi posfit, aeternam rationem, unam fibique in omnibus conftantem, aliquid concedere vel denegare. Putatis aliud esfe hominis ius, nempe facultatem a ratione derivatam, aliud vero virium in homine copiam, qua ius ab omni laefione tueatur, et illud non interire, fi hoc forte deficiat. Meliora vident, qui in Iuris Philofophiam invehunt vestramque dolent mentis caecitatem! Si quidem hos quaeramus, quid de liberis gentibus dicant, iuxta alias gentes hunc terrarum orbem habitantibus et in eadem conditione pofitis, qua finguli homines, civitatis vinculo non coniuncti, an hisce hominum confociationibus non etiam iura fint, quia non omnibus vires in promptu funt, quibus ea ab aliorum violentia defendant? Nonnullis aquam haerere videmus, titubanter refpondentibus, quoniam fentiunt difficultatem, qua fefe expedire nequeunt. Alii in fententia audacter perfeverant negantque ius inter gentes a ratione obtinere. Utinam hanc doctrinam non ignoravisfent populi et populorum rectores, quotquot unquam, nullo facto lacesfiti, in vicinos irruere, praedari, latrocinari maluerunt! Hi enim, (tanta iis veri erat infcitia), ne imprudentisfimi et ferocisfimi existimarentur, facinora fua vel necesfitatis fpecie defendere, vel iuris colore exornare ftuduerunt! Incredibile dictu est, quantum animi horum facinorum auctoribus adiunxisfent, quantumque laboris ac molestiae perpercisfent nostrae aetatis iureconfulti, mentibus perfuafionem iniicientes, neque inter homines ius a ratione esfe, neque inter gentes! Vobis A. A. fi quidem hanc fententiam reiicitis, adftipulatores adftant omnis aevi populi, potentiorum iniuriam aliquando experti; adftant inter eruditos viri, cum iurisperiti, tum alii, quibus mentis aciem non praeftrinxit, neque ex animo veritatis amorem exftirpavit, infolitam doctrinam profitendi ac defendendi ftudium!

Haec licet censeri posfint ad perfuafionem fufficere, alia tamen non defunt, unde pateat, quantum a vero aberret adverfariorum philofophia. Quando enim ius nullum esfe dicunt, a ratione profectum eiusque lumine cognofcendum, univerfale ac necesfarium, fed illud ex hominum voluntate et conftitutione originem ducere affirmant, per experientiam difcendum, a fato cafuque dependens, aeque nobis errorem obiiciunt. Non dicam, eos, quorum mentibus haec opinio inhaerefcit, in varietate esfe ac disfenfione, utpote quorum alii omne illud iustum exiftimant, quod ab imperante in civitate iusfum est, ut pro lege valeat, utcunque illud fit comparatum; alii contra iuris nomine nil aliud dici volunt, nifi quod propter utilitatem fuam civibus ita fe commendavit, ut communi confenfu, per mores et ufus manifestato, receptum fit et confirmatum, ita ut iuris notio cum notione civitatis penitus coalefcat. Utriusque doctrinae fautores de eo idem fentiunt, in praefiniendo, quid iuri confonum fit, quid contrarium, nullas rationis esfe partes, fed rem totam pendere ab hominum voluntate. In eo autem varietas fpectatur, quod, qui priorem tuentur fententiam, ius e fuperiorum decreto repetunt, qui posteriorem, ex utentium arbitrio. Illi nil omnino iniustum dicunt, ita ut perfricta fronte asfeverent, fervitutem, etiam durisfimam atque immanisfimam, lege conftitutam, iuri non esfe contrariam; partem civium ab imperantibus, fi ita videatur, fine ullo poenae merito, libertate, imo vita, posfe privari, absque eo, quod iniuria iis illata intelligatur; nominis ac fidei renuntiationem, ab imperante civitatis creditoribus factam, vel minimum esfe iniustam, aliaque fimilia. Hi vero ab hac fententia longe abeunt, neque illud, quod ab imperantibus conftituitur, femper iustum esfe concedunt, utique vero illud, quod, utut mancum atque imperfectum, communi opinione atque ufu fuit probatum. Hoc fi imperantium auctoritate immutetur, id non iuste factum perhibent, nifi propter caufas politicas, quoniam non per legem, fed per auctum ingeniorum cultum, iuri emendationem accedere oportet. Non quidem utraque haec fententia animum aequaliter commovet atque indignationem excitat; utramque vero ratio pariter convellit, pariter labefactat. Si enim ius e civitate originem ducere quis ftatuat, fimul ftatuat necesfe est, inter eos, qui civitatis vinculo non iunguntur, ius esfe nullum, puta inter gentes liberas, communi imperio non obtemperantes, inter naufragos, in locum defertum coniectos, aliosque fimiles; quos igitur nulla iuris lex prohibet, quo minus alter in alterum irruat, eius bona rapiat, ipfum fibi fubiiciat et in fervitutem detrudat, ita

ut illud omne iuri consentaneum habendum sit, quod cuiusque viribus corporis possit effici. — At vero non hac una difficultate premitur adversariorum doctrina. Primum enim abhorret, tum a communi hominum intelligentia, tum a certi iudicii ratione, iustum esse, quidquid populorum legibus fuerit constitutum, moribusve receptum. Utraque non patitur incerto hominum arbitrio vel fatorum vicissitudini commissum intelligi, determinare, an aliquid conveniat naturis, ratione praeditis et ad societatem instructis, imo liberis earum actionibus normam statuere, secundum quam sine repugnantia ab omnibus possint suscipi. Ab arbitrio enim et a fato nil proficisci poterit, quod absolutum sit sibique per omnia constans, sine quo certa et indubitata iuris notio mente nequit cogitari. Non magis ab arbitrio hominum pendere potest, quid iustum sit vel iniustum, quam quid verum vel falsum, quid bonum vel malum. Haec omnia nisi internis rationis decretis regerentur, sed opinionum levitati essent commissae, de omni veritatis cognitione esset desperandum. Unde persuadere sibi quis poterit, calumniam, rapinam, caedem, stuprum, verbo omnia, quae aequalem omnium externe agendi libertatem suaque sibi salva habendi facultatem imminuunt, esse iniusta, si non alia esset ipsi iudicandi norma, quam imperantis arbitrium aut civium placitum? — Porro si adversarios quaeramus, unde civitati veniat facultas ius constituendi; quare, quod ita lege fuit iussum quodve per usum invaluit, pro iure sit habendum; tandem quare cives obligatio teneat illud sanctum et inviolatum custodiendi; si haec, inquam, quaeramus, nemo est, qui apposite ad persuasionem respondeat. Si qui sint, qui de pacto loquantur, quo civitas intelligatur inniti, et e quo ius, tanquam e fonte, derivetur, hi inconstanter opinione se iactant et statim manus victus dare tenentur, quia si iuris sit obligatio pactum illud servandi, quod civitatis fundamentum est, prorsus necessarium est, ipsum quoque ius iam ante civitatem affuisse. Alii vero, qui tale pactum non agnoscunt, opinionem suam neutiquam confirmant, neque rationem afferunt, quare magis legibus obtemperare quem oporteat, ab imperante latis vel a civibus per usum comprobatis, ita ut iis resistere sit iniustum, quam aliis, quae a latronum societate, in quam quis incidit, eiusve capite iubeatur. Si quis velit, rationem in eo esse positam, quod lex virtutis iusti norma est, ideoque iniusta sunt, quae non honesta, molestiis implicatur longe diversi generis, quia probari omnino potest, illud, quod lex virtutis prohibet, non semper iniustitiam comitari. At haec missa facio, A. A. quia otium non est, vos per philosopho-

rum dumeta circumducendi. Causa nulla alia potest excogitari, nisi quod finis civitate propositus ratione confirmatur et tanquam iustus comprobatur, latronum vero societas, quippe iuri contraria, respuitur et damnatur. Si hic nullum rationi locum esse patiamur, desperata res est et frustrata disquisitione mentem fatigabimus. Si quando hoc argumentum etiam atque etiam premitur, plerosque eo tandem redactos videmus, ut iuribus in civitate constituendis et custodiendis aliquid fundamenti loco subesse fateantur, quod aliquatenus sit necessarium atque absolutum; summa esse principia, omni loco ac tempore eadem, quibus ius ab iniuria possit internosci, eademque illa, unde ius omnibus aequabile proficiscitur; ut cuique homini, etiam citra civitatem quid esse concedant, quod *suum* dicat, cuiusque conservandi causa civitatem appetat. Iam vero necessarium illud atque absolutum, summa illa principia, illud cuiusque suum, nil aliud esse potest, nisi ius, ab ipsa ratione derivatum, quod se agnoscere oportere, frustra dissimulant adversarii, cum nulla res esse possit evidentior, quam rationem iuris esse matrem!

Audivistis, quaenam sit eorum de iure sententia, qui nostra aetate philosophicam iuris doctrinam repudiant. Si hanc illi comparemus, A. A., quam professi sunt perfectissimi quique veteris ac recentioris aevi philosophi ac iureconsulti, vix dici potest, quantum differant. Ne quis illud in dubium vocet, qui omnium nomine causam defendat, unum excito MARCUM CICERONEM. Dicunt nostri aevi iuris doctores, omne ius per civitatem constitui, nullumque esse a natura. Longe aliter CICERO, qui eam dicit esse naturam cuiusque hominis, ut illi cum genere humano quasi civile ius intercedat; cui una dicitur esse veri lex, recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; unum etiam ius, quo devincta est hominum societas et quod lex constituit una, quae lex est recta ratio imperandi et prohibendi, orta simul cum mente divina. Huic omnium, quae in hominum doctorum disputatione versantur, nihil visum fuit praestabilius, quam plane intelligi, nos ad iustitiam esse natos, neque opinione, sed natura, constitutum esse ius. Hic sapientissimorum sententiam fuisse affirmat, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquid esse populorum, sed aeternum quoddam, quod universum mundum regat imperandi prohibendique sapientiam. Dicunt facultatem ius suum etiam per vim defendendi non a natura esse, sed per civitatem demum comparari. Alia omnia CICERONI visa sunt veriora, qui non scriptam dicit, sed natam legem, quam ex ipsa natura

arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis. Prora et puppis est nostris hominibus, ius omne illud habendum esse, quod imperantibus placuerit vel civium voluntate probatum, utcunque illud fuerit comparatum. CICERO vero naturam normam legis dicit et nil aliud ius esse existimat, nisi quod sit aequabile. Stultissimum esse pronuntiat putare, omnia iusta esse, quae scita sint populorum institutis et legibus. Legem bonam a mala nulla alia nisi naturae norma dirimi posse censet. Si enim populorum iussis, si principum decretis, iura constituerentur, ius esset latrocinari, ius adulterare, ius testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. Ipsa, putat, rerum natura verteretur, si ius ex iniuria lex facere posset.

Haec pro veritate iuris e ratione oriundi et rationis auxilio cognoscendi dixisse sufficiat. Verbum liceat adiicere de disciplinae figura eius principiis ac praeceptis imposita, quod utiliter factum esse multi negant eius reprehensores, rationibus tamen longe diversis opinionem suam confirmantes.

Hic primi nobis occurrunt, qui malunt sermonis hilaritate risum movere, quam argumentationis severitate disciplinam impugnare. Hi, si quando sermo sit de Philosophica Iuris Doctrina, statim iocantur, aculeos emittunt et sale facetiisque incautos pelliciunt et risores delectant. Ut doctrina illa habeatur ludibrio, eam occidendorum hominum disciplinam contumeliose appellant et casus singulares, ad enodandum difficiles, arte excogitatas, ita festive enarrant, ut, quotquot ipsos audiant vel legant, voluptatibus cumulati, risu tantum non emoriantur et manus in plaudendo consumant. Rideamus et nos, A. A., plaudamus etiam, in hilaritatis consortium venientes. Sublato enim cachinno, nil supererit quod disciplinae praestantiam possit labefactare. Nulla enim est doctrina, unde non aliquid possit repeti, quod ingenii lusibus exornatum, non ineptum appareat et nugatorium. Hoc inprimis verum est, si summa principia singularibus rerum momentis sint adaptanda, quando sine labore eruuntur, quae dissentanea sunt et velut pugnantia inter se. An vero propterea existimabimus, disciplinam dignitate esse imminutam? Minime profecto! Quod enim argumentis tantum, dilui potest, ioco certe risuque non dissolvitur.

Alii, quibus non ita datum est iacere ac mittere ridicula, vel qui eorum usum in seria disputatione aspernantur, se rationibus non destitutos esse sibi persuadent, quibus Philosophicae Iuris Doctrinae utilitatem redarguant. — Ex his eas taceo, quae manifestam calumniam continent, nempe ideo tantum plerosque iuris philosophiam amare, quod ad iuris Romani investigationem, longe difficiliorem, fastidium habent. Haec ratio, uti ipsum Ius Romanum parum commendat, ita neque veri habet speciem. Philosophica enim Iuris Doctrina, si ad res privatorum hominum ac societatum, si ad domestica et extranea civitatum negotia variasque earum necessitudines referatur, non exiguae est amplitudinis, ita ut a iuris civilis ubertate non longe sit remota, et, si quidem non ex opinionis quadam levitate, sed ex certis rationis principiis derivetur atque exstruatur, subtile iudicium et diligentem contemplationem requirat. — Maius momentum habet, quod inconsiderate affirmant, argumentum Iuris Naturalis totum e iure Romano esse arcessitum, ita ut omnes fere huius notiones ac distinctiones in illud migraverint, etiam hac de causa disciplinae nomine indignum. Lubens concedo, multam Iuris Romani doctrinam in suam utilitatem convertisse philosophicae iuris doctrinae cultores; concedo, eos plures rerum definitiones inde esse mutuatos; longe vero abest, ut propterea confirmaverim, totam eam doctrinam nil aliud esse, nisi Iuris Romani epitomen! Primum observetis velim, A. A. GROTIUM nostrum, licet Romanorum sententias de eo, quod a natura iustum est, saepius probet, interdum tamen docere, eos a iuris principiis aberravisse, ita ut iam ipse conditor, in disciplinae primordiis, eam a Iure Romano distinctam esse monstraverit. Porro norunt omnes, nullum esse librum, iuris naturalis expositionem continens, utut caeteroquin parum commendabile, quo non e suis principiis derivetur doctrina, in multis longe diversa ab ea, quae Romanis placuit; quae principia ex ipsis rationis decretis enucleare et severa argumentatione, non Iuris constituti auctoritate confirmare, optimis plerisque, maxime inter recentiores, curae fuit cordique. Tandem Iureconsultorum Romanorum responsa omnino quidem arguunt mentem iuris naturalis scientia illustratam, at vero multum abest, ut ipsam philosophicam iuris Doctrinam ex suis principiis derivatam, ordine, ad disciplinae figuram accedente, tractaverint. — Licet autem verum esset, quod falso perhibetur, ius Naturale iuri Romano prorsus convenire; licet singula eius momenta e iure Romano essent arcessita, an propterea eius studium utilitate careret? An ad gloriam ac dignita-

tem, ipſi Iuri Romano conciliandam, magis quid conferre poteſt, quam monſtrari, illud aeternis rationis principiis amice conſpirare!

Neque etiam magis utilitatem Iuris Naturalis convellit, quod eo tantum conſilio primum fuit tractatum, ut fundamentum eſſet iuri, inter gentes deſcribendo, quod ſibi propoſitum fuiſſe GROTIUS diſerte fatetur. Verum omnino est, utilitatem philoſophicae iuris Doctrinae in rebus, inter Gentes disceptandis, eſſe manifestisſimam, ita ut in dubium vix fuerit vocata, niſi ab iis, qui volunt, omne ius potentiorum voluntate determinari. Ius enim, ex quo Gentium controverſiae dirimantur, nulla lege conſtitutum est. Pactiones et foedera, quotquot ſint, normam non offerunt ac regulam, omnibus agnitam, neque ad omnia iuris capita pertinent. Uſus denique et mores recepti ſaepius deficiunt vel dubitationibus dant anſam. Si igitur ius non eſſet, a ratione profectum, gentes etiam vinculo ſuo adſtringens, multa, imo tantum non omnia, arbitrio ac libidini eſſent commisſa. Imo hoc Gentes cultiores agnoſcunt, utpote quae, ſi enata fuerit controverſia, rationibus ex iuris Philoſophia depromptis, cauſam ſuam tueri ſolent vel inde colorem ac ſpeciem ducere. Licet igitur Philoſophicae Iuris Doctrinae condendae occaſionem dederit iuris, quod inter gentes obtinet, deſcribendi deſiderium, longe tamen abest, ut dicamus, eam tantum vim exercere in externa gentium negotia, cum ad ſingulorum hominum ac ſocietatum iura, ad res etiam domesticas atque internas civitatum, (de quibus dicere mihi non est otium), aeque pertineat.

Hic vero adverſarios omnes exſurgere video, pertinaciter negantes, ius naturale privatum inter ac ius civile, vinculum quodcunque intercedere! Utrumque ita toto coelo diverſum eſſe clamitant, ut oppoſita magis et contraria cogitari non posſint. Habet hic ardor, A. A. quare illi ignoſcamus. Fuerunt enim inter ipſos Philoſophicae Iuris Doctrinae cultores, qui aliquando incaute perhibuerint, nil in civitate iustum eſſe, niſi quod e rationis principiis certa argumentatione posſit derivari; omne vero illud, quod ab hominum arbitrio profectum est, dubiae eſſe auctoritatis et iuris nomine indignum. Caveamus A. A. ab horum opinione! Ratio enim non omnia ita determinavit, ut nil ſit reliquum, quod ab hominibus, pro morum atque opinionum, pro regionis ac coeli diverſitate, diverſe conſtituatur. Quod autem ita, vel utentium voluntate, vel imperantium iusſu, conſtituatur, ſi tantum rationis leges non evertat, quo minus *ius* quoque dicamus, hominibus ſancte colendum atque obſervandum, nil prorſus obſtat. Ra-

tioni enim omnino convenit, imo postulat illa, ut per societatem civilem plena sit omnibus iurium securitas, cui habendae cum sola rationis de iure praecepta non sufficiant, legum constitutarum praesidiis atque institutis civilibus omnino est opus. Hisce igitur obsecundare iustum esse, imo necessarium, temere negatur. — Licet vero ipsi ita iuris civilis auctoritatem tueamur, pacatos tamen et consentientes adversarios non habemus. Negant enim illi aliquam rationem philosophicae iuris doctrinae in civitate esse habendam illudque cum iure civili quodammodo cohaerere. Negant iuris naturalis doctrinam causam esse et effectricem legum civilium; negant illam esse normam, ad quam hae componendae sunt ac dirigendae; negant harum iustitiam ex illa dignosci; negant illam harum intelligentiae, interpretationi et complemento inservire! — Volunt leges civiles non a iure naturali, tanquam de fonte, manavisse. Fateor veterum populorum instituta, usus, leges, philosophica iuris doctrina, plene elaborata, esse antiquiores; sed neutiquam affirmo, insigniora et evidentiora eius praecepta priscos civitatum magistros ita latuisse, ut eorum adiumento uti non potuerint in legibus condendis. Si primas iuris naturalis enuntiationes ignoravissent, cuinam fatorum felicitati esset tribuendum, omnium populorum leges, licet saepius varietatem in iis monstrent, quas ratio hominum arbitrio constituenda reliquit, in summis tamen iuris praeceptis egregie conspirare, ita quidem, ut, si quando ab iis deflexerint, prudentiorum ac sapientiorum virorum reprehensionem non effugerint. Unde, quaeso, haec in legibus omnium populorum per omnem aetatem convenientia, si ipsis, quid sit iustum, quid iniustum, secundum aeterna rationis decreta, sive clarius, sive obscurius, non constitisset; e quibus igitur leges constitutae, quatenus non totae ab arbitrio pendent, tanquam a matre, originem certo repetunt? — Si quidem Philosophicam Iuris Doctrinam matrem Iuris Civilis agnoscamus, eandem, tanquam huius in posterum constituendi atque emendandi normam, recusare non licet. Recusant quidem adversarii, qui volunt, omnia ad solum arbitrii vel utilitatis modulum, ancipitem eum ac fallacem, dirigenda esse et exigenda. Si horum hominum doctrinam adoptavissent legislatores, an servitus, quae olim apud maiores obtinuit, abrogata fuisset; an temperata patris potestas, unde superbiam sibi sumebant Quirites? An repudiatae fuissent leges istae, quae vetabant aliam religionem suscipere, nisi quam assumserant ii, qui potestate valebant imperiumque exercebant, quaeque omnibus, qui ad alia sacra demigraverant, de iure suo detrahebant? An ab arbi-

trio atque utilitate, num vero ab agnita et exculta philofophica iuris doctrina, fperare licet, fore ut vitia diluantur, quibus multae leges nunc etiam funt infignes? Si quis in dubium vocet, velim, attendat, quantum a iusti principiis aliena fint, quae apud multos populos de peregrinorum iure invaluerunt. — Unde vero, quae iusta funt, ab iniustis dignofcent legislatores? Illud tantum rationis ope agnitisque de iure praeceptis fieri posfe, ex iis, quae monui, ultro efficitur. Hoc non audiunt adverfarii, qui vero alias leges laudant, alias reprehendunt, absque tamen eo, quod laudem vel reprehenfionem fuftentent argumentationis fubfidiis, ita ut incerta fit norma, quam fequuntur, omnisque de eius veritate disquifitio. — Quod fuperest, pernegant, philofophiam iuris civilis intelligentiam et interpretationem adiuvare eiusque esfe complementum. Hoc reliquae eorum doctrinae omnino confonum est, at, meo arbitratu, veritati aeque adverfum. An mihi necesfe erit, A. A. vobis probare, iuris philofophiam proficere ad intelligendum atque interpretandum ius conftitutum, cum, fi non illud confequutus fim, ut vobis palam conftet de utriusque doctrinae necesfitudine, nullum ex disputatione mea fructum percepi. Timeo, ne vobis audiendi fastidium crearem, ea repetendo et recoquendo, quae iam dicta funt et argumentatione probata, eo quidem magis, quod adverfarii non aliis utuntur rationibus, nifi, quae ponderatae nobis iam funt et propter levitatem reiectae. — Ubi vero fermo est de philofophica iuris doctrina tanquam iuris civilis complemento, fortisfime reclamant noluntque doctrinam illam huius iuris esfe fubfidium. Res gravisfima est, A. A. ideoque omnino digna, ut eam diligenter excutiamus. Si quidem quaeramus ex adverfariis, unde velint legum conftitutarum inopiae fuccurri, non gravate refpondent, at parato utuntur confilio, perhibentes, aequitatem fontem esfe, unde in legum filentio praefidium est petendum. Philofophica enim iuris doctrina maxime anceps est et incerta; alia enim Gallis est, nempe pars disciplinae moralis; Germanis alia, a disciplina illa, argute magis, quam vere distincta. Aeque certant eius fautores, five in enucleandis doctrinae principiis ingenium exerceant, five in fingulis eius momentis investigandis laborent ac defudent. Mirum est, ipfos non videre, quam lubrica fit haec defenfionis ratio. Non regeram, ea doctrinae principia, quae vim et effectum in res hominum ac negotia fortiuntur, adeo recondita non esfe et abftrufa, fed, uti viris fagacisfimis fuit obfervatum, adeo manifesta, ut feria iudicii diligentia de iis omnino posfit conftare, et magis ex indice ac fumma,

quae per philosophorum disputationes invenitur, quam ex ipsis disserendi subtilitatibus, iura civilia complementum suum accipere. Equidem hoc non multum urgeo, quoniam notio aequitatis, si a iuris notione diversa cogitetur, fit longe incertissima, ideoque vel minimum apta, ut, deficiente lege civili, tanquam norma rebus iudicandis inserviat. Ferunt hominum animis informatam esse eius notionem eamque certis regulis posse describi. Si vero ad aequitatis definitiones, quotquot propositae fuerunt, animum advertamus, vix dici potest, quantum iis insit, quod dubium sit et fluctuans. Ius naturale in eo positum est, ut cuiusque externe agendi libertas cum libertate aequali aliorum omnium possit consistere. Haec notio perspicua est, accurata et ad usum locuples. Aequitas vero, utcunque mente concipiatur, semper quid habet incerti, ita ut cerea sit, vel in odium flecti, vel in favorem, metumque iniiciat, ne arbitrio ac benevolentiae iudicium committatur. At vero A. A. licet tanta esset aequitatis evidentia, ut nil supra, an ideo creditis, eam ius naturale de loco suo posse movere et verum legum constitutarum complementum agnosci? Hoc non patitur aeterna ratio, quae, tacente lege civili, sola est norma, secundum quam causae recte iudicentur et lites dirimantur. Si quidem legi naturali quid additum fuerit vel detractum per legem constitutam, huius rei ea est vis, ut cives obedientia deceat. In quantum autem iuris eius vigor per legem non sit temperatus, luce clarius est; sanctam atque inviolatam stare oportere eius auctoritatem. Iudex igitur, qui in legum constitutarum silentio decernendi regulam aliunde repeteret, is legem, omnium primam, toti humano generi communem, negligeret ac violaret.

Iterum iuvat recentiorum sapientiam cum CICERONIS doctrina conferre. Illi in Philosophicam Iuris Doctrinam insultant, eam sibilis explodunt et velut rem incertam contemnunt, reiiciunt, aspernantur, et iuris scientiam tantum repetunt ex legislatorum scitis atque utentium placitis. TULLII non audiunt monitum, non e Praetoris edicto, neque duodecim Tabulis, sed prorsus ex intima Philosophia, hauriendam esse Iuris Disciplinam; stirpem iuris a natura esse repetendam, qua duce, omnis disputatio est explicanda. Respuunt illi Iuris Naturalis auctoritatem in civitatibus. Hoc CICERONIS doctrinae prorsus repugnat. Hic enim rationis legem ius esse asseverat, sive scripta sit uspiam, sive nusquam; eamque non tunc demum incipere esse legem, quum scripta est, sed tunc cum orta est; ortam autem simul esse cum mente divina. Aequitatem

4

in Iuris locum fubftitutam volunt illi, ut legum filentio fubveniatur. Hic obftrepit etiam CICERO eosque graviter admonet: „Omnia incerta funt, quum a iure discessum est, nec praeftari quidquam potest, quale futurum fit, quod pofitum est in alterius voluntate, ne dicam libidine." Hoc autem praecepto equidem nefcio, A. A. imo dubito vehementer, an quidquam verius atque utilius in omnibus CICERONIS fcriptis nobis occurrat!

Dicta a me caufa est A. A. Eius defenfionem non alio confilio fufcepi, quam ut disciplinam, cuius fine humani generis tutela omnis continetur, ab immerita defpectione vindicarem. Equidem novi alios etiam fuisfe, qui idem egerint; fed non ideo a propofito defistere mihi placuit. Uti enim omnis rei variae funt fpecies, ita non una quoque via veritas obtinetur. Non etiam metuo A. A. ne in ipfa GROTII patria Philofophicae Iuris Doctrinae ftudium intereat, cum Iureconfulti Philofophi in patria nostra illud egerint, ut proximis abhinc annis in eius principia fingulaque etiam momenta labor egregius fuerit collocatus. His me adiungere volui, ut, quantum posfem, veritatis ftudium adiuvarem. Illud in votis habeo, ut fibi perfuafum habeant nostrae fententiae defenfores, cuique rei eximiae nil magis obesfe, quam laudes immoderatas et disciplinae cuiusque dignitatem eo non evehi, quod alia deprimatur. Si quis forte fufpicaretur, me, Historicae fcholae odio ductum, Iuris philofophiae dignitatem vindicavisfe, is quam longisfime a veritate aberraret. Non tantum pro Historico Iuris Romani ftudio ipfe aliquando publice decertavi, verum etiam Ius illud in fcholis meis Historica ratione aliquando expofui. Vellem praefentes adesfent pauci illi, quos tunc discipulos habui, eheu; non omnes amplius in hoc orbe fuperftites; vellem testimonium perhiberent, an Quiritium Iura, minori cura ac diligentia, quam Naturalia, tractaverim! Aliis iuris Doctoribus placeat, velut avium rixofarum lanistas, discipulos incitare ad omnia ea contemnenda ac laceranda, quae non ipfis funt in deliciis. Satius esfe existimo inde mihi gloriam fumere, quod iuvenes, in disciplinam mihi traditos, ad ingenuum iurisprudentiae ftudium exerceam; ut omnem animi egestatem et infirmitatem ingenii fugientes, in totam iurisprudentiam incumbant, et, una cum Philofophica Iuris Doctrina, Romanorum fapientiam et legum, ufu nunc etiam vigentium, peritiam, pari honore habeant, utque in quavis harum partium fint multi! Ita, fi quid video, bene conformati, Doctrinarum et Patriae commodis egregie funt confulturi.

Reliquum est, ut Academiae fata per annum magistratus mei enarrem et successorem, e Facultate Medica mihi ab augustissimo Rege designatum, Rectorem Magnificum renuntiem.

Faustis avibus dignitatem capessivi. Florebat Academia discentium numero et docentium alacritate. A gravi tamen iactura, quam experta fuerat ex morte MUNTINGHII et UILKENSII, qui inter clarissima, uti huius Academiae, ita orbis eruditi, lumina iure merito censebantur, nondum sese receperat. Mox autem utrumque nobiscum dolere quidem non desiit iuventus, disciplinarum amore capta, at lectiones, quibus eius commodis inserviebant, non amplius desideravit, Praeceptores nacta CLARISSIUM et VAN HALLIUM, utrumque Professoris ordinarii munus solenniter auspicatum. — At ne tunc quidem temporis omnia laeta nobis acciderunt. Inter Curatores enim fuerunt, fuerunt inter Professores, qui iam anni academici initio dolores experti e cari capitis interitu. Hasce vero clades inter eam, omnium consensu, acerbissimam dicendam esse puto, quam passus est SYPKENSIUS e morte dilectissimae coniugis, marito, parentibus, liberis, pariter lugendae. — At, si quidem e rebus domesticis dolor nonnullis fuerit enatus, de publicis fuit una omnium laetitia, quando, ante feriarum aestivarum initium, plures academiae cives ab ea discedebant, ad partes suas in civitate obeundas rite confirmati. Neque aliae deerant laetandi rationes. A metu enim, qui nos invaserat, ne ex ordine nostro discederet et ad aliam academiam transiret vir clarissimus, collega noster coniunctissimus, PETRUS HENDRIKSZ, a metu, inquam, illo feliciter respiravimus; qua de re Academiae nostrae impense gratulor. — Porro memorandum, non tantum instrumenta, quae Mathemicae, Physicae, Agriculturae, docendae inserviunt, iam commodius, quam antea, esse disposita, verum etiam Mechanices et Chemiae studio incrementa accessisse. Quando enim Regi augustissimo satius fuerat virum, hasce disciplinas non tantum cum iuventute academica communicari, verum eas, ad artes utiliores accommodatas, iis etiam exponendas esse, qui tales exercent, Chemiam ea ratione docere in se recepit STRATINGHIUS, vir clarissimus; ad Mechanicam vero in opificum utilitatem tradendam, Lectoris titulo, designatus est vir doctissimus, GIDEON IANUS VERDAM, cuius nomen in Academiae nostrae annalibus iam memoratum legi-

tur, quoniam in certamine literario anni MDCCCXXIII praemium reportavit, ex iudicio nobilissimae Facultatis disciplinarum Mathematicarum et Physicarum.

Hactenus vix aliquid acciderat, quod nobis doloris esse posset causa. Brevi vero mutata fuit rerum conditio et tristissimum mentibus haesit futuri temporis augurium. Omnes causam novistis, A. A. omnes lugetis cladem, urbi nostrae illatam! A mensis enim Iulii initio, primum multi e tenuiorum civium ordine, dein etiam alii, febribus insolitae vehementiae correpti fuerunt, ita quidem, ut vix ulla domus intacta remanserit. Tristissima erat civitatis facies. Crescere et in dies augeri morientium numerus; crebra nobis in plateis funera occurrere; occurrere feretra, humeris vicinorum imposita, qui, ex morbo nondum recreati, triste pondus aegre portabant, metuebantque, ne dies iam instaret, quo ipsis exsequiae pararentur, quas nulli ducerent, nisi febricitantes et macerati! Meum non est enarrare, qua via, quibus remediis, quoque humanitatis ardore, cum a Rege Augustissimo, tum a Magistratibus, provincialibus simul atque urbanis, et miseris aegrotantibus, saeva paupertate pressis, et restituendae per urbem sanitati fuerit prospectum. Mihi enim fata tantum Academiae sunt memoranda. — Praelectionum initium solito tempore fuit nuntiatum. Tenuis aderat auditorum numerus, multis urbem fugientibus et morborum periculo se committere detrectantibus. Multi Professorum in lectis decubuerunt, febrium impetus difficulter sustinentes, munerique suo obeundo prorsus non idonei. Eorum, qui artem medicam callebant, plerique aegrotantibus opitulabantur, sive publica auctoritate ad illud rogati, sive medicorum, morbo correptorum, vices laudabili benevolentia in se recipientes, omnes de miseris afflictisque civibus meritissimi. Quando res ita sese habebant, Academiae commodis magis consentaneum Senatui fuit visum, lectiones per mensem intermittere, simulque Regem Augustissimum precibus adire, ut, quae hodie celebrantur solennia, in tempus magis opportunum differre liceret. Rex votis nostris annuit et diem Orationi habendae constituere amplissimis Curatoribus mandavit. Quando vero febrium vis nondum frangebatur, iterum Senatus lectiones differri iussit, adeo ut initio demum mensis Decembris ad solitos labores simus reversi, quos, utinam, sine tristi aliqua calamitate ad finem perducere nobis concedat Deus Optimus Maximus! Iam imminuta morborum saevitia, paulatim revertentem videmus studiosam doctrinarum iuventutem et hactenus feliciter eius institutioni vacare nobis licuit. Iam si respiciamus, quid e

morborum; quibus urbis incolae vexati fuerunt, in Academiam detrimenti venerit, est, quod summo Numini maximas gratias habeamus. E Curatoribus et e Professoribus vix quisquam integra et non intermissa corporis sanitate fuit gavisus. De morbi apud multos exitu dubia fuit atque anceps medicorum spes et incerta simul omnium exspectatio, qui rebus nostris favebant. Iam cuncti mortis periculum effugerunt, ii non tantum, qui vegeto aetatis tempore florent, verum etiam, qui senectutem iam attigerunt. Utinam nemini collegarum lacrymas movisset inopinatus eorum decessus, quos prae aliis caros habebant! Utinam neque GRATAMA noster, neque TEN BRINKIUS, quisque dilectissimae coniugis mortem ploraret! Civibus nostris Academicis insigniter pepercit mortis violentia. Licet enim plures cum morbo sint conflictati, imo nonnulli in extremum vitae discrimen adducti, quatuor tantum, per totum, idque longum et periculosissimum, magistratus mei tempus, mortem occubuerunt. Horum primus ADRIANUS HUISINGH NOORMAN, iam tempore hiemali, de vita decessit, praeceptoribus triste sui desiderium relinquens. Tres reliqui, FRANCISCUS HENRICUS FOCKEMA, BERNARDUS DUNCKER et NICOLAUS BENNES BENNEMA, domi apud parentes, non in hac nostra civitate, vitae finem attigerunt; duo priores ineunte aetate et non procul a stadii academici initio; tertius annis aliquantum provectior et academiam linquere paratus, medicinae studium feliciter prosequutus, cui ars non profecit, quam in aegrotantium salutem exercere iam meditabatur.

Fata Academiae per tempus luctuosissimum, quo ipsi Rector praefui, ita pro viribus enarravi, prospera simul et adversa! Faxit Deus ut annum, quem iam sumus ingressi, laeta tantum afferat!

Iam victoribus in certamine literario praemia sunt tradenda, diu nimis ipsis exspectata. Sunt autem CAMPEGIUS HERMANNUS GOCKINGA et MENTO ANTONIUS HENDRIKSZ, Groninganus uterque, quorum alteri a facultate Iuridica, alteri a Medica, praemium fuit assignatum; porro ANTONIUS HENRICUS PAREAU, Rheno-Traiectinus, a facultate Theologica victor renuntiatus, uti et, cui secundi honores obtigerunt, WIBRANDUS VERWEY, Franequeranus. Antequam illud agam, te rogo, vir Clarissime, qui Senatui academia ab actis es, ut praelegas iudicia singulorum Ordinum de commentationibus, quae ipsis fuerunt oblatae.

(*Praeleguntur iudicia singularum Facultatum.*)

Tristia mittantur; restant nunc laeta. Iuventus
Accedit victrix, praemia iusta petens.
Nobilis haec pugnae species, generosa palaestra est,
Qua vigor ingenii perpetuusque labor
Victori laudemque parant laurique coronam,
Dum plaudunt Superi Pieridumque chorus.

Tu mihi, qui primus venis in certamine victor,
Cui risit blando lumine fausta Themis!
Accipe felicis radiantia signa laboris,
Altera, quae cingunt, florida serta caput!
Tu poenas, olim Nemesis quas dura poposcit,
Tractas, et seclo quae meliore vigent.
Ferrea Romuleae placeat lex Remmia genti
Quaeque semel fronti litera inusta manet.
Mitior haec aetas reiicit! Quae tempora delent,
Non decet haec hominum fronte notata legi!
Perge iter incoeptum, decus et tu gentis avitae
Sincero Themidos pectore sacra cole!

Castra tenens alius venis huc Epidauria miles,
Fortia signiferi gesta Parentis amans.
Praemia virtutis nunc accipe, moxque maiora
Ense salutari, prosper in arte, pete!
Pulchra iuvent alios! Fixos corpusque virile
Alliciant oculos foemineusque decor!
Attonitos vivi teneant et Apollinis artus
Deque coruscanti marmore ducta Venus!
Haec alios capiant! Sed fortibus arte medendi
Prae pulchris, quae sunt utiliora, placent.
Quem dolet abnormem lacrymosa puerpera foetum,
Hunc fovet ignito, qui valet arte, sinu.

Non grave portentum, madidum non ſanguine monſtrum,
Horrorem medico fert fremitumque parit.
Hinc oritura ſalus miſeris! Libitina, figuris
Territa monſtroſis, eſt petitura fugam!
Nobile tu nomen multisque inſigne triumphis
Doctrina illustres artificique manu!

Tertius accedis, meritos petiturus honores,
Aurea doctrinae praemia, victor, habe!
Quae per Idumaeas ſonuerunt tristia palmas
Davidis querulis carmina fuſa modis;
Quos quondam cantus ferventior audiit Eos;
Quos citharae ſtupuit Graecia prisca ſonos;
Quos de nimboſis excepit rupibus Arctos,
Clangores tremulae, vate canente, lyrae;
Hos labor est conferre tibi dulcisque voluptas,
Lautis quem dapibus Muſa benigna fovet!
Perge viam, viridi frontem iam ornate corona,
Doctrinaeque refer nomen amore Patris!

Quartus ades pugnae conſertor et alter ab illo,
Victrix cui ceſſit palma, negata tibi.
Non animum haec minuat, decoris quae plena, repulſa!
Laus est cum validis conſeruisſe manum.
Bis tibi praeripuit laurum modo fortior unus,
Mox aliam intrepido tertia pugna dabit!

Claſsica pulſa ſonant. Instant nova praelia. Gnavos
Muſa vocat. Cupidis laudis arena patet!
Surgite, doctrinae pectus quibus ardet amore!
Muſa vocat gnavos; claſsica pulſa ſonant!

Hoc ſuperest unum. Rectorem, clare STRATINGHI,
Nunc te proclamo et proſpera cuncta precor.
Accipe tu clavum; fausto tu ſidere puppim
Dirige! Sit nautis aura benigna comes!
Salve iterum Rector! Tibi ſit felicior annus,
Muſarum et valeat, te duce, nostra domus!

CAMPEGII HERMANNI GOCKINGA,

GRONINGANI,

IURIS UTRIUSQUE IN ACADEMIA GRONINGANA CANDIDATI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM,

AB ORDINE IURIDICO IN ACADEMIA GRONINGANA

ANNO CIƆIƆCCCXXV

PROPOSITAM: QUA

„*Quaeritur disputatio de poena ſtigmatis, de eius origine atque uſu*
„*apud diverſos populos, deque eius meritis ſecundum praecipuos*
„*Iuris Criminalis ſcriptores.*"

QUAE PRAEMIO ORNATA FUIT

a. d. 21 Decembris CIƆIƆCCCXXVI.

D 1

CONSPECTUS.

CAPUT SECUNDUM. De poenae stigmatis meritis, secundum praecipuos iuris criminalis scriptores.

INTRODUCTIO.



Si quorumvis populorum, qui, et remotissima antiquitate, et recentioribus aevis, orbem terrarum incoluerunt, intueamur historiam, praesertim si in iuris criminalis, quae apud illos fuit, conditionem inquiramus, ingeniosae saepe hominum occurrunt in inveniendis poenis crudelitatis specimina. Apud omnes vero neque idem conspicitur crudelitatis, neque idem inhumanitatis gradus, et, uti generatim ex iuris criminalis conditione, ita et ex poenis, quae apud illos diversis temporibus fuerunt in usu, humanitatis cultum, quo erant, non immerito fere diiudicare solent posteri. At aliquando ex consuetudine quadam poenae diu manserunt in usu, quae humanitatis cultui, quo erant homines, non satis conveniebant, quasque ideo longe plures ex illis iam respuebant. Nimirum sic fieri solet apud aegros mortales, ut, pluribus etiam perspicientibus, abusus, qui diu exstiterunt, ex consuetudine quadam et negligentia, remaneant, donec tandem, opportuna quadam occasione data, omnes simul errores, quibus diu fuerunt detenti, perspiciant et in eumdem finem conspirent. Tunc demum reformantur abusus, atque tali etiam occasione plura fuerunt sublata suppliciorum, plura tormentorum genera.

Inter poenas autem, quae antiquitus fuerunt in usu, quarum nonnullae ante aliquot decennia nondum erant abrogatae, quarumque, eheu! vel hodie apud nonnullos Europae populos inveniuntur vestigia; inter hasce, inquam, poenas erant adeo crudeles et ab omni humanitatis sensu alienae, ut vel illarum pro-

nuntiatio, quae ore fiat, multo magis illarum defcriptio, horrore quodam naturali nos percutiat! Harum autem poenarum afferre fpecimina non huius est loci. Qui plura de hisce velit, infpiciat IACOBI DÖPLERI *Theatrum poenarum, fuppliciorum, et executionum criminalium, oder Schauplatz derer Leibes und Lebens-Strafen, welche nicht allein vor Alters bey allerhand Nationen und Völcken in Gebrauch gewefen, fondern auch noch heut zu Tage in allen vier Welt-Theilen üblich find.* (Sondershaufen und Leipzig, 1693 und 1697). De hacce collectione, duo integra volumina in 4° complexa, qua quae contineantur titulus indicat, quae caeteroquin neque ordine, neque accurata expofitione fefe commendat, at qua melior et locupletior in hoc genere adhucdum defideratur, LEYSERUM, precor, audiatis: „Hunc librum cum legerem," ait, „faepius lacrymae coortae funt. Incredibile est enim, quousque „tyrannorum, facerdotum Chriftianorum, inquifitorumque ingeniofa immanitas „procesferit, quam illi diros cruciatus excogitaverint, quibus etiam PHALARIDIS faevitiam fuperarunt. Quam ob caufam hoc DÖPLERI opus nefcio „quis hiftoriam crudelitatis humanae non immerito vocavit" (1).

Praeter crudeliora illa fupplicia, quae merito refpuit aetas noftra, aliae funt poenarum fpecies, quarum iam remotisfima antiquitate veftigia confpicere licet, quaeque etiam hodie apud varios populos, vel cultioris Europae, funt in ufu. De hisce poenis magis utilis procul dubio est disputatio, quippe quarum ufum diverfis temporibus, atque merita fecundum praecipuorum iuris criminalis fcriptorum fententias, cognoscere, quam plurimum interest.

Inter hasce fcilicet poenas poena ftigmatis est, de qua vel maxime hodie utilis videri potest disquifitio, quum exfpectemus legum poenalium Codicem, qui iamiam Codicis Gallici, quo adhucdum Belgae regimur, occupabit locum. Etenim in hocce Codice recepta est ftigmatis poena, eaque, fecundum plurium opinionem, fatis frequens. Iam vero ab una parte fufpicari licet, Codicis poenalis, quem exfpectamus, Auctores non absque gravibus rationibus poenam reiecturos esfe, quam Codex recepit, qui per quindecim circiter annos apud nos legis vim habuit; fufpicari vero ab altera parte licet, Viros illos Illuftres non

---

(1) Cf. HOMMEL, *Literatura iuris*, p. 126. edit. 2dae. — De variis fuppliciorum generibus, quae olim fuerunt in ufu, vide etiam Doct. E. L. LEWE, Disf. Iur. Inaug. *de ingeniofa hominum in poenis crudelitate* (Groningae 1804.)

retenturos esse poenam, quae, licet diu apud nos in usu fuerit, per se tamen sit improbanda.

Hac igitur inprimis tempestate sese ab utilitate commendare videri potest quaevis disputatio de poena, quae apud nos diu fuit in usu, estque etiam hodie, quae tamen variis impugnata fuit argumentis, imo quae ex nonnullorum populorum Codicibus reiecta fuit, disputatio, inquam, de poena stigmatis. Commendare sese videtur quaevis disputatio, e qua uno intuitu de huius poenae usu apud diversos populos constare possit, et in qua collectae sint atque expositae praecipuorum iuris criminalis scriptorum de eius meritis sententiae.

Hac, suspicor, similive ratione moti, Viri Clarissimi in Facultate Iuridica Academiae, quae Groningae floret, Professores, pro certamine literario anni 1825 — 1826 *disputationem* quaesiverunt *de poena stigmatis, de eius origine atque usu apud diversos populos, deque eius meritis secundum praecipuos iuris criminalis scriptores.*

Sed quo diverto? — An absque arrogantiae specie tale Viris Clarissimis in proponenda hacce quaestione suspicari liceat consilium? An credere liceat, iuvenis cuiusdam laborem hic aliquid forte utilitati publicae afferre posse? — Imo vero licet; namque commentationem voluit Facultas omnem historicam, de poenae stigmatis origine, usu atque meritis, non ex iuvenis auctoris opinione, at ex virorum, in iuris criminalis disciplina peritorum, sententiis. Historicorum igitur, ut ad quaestionem respondeatur, evolvenda volumina; legum poenalium conferendi Codices; scriptorum de iure criminali perlustrandi, comparandi libri. Ad hanc operam non ingenium requiri exercitatum, experientia edoctum, existimari potest. Diligentia inprimis in colligendis variis hisce legum atque scriptorum locis, atque collectorum accurata dispositio ad hoc opus sufficere videri poterant; neque alia a iuvene exposcere Nobilissimam Facultatem, mihi persuasum habeo.

Hisce igitur talibusque apud animum agitatis, diligentiam illam impendere et ego statui, atque accuratam illam dispositionem tentare. *Ardore quodam amoris* forsitan incitatus, *quo sine in vita nihil quidquam egregium fit*, TULLIO iudice, rem aggressus fui: ubi autem semel initium feceram, retrogredi indignatus sum, et, ubi satis iam temporis labori impenderam, difficultatibus,

quae haud raro occurrerunt, me quoque resistere oportere putavi, unde tandem me nulla ratione a proposito deterreri passus fui.

Tentamina itaque quaedam ad quaestionem propositam Viris Clarissimis, laborum iuvenilium aequis iudicibus, offerre ausus sum, hac nixus QUINCTILIANI voce: *Audere non dedecet.* Arrisit mihi, (quid enim infitear?) laureae, ab Augustissimo Rege victori in certamine propositae, imago. At ne credatis, Viri Clarissimi! me, tenuitatis meae probè conscium, eo temeritatis me abduci sivisse, ut huius laureae imaginem solam ad virium periculum tentandum mihi sufficere crediderim, nisi id inprimis habuissem in votis, ut ex variorum scriptorum locis legendis, colligendis, comparandis, exponendis, aliquid saltem in iure criminali proficerem.

Hacce praecipue ratione motus, hisce tentaminibus ad quaestionem respondere conatus fui, sic ratus: *quidquid praeter spem eveniet, omne id me deputaturum esse in lucro.*

Scripsi mense Martio
A. CIↃIↃCCCXXVI.

CAPUT PRIMUM.

DE POENAE STIGMATIS ORIGINE ATQUE USU APUD DIVERSOS POPULOS.

SECTIO PRIMA.

DE POENAE STIGMATIS ORIGINE.

Quamquam difficillima res fit, cuiusvis moris originem explorare; quamquam certum quid, neque ullis dubiis obnoxium, hac in re fere ftatui nequeat, nifi a tempore non valde remoto fit repetenda res, utile tamen admodum esfe conftat, in quavis hiftorica disquifitione, a rei pertractandae originis inveftigatione initium facere. Deficientibus autem monumentis, e quibus certo certius effici posfit, rem aliquam apud certum populum certoque tempore esfe exortam, neque eam apud alium quemvis populum, neque alio tempore, exiftere potuisfe, de iis tantum dicere posfumus, quae vetuftisfima nobis praebeant rei, in quam inquirimus, veftigia. Et hoc fere tutius fieri exiftimo, fi rei, cuius iam remotisfima antiquitate occurrunt indicia, perfcrutemur hiftoriam. Quis enim, precor, probare posfit, populum illum, apud quem quis prima cuiusvis moris inveniat veftigia, morem iftum ab alia quadam gente accipere non potuisfe? Quod quin facile admodum nos latere posfit, nemo est qui dubitet.

Quidquid igitur fit, et quamvis exiftimemus, certo certius non posfe affirmari, quonam tempore et apud quamnam gentem ftigmatum inurendorum ufus, five poenae nomine, five aliam quamvis ob caufam, factum id fuerit, primum

obtinuerit, ſatis tamen certo conſtat, ex remotisſimis temporibus repetendam esſe huius rei originem.

Vetuſtisſima, quantum quidem ſcio, ſtigmatum inuſtorum veſtigia nobis in Veteris Foederis monumentis, in MOSIS libris, occurrunt. Nimirum apud Israëlitas invaluisſe videtur mos corpora ſua, quando triſte quid ſibi acciderat, verbi cauſa, ſi quis e conſanguineis vel familia vel amicis mortem occubuerat, variis afficiendi cruciatibus, ut ſcilicet ſic moeſtitiam per externas notas ſignificarent. Ad Gentilium exemplum hic mos apud Israëlitas introductus fuisſe videtur, et varia occurrunt in Veteris Foederis libris loca, quibus hunc morem indignantur Prophetae, eiusque uſum Israëlitis interdicunt (1). Inter hos cruciatus, quibus corpus afficere ſolebant, inciſiones erant, quas in corpore faciebant (2); erant quoque ſigna, quae faciei vel alii corporis parti ardente ferro imprimebantur, qua de re ſatis certo conſtat ex hoc MOSIS loco (3): „Et ſuper „mortuo non incidetis carnem veſtram, neque figuras aliquas aut ſtigmata „facietis vobis" (4). Satis aperte ex hoc loco apparet, iam MOSIS tempore in uſu fuisſe ſtigmatum per ferrum candens inuſtionem. Imo ex hoc loco patere mihi videtur, iam prius apud alias gentes illum morem obtinuisſe; etenim Propheta ab hoc more Israëlitas dehortatur, quippe quos dedeceat moeſtitiae ſignificandae cauſa corpus dolore afficere, quum hominibus, qui quotidie ſingularibus Dei beneficiis gaudent, non, uti Gentilibus, esſet, quod de cognatorum et amicorum post mortem ſorte ſollicití esſent.

---

(1) Vid. *Levit.* XIX. 28. *Deuter.* XIV. 1. I *Reg.* XVIII. 28. *Ierem.* XVI. 6. XLI. 5. XLVII. 5. XLVIII. 37.

(2) Vide loca laudata.

(3) *Levit.* XIX. 28. Cf. Clar. VAN DER PALM in annotatione ad h. l. Ad eumdem locum Commentationem conſcripſit I. BONFREZ, qui ad ſtigmatum inurendorum morem pertinere videtur, quam tamen mihi inſpicere non contigit.

(4) Locum MOSIS ſic vertit Clar. VAN DER PALM: „Gij zult in uw vleesch geene inſnijding „maken om eenen dooden; en *gij zult geen ſchrift in u doen inbranden.*" Paullo aliter locus redditus legitur in verſione communi, quae ita audit: „Gij en zult om een dood ligchaam geene in„ſnijdinge in uw vleesch maken, *noch ſchrift eens ingedruckten teeckens in u maken.*" Cum ultimis hisce verbis, in verſione communi obviis, egregie convenit vox latina *inſcriptio*, qua ſaepe *ſtigmata inuſta* ſignificant ſcriptores Latini. Vid. v. c. SENECA, *de Ira*, III. 3. PLINIUS, H. N. XVIII. 3. XXII. 1. MARTIALIS, VIII. 75. 9. AUSONIUS, *Epigr.* XV. 3.

A populo igitur quodam Gentili, qui tempore, quo MOSES Propheta ex divino iussu Israëlitis leges condidit, quin forte iam ante MOSEM, aderat, et quocum consuetudinem habebant Israëlitae, repetenda videtur, secundum ea, quae nobis supersunt, monumenta, stigmatum inurendorum origo. Forsitan hunc morem ab aliquâ gente acceperant, quae regionem ipsis a Deo promissam incoluit, vel forte ab Aegyptiis; namque certum quid hic statuere periculi plenum existimo. Constat certe, apud Aegyptios Pontifices, quando Pontifex Maximus mortem occubuerat, iam remoto tempore in usu fuisse, sibi, moestitiae significandae causa, candente ferro notam alicui corporis parti imprimere, manui videlicet, brachio vel pectori, ut sic haberent signum externum (quo homines parum culti in quavis ferme re indigere solent), quod, quoties adspicerent, toties ipsis Pontificis Maximi mortem ante oculos poneret (5).

Non tamen poenae nomine, qualem *poenam* intelligunt Iureconsulti, hunc stigmatum inurendorum morem apud populos illos obtinuisse, ex dictis satis apparet. At modus erat, quo utebantur ad tristitiam significandam, et ab hoc tamen more origo repetenda videtur frequentis huius stigmatis inustionis poenae nomine usus, qui deinde apud alios populos obtinuit, et hodie etiam obtinet. Quod enim primum sibi inusserunt quidam, ut moestitiae haberent signum externum, id deinde ut internoscendi notam posse inservire, comperiebant homines; idque alii subinde in maleficis quoque adhiberi voluerunt, quod in perpetuum infamiae testimonium circumferrent, ut ab aliis facile dignosci possent.

Hinc generatim trahendam esse poenae stigmatis originem equidem suspicor. Quaenam vero apud singulos populos fuerit rei origo, difficulter admodum definiri posse existimo.

---

(5) Vid. CHRISTOPH. CRUSIUS, *de indiciis delictorum*, P. III. c. 2. no. 131. DÖPLER, *Theatrum poenarum, suppliciorum, et executionum criminalium, oder Schau-Platz*, etc. T. I. p. 906. n°. 8. Hoc in loco de Aegyptiis loquuti operae pretium existimamus, de more inurendi stigmatis verbum hic addere, qui, recentiori quidem, at satis etiam remoto, tempore apud illos obtinuit. Excogitaverat nimirum PTOLEMAEUS PHILOPATOR, Aegyptiorum rex, crudelis ille ac libidinosus, Iudaeis, ignominiae causa, ferro candente imprimere signa, hederae figuram referentia, in BACCHI honorem, quod quidem an imitati fuerint sequentes Aegyptiorum reges, mihi non apparuit. Vide hic BAIL, *Etat des Juifs en France, en Espagne et en Italie* (Parisiis 1823), in annotationibus, pag. 150 seq.

Generatim obſervari poſſe equidem puto, ſtigmatis inurendi morem, ubi ſemel apud unam aliquam gentem pro poena uſu recepta fuerit, mox ab alia quadam gente eodem conſilio uſurpatam fuiſſe, itaque pedetentim apud plures populos poenam ſtigmatis civitate donatam fuiſſe. Namque ita plerumque fieri notiſſimum est, et raro fit, ut uno ictu morem quemdam apud unam alteramve gentem exſtitiſſe dicendum ſit, neque aliter plerumque in poena ſtigmatis obtinuiſſe puto. Ubi vero forte de ſingulari huius poenae origine ex unius alteriusve populi hiſtoria conſtare mihi videatur, id ſequenti Sectione diligenter notabo.

SECTIO SECUNDA.

DE POENAE STIGMATIS USU APUD DIVERSOS POPULOS.

Remotissimis iam temporibus in usu fuisse stigmatum, quae ardente ferro fiebat, inustionem, in praecedenti Sectione vidimus, ubi in huius rei originem inquisivimus. Iam MOSIS tempore Israëlitas corpora sua notis inustis inscribere fuisse solitos, satis aperte ex Veteris Foederis monumentis constare probavimus. Iam antea apud alios populos hunc morem obtinuisse probabile esse disputavimus. At neque internoscendi causa, neque poenae vel ignominiae nomine, id primum fuisse factum, observavimus; sed moestitiae per signa externa declarandae causa. Deinde vero apud varios populos haec stigmatis inustio obtinuit, nonnunquam tantum dignoscendi ergo, plurimum tamen etiam poenae, qualem nos intelligimus, nomine, et ignominiae causa, ita tamen ut fere semper conspiciatur simul secundarius finis: ut inusti ab aliis internoscantur (6).

De poenae stigmatis usu apud diversos populos hac Sectione disputandi erit locus, ita tamen, ut non omittamus de illis stigmatibus breviter dicere, quae apud nonnullos populos internoscendi tantum ergo inuri aliquando solebant.

(6) Imo, apud incultas nonnullas gentes, ut formosos se reddant, sibi candente ferro signa in facie, vel alia quadam corporis parte, imprimere solent homines; quod de Nigritis, in Insula *Mosambique*, narrare IOH. HUG. VON LINDENSCHOTT, *der Orient. Indien*, cap. 41. p. 122. affirmat DÖPLER., T. I. p. 906. nº. 6. Sic inter Abexynos, gentem in Indiis Orientalibus, quatuor signis, in facie inustis, sese ab aliis distinguere solere CHRISTI religionis sectatores, narrat Idem cap. 40. p. 120, citatus a DÖPLERO l. l. nº. 9. — Denique honoris causa, apud populos quosdam, stigmate in humero sese notare solere nobiliores tantum, legitur in libro, cui titulus: *Essais historiques sur Paris*, par SAINT-FOIX (ed. 1766) T. V. p. 66, uti refert CARNOT, *Commentaire sur le Code Pénal*, (ed. Bruxell. 1825) T. I. p. 100.

Ubivis tamen, quid *poenae* vel *ignominiae* nomine, quid *dignoscendi tantum* caufa fuerit factum, accurate diftinguere conabimur.

§ 1.

De Graecis, Athenienfibus inprimis, et Samiis.

Apud Graecos olim in ufu fuisfe ftigmatis inuftionem diferte teftantur varii fcriptores.

Sic in bello, quod, PERICLIS aetate, Athenienfes inter et Samios geftum fuit, nobis huius rei ufus in utriusque populi captivis ufurpatus occurrit; nimirum primum Athenienfes iis, quos e Samiis ceperant, *Samaenam* (7) in fronte inusferunt, et mox vicisfim Samii Athenienfium captivorum frontibus, ut ita ignominiam, quam fui fuerant pasfi, reponerent (8), noctuae figuram inusfere (9). — Ad notas illas, Samiorum frontibus inuftas; alludit ARISTOPHANES, in hoc verficulo, quem affert PLUTARCHUS in *Pericle*, (Latine):

„ Quam literis Sami incolae funt praediti."

Athenienfes praeter captivos etiam cives fuos et milites, qui in bello male verfati fuerant, vel in fugam fefe coniecerant, ftigmate in facie notasfe, ex AELIANO conftat (10). Poenae autem et ignominiae nomine hoc factum fuisfe procul dubio dicendum est; ut fcilicet ita de illorum ignavia in perpetuum conftaret.

Apud Graecos praeterea generatim fatis ufitatam fuisfe poenam ftigmatis,

---

(7) Erat *Samaena* navis biremis, rotunda, concava, ac in ventris fimilitudinem formata, cuius auctor primus Samiorum tyrannus, POLYCRATES. Vid. PLUTARCHUS, in *Pericle*, edit. XYLANDRI (Francofurti 1619) T. I. p. 221., edit. Belg. Cl. WASSENBERGHII et BOSSCHAE T. III. p. 103.

(8) Vid. PLUTARCHUS in *Pericle* l. l. AELIANUS *Var. Hist.* L. II. c. 9. COELIUS RHODIGINUS, *Lect. Antiq.* L. XV. c. 27. Cf. GREGORIUS THOLOSANUS, *Syntagma Iuris*, L. XXXI. c. 35. n°. 3. DÖPLER, T. II. p. 908. LIPSIUS, *Elect.* L. II. c. 15. (Operum T. I. p. 804.) Rhodiorum captivorum frontibus ftigmata inufta fuisfe ab ARTEMISIA, Cariae regina, VITRUVIUS auctor est L. II. c. 8.

(9) Noctua, Palladis avis, Athenis facra habebatur; unde magis etiam ignominiofa erat huius figurae inuftio. Vid. nota in edit. Belg. PLUTARCHI laudata, T. III. p. 104.

(10) Vid. l. l.

inprimis in fervis, ex PHOCYLIDIS adhortatione, Graecos ab ifta crudelitate revocantis, apparere videtur. PHOCYLIDES haec habet:

„Στίγματα μὴ γράψῃς, ἐπονειδίζων θεράποντα" (11).

Praeter fervos tamen et furibus ftigmata inurere folitos fuisfe Graecos, eosque huic poenae ignominiam tribuisfe, referunt (12).

Stigmatis poenam praecipit etiam PLATO, iubetque facrilegos in fronte et manibus inuri. PLATONIS verba, latine reddita, haec funt: „Si quis „facrilegium commiferit, fi quidem fervus aut hospes fuerit, in facie manibus„que crimen infcriptus, et flagellatus, extra patriae fines proiicitor" (13).

Ex eo autem, quod PLATO, in fua republica conftituenda, ftigmatis poenam (quamvis in fervis folum et hospitibus) admisfam voluerit, fatis tuto effici posfe mihi quidem videtur, fatis frequentem tempore, quo vixit PLATO, fuisfe huiusce poenae ufum; fufpicandum enim est, Philofophum, in poenis eligendis, non multum a fui temporis moribus et ufu aberravisfe.

§ 2.

De Thracibus et Thesfalis.

Apud Thraces iam antiquitus in ufu fuit poena ftigmatis (nifi forte malis ultionem nominare), et fatis fingularis erat caufa, quare illam adhibuisfe feruntur. Traditum enim fuerat, ORPHEUM a mulieribus fuisfe interfectum, unde foeminis ita infenfi facti fuerunt Thraces, ut harum fingulis ftigma inusferint; nimirum, ut fic ORPHEI mortem vindicarent. Hunc autem morem, fatis profecto fingularem, fua etiam aetate obtinuisfe teftatur PLUTARCHUS (14).

Docet praeterea ARTEMIDORUS, Thraces ingenuis pueris ftigmata inurere fuisfe

---

(11) PHOCYLIDES, in *Admonitione*, vs. 212, in *Gnomicis poetis Graecis*, editis a BRUNCKIO (Argentorati 1784). Cf. LIPSIUS l. l.

(12) Vid. CRUSIUS, *de indiciis delictorum*, P. III. c. 2. n°. 131.

(13) PLATO, *de Legibus*, L. VIII. Cf. idem L. IX. p. 54 edit. SERRANI.

(14) Vid. PLUTARCHUS, in libro: *de fera Numinis vindicta*, cap. 27. edit. XYLANDRI T. II. p. 166. ALEXANDER *ab* ALEXANDRO, *Genial. Dier.* L. II. c. 14. p. 185. Cf. DÖPLER, T. II. p. 911. LIPSIUS, *Elect.* L. II. c. 15. (Op. T. I. p. 804.) DALECHAMP ad PLINIUM, H. N. XVIII. 3.

folitos (15), quod ex odio quodam vitae profectum fuisse videtur. Apud Thraces enim, uti narrat HERODOTUS (16), puerperia luctuosa erant, at funera laeta (17). — Idem quoque mos apud Aegyptios, Sarmatas et Aethiopes in usu fuisse traditur (18).

Thessalos, saeculo ante Christum natum quarto, servis stigmata inussisse, ex eo patet, quod de ALEXANDRO PHERAEO narrat VALERIUS MAXIMUS: ille autem, cum ad THEBEN uxorem in cubiculum veniret, servum, compunctum notis Threïciis, anteire iubebat (19); ad quem locum notat OLIVERIUS, servis fugitivis stigma inussisse Thessalos, qui hunc morem a Thracibus acceperant, unde de *notis Threïciis* loquitur VALERIUS.

§ 3.

De Syracusanis.

In bello, quod cum Atheniensibus gesserunt Syracusani, stigmatis poena hos fuisse usos constat. Syracusani autem, quum, post varia fata, victores exstiterant, et ipsum NICIAM ducem cum multis ex Atheniensibus ceperant, ex his alios in Latomias (20) coniecerunt, alios pro mancipiis vendiderunt, atque his equi figuram in fronte inusserunt. Summum huic inustioni dedecus tribuisse Syracusanos, exinde patet, quod primum hanc poenam illis tantum ex captivis decreverant, qui ingenui non essent, licet deinde, priori consilio misso, ingenuos etiam Athenienses hac ignominiae nota affecerint (21).

---

(15) Vid. DÖPLER l. l. p. 906, quemque ille laudat HENELIUS, in *Otio Wratislaviensi*, c. 16. p. 129.

(16) Lib. V. c. 4.

(17) Cf. Doct. R. WINSSINGER, Comment. *de talionis poena*, p. 63, in Ann. Acad. Gron. 1821-1822.

(18) Vid. IAC. GOTHOFREDUS, ad leg. 2. Cod. Theod. *de poenis* (IX — 40.)

(19) VALER. MAX. IX. 13.

(20) Erant *Latomiae* lapidicinae, quibus pro carceribus utebantur Syracusani inde a DIONYSII Tyranni tempore, qui Syracusis regnavit anno A. C. N. circiter 400. Vid. CICERO in VERREM, V. 27 et 55.

(21) Vid. PLUTARCHUS in NICIA, edit. XYLANDRI T. II. p. 194. med. (edit. Belg. T. VII.

§ 4.

De Perfis.

Barbaros, quos Graeci vocare folebant, poenam ftigmatis habuisfe in ufu, eosque huic poenae ignominiam tribuisfe, ex eo patet, quod in bello, quod quinto A. C. N. faeculo cum Graecis gesfit XERXES, Perfarum rex, huius poenae ufus nobis veftigia praebeat hiftoria. Nimirum, quum plures e Thebanis, Graecorum caufam prodentes, ad XERXEM transfugae facti esfent, hisce, ignominiae caufa, ftigmata inuri voluit rex, et primum quidem LEONTIADI duci (22). Quamvis poena proprie non fuerit haec captivorum inuftio, qualem fcilicet poenam intelligere folemus, in civitate conftitutam, punitionis certe ergo hoc ftigma a XERXE admisfum fuisfe merito iure dici potest. Imo probabile exinde fit apud hunc populum etiam ob delicta, proprie fic dicta, in ufu fuisfe hancce poenam.

Etiam hodie in Perfia furibus in fronte ftigma inuri folere affirmat PASTORETUS, legum populorum in Oriente fcientia inprimis eminens (23).

§ 5.

De Macedonibus.

Eiusdem poenae veftigia apud Macedones quoque invenimus. Narrat autem SENECA, PHILIPPUM regem ingrati cuiusdam militis, qui hofpitii iura violaverat, fronti, duo integra verba, quae crimen in perpetuum denotarent, inuri iusfisfe. PHILIPPUM ita loquentem facit SENECA: „Potius est intra fines „regni mei te literas iftas, oculis infcribendas, durisfima fronte circumferre.

p. 404.) POLLUX, *Onomast.* L. III. c. 8. Cf. GREGORIUS THOLOSANUS l. l. L. XXXI, c. 35. n°. 3.

(22) Vid. HERODOTUS, L. VII. cap. 233: „*τοῦς πλεῦνας αὐτέων, κελούσαντος Χέρξεω,* „*ἔστιζον στίγματα βασιλήϊα, ἀρξάμενοι ἀπὸ τοῦ στρατηγοῦ Λεοντιάδεω.*"

(23) Vid. PASTORET, *Betrachtungen über die Srafgefetze*, (edit. ERHARDI, Lipfiae 1792 et 1796.) P. II. c. 2. fect. 1. (T. I. p. 198.)

„Oftende quam facra res fit menfa hofpitalis; praebe in facie tua legendum il- „lud decretum, quo cavetur, ne miferos tecto iuvare capitale fit; magis ifta „conftitutio fic erit rata, quam fi illam in aes incidisfem" (24). De ftigmate *fronti* inufto intelligendus hic locus videtur, ita ut verba illa: *oculis circumferre*, denotent: *legentium oculis praebere*, uti recte explicuisfe IACOBUM GOTHOFREDUM equidem exiftimo (25).

§ 6.

De Romanis.

Hactenus igitur vidimus apud varios populos antiquitus in ufu fuisfe ftigmatis inuftionem; nimirum apud Israëlitas, imo et apud alias gentes, a quibus hi illum morem receperant; apud Aegyptios, Aethiopes, Graecos, inprimis Athenienfes, Samios, Thraces, Thesfalos, Carios, Syracufanos, Perfas, et Macedones; vidimus apud alios moeftitiae fignificandae caufa, (a quo more nos rei originem repetendam esfe disputavimus,) apud alios inuftos internofcendi caufa, apud alios denique poenae et ignominiae nomine venisfe hunc morem ftigmata vel fronti vel alii corporis parti inurendi.

Disperfa valde fuerunt indicia, quae de hifce populis hic illic invenimus. Iam vero de Romanis difputandi est locus, de quorum hiftoria et antiquitatibus plura nobis fuperfunt monumenta, e quibus accurate huius rei ufum apud populum illum defcribere conabimur.

Varius autem apud Romanos fuit ftigmatum inuftorum ufus; aliis tantum internofcendi caufa notae inurebantur, aliis poenae et ignominiae nomine: in his vero etiam fecundarius fimul confpicitur finis: ut inufti ab aliis dignofcerentur.

Satis latum hunc campum ita diftinguemus, ut de fingulis inuftorum generibus feparatim difputemus; accurate porro diftinguere conabimur quid poenae nomine, quid alio quovis, fuerit factum. Dicemus nempe:

---

(24) Vid. SENECA, *de Benef.* IV. 37 et 38. Cf. DÖPLER, T. I. p. 918.

(25) Ad l. 2. Cod. Theod. *de poenis* (IX—40.)

1°. de tironibus;
2°. de fabricensibus;
3°. de aquariis;
4°. de captivis;
5°. de servis privatis;
6°. de calumniatoribus;
7°. de servis poenae factis, qui dicebantur.

Ex his, qui ad tria priora genera pertinebant, stigmate tantum inuri solebant, ut ab aliis internoscerentur; qui vero de quatuor posterioribus generibus erant, iis poenae nomine fiebat stigmatis inustio, vel ignominiae certe, si forte poena dicenda non sit stigma illud captivis illatum. Attendendum tamen et hic est ad id, quod modo observavimus, secundarium finem etiam apud Romanos semper fere in stigmate, poenae nomine illato, conspici (26).

Septem igitur inustorum genera apud Romanos distinguimus, quamvis alii quinque tantum nuncupent, quos inter GOTHOFREDUS, MASCOVIUS, alii. At hi sub *servorum* nomine, et servos poenae factos, et servos privatos comprehendunt, quod mihi admittendum non videtur, quoniam magna inter hosce, quoad conditionis originem certe, aderat differentia. Deinde hi ex *aquariis* et *fabricensibus* unum genus faciunt, ubi mihi duo discernere genera magis placet. — Iam vero videamus de singulis.

I. *De Tironibus.*

Tirones, id est, milites recenter lecti, recenter militiae adscripti, matriculis inserti, apud Romanos stigmate notari solitos fuisse, ex variis scriptorum legumque locis apparet (27). Nullum tamen singulare hac de re fragmentum,

(26) Cf. GOTHOFREDUS ad L. l. 2. Cod. Theod. HOMMEL, Diss. *quid de poenis Romanorum criminalibus, in iure Romano obviis, philosophice statuendum sit*, in *Select. Diss. et Comment. Iur. Crim. collect.* quam edidit CHRIST. MARTIN (Ienae 1822.) Vol. I. p. 34, ibique in nota.

(27) Huius stigmatis, internoscendi caussa recenter lectis militibus olim apud Romanos adusti, vestigia et hodie apud Anglos supersunt. Hi autem, uti ferunt, iis, qui militiae navali sunt destinati, notam in brachio adurunt. Vestigia forte huius prisci moris etiam quis conspicere possit in no-

neque in Codice Theodofiano, neque in Digeftis, neque in Codice Iuftinianeo, quantum quidem fcio, exftat. At dicunt Imperatores ARCADIUS et HONORIUS in lege, quam de fabricenfibus ftigmate notandis tulerunt (28), (de qua lege infra latius dicemus,) hunc morem a fe introduci *ad imitationem tironum*, adduntque: *ut hoc modo faltem posfint latitantes agnofci*, quae quidem ratio in tironibus notandis procul dubio etiam adfuit; namque de poena hic non esfe cogitandum per fe patet.

Rei autem origo haec est. Romanorum moribus in peius iam ruentibus, cives, quibus militandum erat, ut militiam fubterfugerent, fervilia et viliora capita fubftituere folebant; unde e pesfimi generis militibus componebatur exercitus; „hinc," inquit VEGETIUS (29), „tot ubique ab hoftibus illatae funt „clades, dum longa pax militem negligentius incuriofiusque legit, dum hone„ftiores quique civilia fectantur officia, dum posfesforibus indicti tirones per „gratiam aut disfimulationem probantur, talesque fociantur armis, quales do„mini habere faftidiunt." Huic rei medicinam afferre iam conati fuerant GRATIANUS, VALENTINIANUS et THEODOSIUS Imperatores (30), at conati fuerant fruftra; ideoque deinde mos tirones, militiae defignatos, ftigmate inufto notandi, invaluit. De hoc more plures e veteribus fcriptoribus loquuti funt. Haec habet AETIUS (31): „Στίγματα καλοῦσι τὰ ἐπὶ τοῦ προσώπου, ἢ ἄλλου „τινος μέρους τοῦ σώματος ἐπιγραφόμενα, οἷα ἐστὶ τῶν στρατευομενων ἐν ταῖς χερσὶ," e quo quidem loco apparet tirones in manu ftigmate notari folitos fuisfe.

---

ta, quae hodie, ferro itidem candente, recenter ad militiam defignatis equis imprimi folet. Hunc autem morem etiam apud alias gentes antiquitus obtinuisfe, patet ex hoc ANACREONTIS verficulo:

„Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι
„Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι."

Cf. ALEANDER, ad GAIUM *Vifigothicum*, L. I. tit. 1. § 3, not. 30.

(28) Vid. l. 4. Cod. Theod. *de fabricenfibus* (X—22). l. 3. Cod. Iuft. eod. (XI—9).

(29) *De re militari*, L. I. cap. 7, in fine.

(30) Cf. LIPSIUS, *de militia Romana*, L. I. dial. 9. (Opp. T. III. p. 51.)

(31) *Tetrabibl.* II. Serm. 4. c. 12. Cf. porro VEGETIUS, *de re militari*, L. I, c. 8. et L. II. c. 5. GREGORIUS, L. II, Epift. 103. CHRYSOSTOMUS, *in Epift. II ad Corinthios*, Hom. 3 in f. In Novi Foederis fcriptis faepe ad haec tironum ftigmata alluditur. Vide inter alia loca *Apocal.* XIII. 16. Cf. TURNEBUS, *Adverfar.* L. XXIV. c. 12.

Quanam vero nota inſcripti fuerint, non certo ſibi conſtare profitetur LIPSIUS; ſe tamen ſuſpicari ait Imperatoris nomine id factum fuiſſe (32). At dubio res non videtur obnoxia. Plures enim auctores in idem conſentiunt. Divus AUGUSTINUS haec habet (33): „Sic error corrigendus est ovis, ut non „corrumpatur in ea ſignaculum Redemptoris. Neque enim ſi quispiam regio „charactere, a ſignato deſertore, ſignetur, et accipiat indulgentiam, atque il-„le redeat ad militiam, ille autem eſſe in militia, in qua nondum erat, in-„cipiat, in aliquo eorum character ille reſcinditur, ac non potius in ambobus „agnoſcitur, et honore debito, quoniam regius est, approbatur." Loquitur D. AUGUSTINUS *characterem regium*, quo milites ſignati erant, neque aliter quam de Imperatoris nomine intelligi hoc poſſe videtur (34). — Magis etiam aperta ſunt AMBROSII verba (35): „Charactere domini," inquit, „inſcri-„buntur et ſervuli, et nomine Imperatoris ſignantur milites." Praeterea ex alio loco apparet nomen Imperatoris in ſimilibus fuiſſe uſitatum: „Aquarios," (verba legis ſunt in Codice Iuſtinianeo,) „ſingulis manibus felici nomine pieta-„tis noſtrae impreſſo, ſignari decernimus, ut huiusmodi annotatione manife-„ſti ſint omnibus" (36). Etenim eadem, quae in Aquariis, haec quoque in tironibus aderat ratio: utrisque ſtigmata infligebantur, ut noti eſſent omnibus, utque ne facile effugere poſſent. Neque ex eadem nota, utrisque inuſta, duorum hominum generum confuſio erat metuenda; tirones enim in manu, fabricenſes in brachio notabantur.

Aliam vero ſimul tironum inurendorum rationem adfuiſſe ſuſpicatur LIPSIUS, qui putat hunc morem a ſacris forte deſumtum fuiſſe. Quos enim Deo cuidam conſecrabant et initiabant, eos ſtigmatibus inurebant, quod ex PRUDENTII verſiculo, quem affert LIPSIUS, apparet (37). Suſpicatur autem LIPSIUS exemplo quo-

(32) LIPSIUS l. l. p. 52.

(33) *Epiſt.* L. I. Cf. GOTHOFREDUS ad. l. 4. Cod. Theod. *de fabricenſibus* (X—22).

(34) Cf. GOTHOFREDUS ad. l. 4. laud. DÖPLER, T. II. p. 905.

(35) *De obitu* VALENTINIANI, Opp. T. III. p. 12.

(36) L. 10. Cod. *de aquaeductu* (XI—42).

(37) PRUDENTII verſiculus hic est:

„Quid cum ſacrandus accipit ſphragitidas?
„Acus minutas ingerunt fornacibus,
„His membra pergunt urere; utque igniverint,

dam pravae religionis primum hoc inductum fuisse, ut, qui inustus erat, quasi consecratus militiae ostenderetur (38). Hanc vero rationem, cui neque ipse LIPSIUS multum ponderis tribuisse videtur, valde probabilem non puto; praesertim quum alia, magis probata, in promtu sit; nimirum statuendum videtur illud introductum fuisse tantum ad milites designatos internoscendos, qui sic facile effugere non possent, et, ubi forte effugerint, facilius possent deprehendi, et vel praecipue ideo, ne alii, iique vilioris conditionis, substitui possent.

Ex iis, quae hactenus disputavimus, patet Romanis in usu fuisse tironibus stigmata inurere, idque in manu, et nomine Imperatoris factum fuisse. Quo vero tempore hic mos primum invaluerit non satis certo definiri potest. Constat tamen illud obtinuisse ante legem *de fabricensibus* ab ARCADIO et HONORIO latam, id est, ante annum P. C. N. 388. Ex eo praeterea, quod in lege GRATIANI, VALENTINIANI et THEODOSII, quae est *de tironibus*, nulla huius stigmatis mentio fuerit facta, suspicari forte licet, illum morem post hanc legem latam introductum fuisse. Lata autem fuit haec lex anno P. C. N. 382, unde statuendum videtur illud introductum fuisse inter annum 382 et 388.

Quid vero fuerit factum, ubi plures eodem tempore erant Imperatores, an unius tantum, num vero singulorum nomina, inscripta fuerint, non mihi constat. Suspicari tamen facile quis potest hic plura simul inusta fuisse nomina; namque et servos aliquando apud Romanos integris versibus fuisse inscriptos constat, qua de re infra disputandi erit locus.

II. *De Fabricensibus.*

Fabricenses erant qui in Imperatoris fabricis armis cudendis operam dabant. Hi homines, inde ab anno P. C. N. 388 stigmate inusto notari solebant, quod ex ARCADII et HONORII lege, eo anno lata, obtinuit. Legis verba haec sunt: „Stigmata, hoc est, notae publicae fabricensium brachiis, ad imi„tationem tironum, infligantur, ut hoc saltem modo possent latitantes a-

---

„Quamcunque partem corporis fervens nota
„Stigmârit, hanc sic consecratam praedicant."

(38) Vid. LIPSIUS l. l.

„gnosci: his, qui eos susceperint, vel eorum liberis sine dubio fabricae vindi-„candis, et qui subreptione quadam declinandi operis, ad publicae cuiuslibet „sacramenta militiae transierint." (39). Rationem legis ipsa verba satis indicant, eique occasionem dedisse videtur tumultus a TRIBIGILDO in Phrygia incitatus, quique mox per totam Asiam grassabatur, unde armis ea tempestate quam maxime indigebant Imperatores (40). Ad imitationem tironum id a se introduci dicunt Imperatores; adiectum autem hoc ideo esse videtur, ut ne putaret quis fabricensibus ignominiae fore huius stigmatis inustionem. De poena igitur hic cogitandum non esse, nec de ignominia, facile apparet; dignoscendi tantum ergo stigma fabricensibus inuri voluerunt Imperatores: „Non „enim stigmatis inustio," uti CARPZOVIUS ait (41), „pro poena fuit habita, „nisi quando delinquens propterea fuit notatus signo, ut de crimine ab ipso „perpetrato constare posset." De corporis parte, cui stigma infligendum esset, ex ipsius legis verbis etiam constat, et in hoc a tironibus erant distincti; his enim in manu, fabricensibus vero in brachio inurendum erat stigma (42).

III. *De Aquariis.*

Aquarii, sive Hydrophylaces, publici erant aquarum custodes (43). Aquarii autem, ex constitutione ZENONIS, nomine Imperatoris in singulis manibus notabantur, ut manifesti essent omnibus, utque ab usu publico non divellerentur. Neque in his igitur poenae nomine illud stigma inustum fuit; at eadem aderat, quae in tironibus et fabricensibus, causa (44).

---

(39) L. 4. Cod. Theod. *de fabricensibus* (X—22). l. 3. Cod. Iust. eod. (XI—9).

(40) Vid. GOTHOFREDUS ad l. leg. 4. Cod. Theod.

(41) *Practica nova Imperialis Saxonica rerum Criminalium*, P. III. quaest. 129. n°. 10.

(42) Caeterum ad hunc locum cf. GOTHOFREDUS ad l. l. Cod. Theod. CUIACIUS ad l. 3. Cod. Iust. laud. BRUNNEMANNUS ad l. 3. eod. DÖPLER T. II. p. 904. MASCOVIUS, in diss. *de stigmate faciei humanae non inurendo*, in opusc. (Lipsiae 1776) p. 94.

(43) Vid. TACITUS, *Ann.* XV. 43. Cf. PITISCUS in *Lex. Antiq. Roman.* in voce.

(44) Vid. hic l. 10. Cod. *de aquaeductu* (XI—42), ibique BRUNNEMANNUS. CARPZOVIUS l. l. n°. 9 et 10. GREGORIUS THOLOSANUS l. l. L. XXXI. c. 35. n°. 2. DÖPLER, T. II. p. 905. MASCOV. l. l. p. 95. Add. PITISCUS l. l.

IV. *De Captivis.*

Uti Athenienſibus, Samiis, aliisque populis, ita et Romanis quandoque in uſu fuit captivos ſtigmate inurere. Constantini magni etiam tempore id uſurpatum fuisſe conſtat; hunc enim Imperantem devictis Armeniacis haec verba inſcribi iusſisſe referunt: „Ἀρμενιακος ἐπίβουλος," id est, *Armeniacus inſidiator* (45). Quandoquidem hic de *poena*, proprie ita dicta, ſermo esſe nequeat, de punitione tamen, et ignominiae nota, hic cogitandum esſe videtur. — Iam vero properandum ad ſtigmatis inuſtionis uſum in ſervis.

V. *De Servis privatis.*

Servos apud Romanos pro rebus fuisſe habitos, atque in illos illimitatam poteſtatem habuisſe dominos, notum est (46). Poenas igitur ſervo imponere, domini erat. Inter hasce poenas ſtigmatis quoque erat inuſtio, quam in ſervis valde uſitatam fuisſe conſtat ex pluribus auctorum locis, qui hac de re ſaepe loquuntur, ac ſi quotidiana, nec magni momenti, res esſet.

Variis nominibus apud ſcriptores, qui hac de re loquuntur, veniunt ſervi, quibus ſtigma inuſtum erat. Ab aliis κατ' ἐξοχὴν *ſtigmatici* vel *ſtigmatiae* vocantur (47); ab aliis *literati* (48), quia plerumque literis inuſtio fiebat; ab aliis

---

(45) Cf. Pancirolus, *Var. Lect.* L. II. c. 242. Gothofredus ad l. 2. Cod. Theod. *de poenis.* Mascov. l. l. p. 94.

(46) Id autem vel ex hoc Ulpiani patet: „Is qui fugitivum celavit, fur est." L. 1. pr. D. *de fugitivis* (XI—4). Cf. Cl. Gratama, Antecesſor in Acad. Groningana, *Prael. ad Inſt.* L. I. p. 124. ſeqq. — Qui ſervi uſumfructum habebat, is non poterat illum ſtigmate inurere, vel, uti Ulpianus loquitur, cicatricibus deformare, quod admisſum videtur, ne ſic vilioris pretii fieret ſervus, unde ei, ad quem, finito uſufructu, ſervi proprietas rediret, damnum veniſſet. Vid. Ulpianus in l. 17. § 1. D. *de uſufructu et quemadmodum quis utatur fruatur* (VII—1). Cf. Noodtius, *de uſufructu*, L. I. c. 16.

(47) Cicero, Off. II. 7. extr. Sic Graece dicuntur στιγῶνες καὶ στιγματίαι, apud Pollucem, *Onom.* L. III. c. 8.

(48) Plautus, *Caſina* (ſive *Caniſſa*), II. 6. 49.

inſcripti (49), vel *inuſti* (50), vel *ſtigmate puncti* (51). Apud ICtos etiam *ſtichi* frequenter appellantur (52).

Propter furta, etiam minimi momenti, ſtigmate notatos fuiſſe ſervos, ex hoc IUVENALIS loco apparet (53):

„Tum felix, quoties aliquis, tortore vocato,
„Uritur ardenti duo propter lintea ferro."

Plurimum tamen haec poena in fugitivis adhibita fuit, qui, iterum fugam petentes, facilius ex hac nota dignoſci posſent. Horum autem, ubi deprehenſi esſent, „ad magiſtratum deferebantur nomina et notae," uti ULPIANUS loquitur (54), „ut facilius adgnoſci et percipi fugitivi posſint." Hinc ſuſpicantur ſervis inuri ſolitas fuiſſe literas initiales nominis domini, hac fere formula: F. H. E. L. T. (*Fugitivus Hic Est Lucii Titii*) (55). — Plurimum autem in hisce, uti modo obſervavimus, adhibita fuiſſe ſtigmata, multa denotant ſcriptorum loca, ita quidem, ut ordinaria videatur fuiſſe fugitivorum poena. Huc pertinet AUSONII locus, de ſervo quodam ſcriptore, ſeu notario, fugitivo:

„Tam ſegnis ſcriptor, quam lentus, Pergame, curſor
„Fugiſti: et primo captus es in ſtadio.
„Ergo notas ſcripto toleraſti, Pergame, vultu,
„Et quas neglexit dextera, frons patitur" (56).

---

(49) PLINIUS, H. N. XVIII. 3. XXII. 1. MARTIALIS, VIII. 75. 9. AUSONIUS, *Epigr.* XV. 3. SENECA, *Benef.* IV. 37 et 38. *De Ira*, II. 3.

(50) VALERIUS MAXIMUS, VI. 8.

(51) V. c. apud PETRONIUM. Vid. SCHULTINGIUS, *ad* GAIUM *Viſigothicum*, L. I. tit. 1. § 3. not. 31.

(52) Vid. ALCIATUS, *Parergôn*, L. I. c. 26. (Opp. T. II. p. 195.) DÖPLER, T. II. p. 912.

(53) *Satyr.* XIV. 21 et 22. Cf. LIPSIUS, *Elect.* L. II. c. 15. (Opp. T. I. p. 805 ſeq.)

(54) L. 1. § 8. D. *de fugitivis* (XI—4). Addit ULPIANUS: „*Notae* autem verbo etiam cicatrices continentur."

(55) ALEANDER *ad* GAIUM *Viſigothicum*, L. I. tit. 1. § 3. not. 30. Cf. AMBROSIUS, *de obitu* VALENTINIANI, Opp. T. III. p. 12: „Charactere domini inſcribuntur et ſervuli, et „nomine Imperatoris ſignantur milites." Add. HEINECCIUS, *Antiq. Rom.* L. I. tit. 5. § 11, ibique in nota.

(56) AUSONIUS, *Epigr.* XV.

Pertinent huc et alia loca, quae inter hic CLEMENTIS ALEXANDRINI (57): „Τὸν δραπέτην στίγματα δείχνυσι;" et hic PETRONII (58): „Implevit Eumolpus frontem utriusque ingentibus literis et *notum fugitivorum epigramma* „per totam faciem duxit." Erat autem, uti videtur, notum illud fugitivorum epigramma: *cave a fugitivo*, vel ſimile quid, quale modo adduximus (59).

Ex his autem, quae disputavimus, ſatis apparet Romanos ſuis ſervis, propter furta, aliave delicta, inprimis tamen propter fugam petitam, poena ſtigmatis affeciſſe. Videamus iam de corporis parte, et de ratione, qua ea ſtigmata inuri ſolebant.

Pars corporis non ſemper eadem erat; namque in manibus, fronte, facie ac dorſo, ſervos aliquando fuiſſe notatos conſtat (60). Plurimum tamen in fronte vel in facie ſtigma inuſtum fuiſſe, ex variis locis, quos iam ſupra laudavi, apparere videtur, in quibus plerumque de *inſcriptis vultibus* ſimilibusqne dicitur. — Neque unam literam, vel unam vocem, ſervis ſuis inſcribere ſolebant, at plura etiam verba, veluti haec: *Cave a fure*, *Cave a fugitivo*, alia, quae crimen perpetratum denotarent. Imo nonnunquam plures integros verſus inſcriptos fuiſſe referunt (61). Fronti igitur, vel faciei plerumque ſtigmata in ſervis imprimebantur. Quod ad rationem, qua inuſtio fiebat, hanc ita videmus deſcriptam, ut candente ferro literae ſive notae imprimebantur, uti patet ex hoc IUVENALIS (62):

---

(57) *Paedag.* L. III. c. 2. p. 220, initio (edit. Sylburgii, Pariſiis 1629).

(58) Cap. 63.

(59) Porro videatur hic CUIACIUS, *Obſ.* L. VII. c. 13. LIPSIUS, T. I. p. 804 ſeqq. DÖPLER, T. II. p. 912. n°. 25. MASCOVIUS, Diſſ. laud. in Opusc. p. 92. Nota in edit. Belg. PLUTARCHI, quam dederunt Cl. WASSENBERGH et ROSSCHA, in *Pericle*, T. III. p. 104.

(60) Vid. COELIUS RHODIGINUS, *Antiq. Lect.* L. VIII. c. 11. LIPSIUS, *Elect.* L. II. c. 15. IOH. BRODAEUS, *Miscell.* L. IV. c. 24. CUIACIUS, *Obſ.* l. l. IAC. PONTANUS, in *Bellariis Atticis*, p. 315. ELIAS VINETUS, *Comm. ad* AUSONII *Epigr.* XV. KIPPINGIUS, *Antiq. Roman.* L. IV. c. 1. no. 3. p. 488. MASCOVIUS l. l. p. 94.

(61) Maxime notandum hic venit THEOPHILI Imperatoris exemplum, quem monachis duobus, THEOPHANI et THEODORO, propter impietatem duodecim integros verſus iambicos inuri iusſiſſe ZONARAS auctor est, *Annalium* Lib. XV. cap. 27, ubi ipsi quoque verſus referuntur. Cf. LIPSIUS l. l. T. I. p. 805. Vide et *Baſilica*, L. LX. T. 51. com. 58, quem locum citat GOTHOFREDUS ad l. 2. Cod. Theod. *de poenis*.

(62) *Satyr.* XIV. 22.

„*Uritur ardenti* duo propter lintea *ferro.*"

Aliquando post inustionem atramentum subinde infundebatur, quo magis eminerent literae et lectui se praeberent, quod quidem cum THEOPHANE et THEODORO Monachis, THEOPHILI Imperatoris iussu, fuisse factum ZONARAS in *Annalibus* refert (63).

Servi autem propter delicta inusti, etiamsi solenniter manumissi essent, civitatem Romanam adquirere non poterant, neque ius Coloniariorum Latinorum, quorum iura lege Iunia Norbana definita erant, sed libertatis tantum inferiorem speciem ex lege Aelia Sentia, secundum quam Dedititiis aequiparabantur (64). Dedititii autem erant populi Latini, qui, in bello Sociali a Romanis devicti, se suaque in horum potestatem dediderant, cuius deditionis formulae sunt apud LIVIUM, *Historiarum* Libro Primo, Quinto et Nono; eratque horum conditio civium conditioni longe inferior. Distincta haec civium

---

(63) ZONARAS, *Ann.* l. l.

(64) Vid. § 3. Inst. *de Libertinis* (I—5). Lata lex Aelia Sentia A. U. C. 756, tempore AUGUSTI, qui populum Romanum a peregrino sanguine incorruptum servare, nec ullum vinctum tortumve in civitatem Romanam admitti voluit. V. SUETONIUS, in *Octavio* c. 40. GAIUS, Veronae inventus, Comm. I. § 13, qui haec habet: „Lege Aelia Sentia cavetur, ut, qui servi a dominis poenae nomine vincti sint, quibusve stigmata inscripta sint, deve quibus ob noxam quaestio „tormentis habita sit, si in ea noxa fuisse convicti sint, quive, ut aut ferro aut cum bestiis depugnarent traditi sint, inve ludum custodiamve coniecti fuerint, et postea vel ab eodem domino, vel ab „alio manumissi, eiusdem conditionis liberi fiant, cuius conditionis sunt peregrini dedititii." Add. ULPIANUS, *Fragm.* T. I. § 11. ubi: „Dedititiorum numero sunt, qui poenae causa vincti sunt „a domino, quibus vestigia scripta fuerunt," caet.; ubi pro *vestigia* legi vult CUIACIUS *stigmata*, nisi per *vestigia* notas inustas intelligas, quod ALEANDRO etiam et SCHULTINGIO placet. Vid. SCHULTINGIUS ad ULPIANUM, l. l. not. 40. [Eandem CUIACII emendationem etiam C. I. VAN ASSEN, viro Clarissi. placere video, qui observat eam GAII *Veronensis* loco, qui iisdem fere usus fuit verbis, quae, ex CUIACII coniectura, apud ULPIANUM legi debent, valde confirmari. Vid. in *Adnotatione ad Inst.* GAII *Commentarios*, Lugd. Bat. 1826) p. 12. ad laud. § 13]. Cf. porro SCHULTINGIUS, ad GAIUM *Visigothicum*, L. I. tit. I. § 3. HEINECCIUS, *Antiq. Rom.* L. I. T. 5. § 14 et 15. NIEUPOORT, *de Ritibus Roman.* p. m. 565. MASCOVIUS p. 92. Cl. GRATAMA, *Prael. ad Inst.* L. I. p. 133 seq. Doct. W. VAN SWINDEREN, Comm. ad quaest. Fac. Iurid. in Acad. Groning. *collationem exhibens Institutionum* IUSTINIANI *cum Institutionibus* GAII, *Veronae inventi, inde ab initio usque ad locum de tutelis*, in Annal. Acad. Gron. 1820—1821, pag. 19. Doct. I. POTTER VAN LOON, Diss. de eodem argumento usque ad locum GAII *de manu* (Gron. 1823) pag. 61 seq.

et Dedititiorum iura, a Maioribus introducta, ab AUGUSTO per legem Aeliam Sentiam ad fervos manumisfos, ftigmate inuftos, (quod folum ad noftram disputationem pertinet,) applicata, dein turbavit ANTONINUS (65), ftatuendo, ut, qui tunc esfent ingenui in orbe Romano cives fierent (66), eaque tandem fuftulit IUSTINIANUS, communicando in perpetuum cum manumisfis ingenuitatis civitatisque iura, ut tamen falva dominis manerent patronatus iura (67).

Sufficiant haec de ftigmatibus, fervis privatis, poenae nomine, a dominis, quibus puniendi ius erat, inuftis.

VI. *De Calumniatoribus.*

Calumniatores, quos ftigmaticorum nobilisfimam fpeciem appellare MASCOVIUM iuvat, Romae ex lege Remmia, five, uti volunt alii, Memmia (68), ftigmatis poena manebat (69). Eorum autem fronti litera K inurebatur, quae

(65) Disputatur inter eruditos utrum ANTONINUS fuerit PIUS, an CARACALLA. Vid. Cl. GRATAMA l. l. p. 136, ibique in nota. PIUM memorat IUSTINIANUS in *Novella* 78. cap. 5; at per errorem memorasfe plures exiftimant. Hos inter HEINECCIUS, *Antiq. Rom.* App. Lib. I. cap. 1. § 16—19, qui ANTONINUM CARACALLAM verum conftitutionis auctorem esfe demonftrat, et fimul eorum refutat opinionem, qui, uti CHRYSOSTOMUS, HADRIANO, eorumque, qui, uti CASAUBONUS, MARCO ANTONINO conftitutionem tribuunt. Add. Doct. I. POTTER VAN LOON, in Disf. laud. pag. 149 feq., qui HEINECCII etiam amplexus fuit fententiam. — Rationem autem inftituti in vectigalis hereditarii, quod cives tantum dependebant, a quam plurimis recipiendi cupiditate fuisfe pofitam, pauci tantum dubitant.

(66) Vid. ULPIANUS, in l. 17. D. *de ftatu hominum* (I—5). Cf. *Novella* 78.

(67) Vid. laud. § 3. Inft. *de libertinis.* Add. l. un. Cod. *de Dedit. libert. toll.* (VII—5) et de Latinis l. 1. Cod. *de Latina libert.* (VII—6). Cf. HEINECCIUS, l. l. L. I. tit. 5. § 17. Cl. GRATAMA l. l. p. 133 feqq. Doct. W. VAN SWINDEREN, Comment. laud. p. 24.

(68) Inter hos MATTHAEUS, *de Criminibus*, ad Libr. XLVIII. T. 17. c. 3. n°. 1. p. 814. et T. 18. c. 1. n°. 11. p. 842, et RENAZZI, *Elem. Iur. Crim.* L. I. c. 4. n°. 8. (T. I. p. 79 in nota). De vocis orthographia late disputavit BRENCKMANNUS, in Tractatu *de legis Remmiae exitu*, cap. 3. in OTTONIS *Thefauro*, Vol. III. p. 1578 feqq.

(69) Vid. l. 1. § 2. D. *ad SCtum Turpillianum* (XLVIII—16). l. 13. D. *de teftibus* (XXII—5). Cf. CUIACIUS, *Obf.* L. VII. c. 13. MATTHAEUS ad L. XLVIII. T. 18. c. 1. n°. 11. p. 842. GUDELINUS, *de iure novisfimo* (Antv. 1644) L. V. c. 15. n°. 10 et 11. p. 251. MASCOV. p. 97. BACHIUS, *Hift. Iurispr. Rom.* L. II. c. 2. § 97.

prima litera erat vocis *Kalumniator*, uti antiquitus vox scribebatur (70). Ad hunc morem CICERO alludit, in Oratione pro SEXTO ROSCIO AMERINO, ubi ita loquitur: „Sed si ego hos" (iudices) „bene novi, literam illam cui vos" (accusatores) „usque adeo inimici estis, ut etiam eam omnes oderitis, ita vehemen„ter ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras accu„sare possitis" (71). Hinc quoque viri probi *integrae frontis* fuerunt appellati (72), et *notam inurere* dictum fuit pro *infamiam irrogare* (73).

Quo tempore lata fuerit lex Remmia, certo non constat. Quin sub libera republica lata fuerit lex, BRENCKMANNO iudice, non est dubium. Suspicatur vero idem (74), (eique assentiri videtur MASCOVIUS (75),) eam primis iam Reipublicae temporibus, paullo post XII Tabulas receptas, a REMMIO quodam, forsitan Tribuno plebis, fuisse latam; plebiscitum igitur fuisse putat, quod deinde *legis* nomen et vim fuerit adeptum. — De tempore etiam, quo in desuetudinem abierit lex, certo non constat. Certum vero est, eam deinde extra usum venisse. Etenim, quum tanta Romae esset calumniantium improbitas, ut etiam stigmata, quae in fronte circumferebant, ipsi riderent, placuit aliam in poenae legis Remmiae locum substituere poenam, ut magis efficaciter cohiberetur calumniatorum audacia. Ideo statutum fuit, ut delatores in crimen subscriberent, quo sese ad talionis poenam adstringerent, nisi delata legitimo testimonio comprobaverint (76).

---

(70) Vid. DION. GOTHOFREDUS ad l. 1. § 2. D. *ad SCtum Turpill.* BRENCKMANNUS l. l. p. 1586. Sunt tamen alii, qui putent literam fuisse C, a voce *calumniator*, vel D, a voce *delator*. Plures tamen in literam K consentiunt. Vid. BRENCKMANNUS, l. l.

(71) C. 20, in fine. Cf. PLINIUS, *Paneg.* c. 35, et IULIANI locus, in *Oratione contra Antiochenas*, quem citant ALEANDER l. l. nota 30, et MASCOVIUS, p. 97. „Tandem," inquit, „*kappa* desideratis; utinam Dii custodes huius urbis *id vobis duplex* largiantur, quoniam civitates „finitimas, quae et Diis mecum serviunt, et sanctae sunt, *calumnia vexastis*, quasi quae in me „composita sunt, ab illis profecta essent." Add. TURNEBUS, *Adverf.* L. VIII. c. 22.

(72) Vid. v. c. l. 13. in fine D. *de testibus.*

(73) Vid. v. c. CICERO, *Catil.* I. 6.

(74) Diss. laud. in OTTONIS *Thesauro*, Vol. III. p. 1580.

(75) Diss. laud. p. 97.

(76) Vid. MATTHAEUS l. l., ibique laudatae leges.

Scio equidem esse nonnullos, qui existiment legis Remmiae poenam simul cum talionis poena recepta in usu mansisse (77); at magis arridet BRENCKMANNI sententia qui id ex nullo legis vel scriptoris loco patere, et insuper legum rationi plane contrarium esse, affirmat (78). Nimirum, ubi duae leges mere poenales de eadem re feruntur, altera alteram necessario perimit. — Non immerito forte legem Remmiam iam Reipublicae tempore in desuetudinem abiisse suspicatur BRENCKMANNUS. TRAIANI certe tempore ab usu erat remota poena, quam ea lex statuerat, et alia in eius locum substituta, quod quidem abunde patet ex hoc PLINII loco, ubi de delatoribus loquutus (79): „Neque," inquit, „ut antea, exsanguem illam et ferream frontem, nequidquam convul-„nerandam praebeant punctis, et notas suas rideant; sed spectent paria prae-„mio damna, nec maiores spes, quam metus habeant, timeantque quantum ti-„mebantur." Neque obstat MARCIANI locus in Digestis, ubi ait: „Calumni-„atoribus poena lege Remmia irrogatur" (80). MARCIANO enim in hoc loco, ubi totum argumentum de calumniatoribus pertractare aggreditur, famosissimam eam Remmiam legem omittere non licuit, eumque historicum ibi agere, non Iureconsultum, abunde patet (81).

Ad legis Remmiae usum igitur neque pertinere potest lex, quam, anno P. C. N. 315, de stigmate faciei humanae non inurendo, tulit CONSTANTINUS MAGNUS (82), quam tamen nonnulli ad illam trahere videntur (83). Lex Remmia enim, uti ex PLINIO apparet, iam ante hanc legem latam abrogata fuerat (84).

Calumniatores itaque, ex lege Remmia, stigmate in fronte fuisse inustos vi-

---

(77) Hos inter CUIACIUS l. l.

(78) l. l. cap. 9. p. 1598 seqq.

(79) *Paneg.* c. 35.

(80) L. 1. § 2. D. *ad SCtum Turpill.* (XLVIII—16).

(81) Variis argumentis hanc sententiam comprobavit BRENCKMANNUS, l. l. cap. 11. p. 1602 seqq.

(82) Est l. 2. Cod. Theod. *de poenis* (IX—40) l. 17. Cod. Iust. eod. (IX—47).

(83) Hos inter CUIACIUS l. l. et WISSENBACHIUS. Cf. MASCOVIUS l. l. p. 98 seq., ibique laudati.

(84) Cf. GOTHOFREDUS ad l. laud. Cod. Theod.

dimus, donec in eius locum alia substituta fuerit poena. Quin poenae nomine factum id fuerit, dubium esse nequit; at simul secundarius aderat finis, ut ita dignoscerentur calumniatores, ne iis in posterum eadem haberetur fides, quae integrae frontis hominibus. Testes tamen esse in iudicio, neque lege Remmia, neque alia quavis lege, calumniatores prohibiti fuerunt. Hac de re PAPINIANI fragmentum est in Digestis, cuius verba hic apponere operae pretium videtur: „Quaesitum scio, an in publicis iudiciis *calumniae damnati* testimonium iudicio publico perhibere possint? Sed neque lege Remmia prohibentur, et Iulia lex de vi, et repetundarum, et peculatus, eos homines testimonium dicere non vetuerunt; verumtamen *quod legibus omissum est*, *non omittetur religione iudicantium*, ad quorum officium pertinet, eius quoque testimonii fidem, quod integrae frontis homo dixerit, perpendere" (85). — Quod denique ad rationem inurendae frontis attinet ex lege Remmia, nil obstat quominus BRENCKMANNI opinionem sequamur, qui ideo id statutum fuisse putat, quia veteribus erat in more qua parte corporis peccassent malefici, eadem parte illos mulctari. Uti autem dextram fidei, ita frontem modestiae ac pudoris sedem haberi, notissimum est (86).

VII. *De Servis poenae factis.*

Quaenam apud Romanos fuerit *Servitus poenae*, quinam *servi poenae* fuerint vocati, in hoc loco breviter praemonendum est.

Ex lege XII Tabularum originem duxisse videtur servitus poenae. Etenim ex hac lege in poenam servi facti fuerunt, qui furtum manifestum commiserant (87). Erat vero, quae κατ᾽ ἐξοχὴν dicebatur, *servitus poenae*, damnatorum ad metalla vel ad ludum. „Poenam ita damnati fingebantur do-

---

(85) L. 13. D. *de testibus.*

(86) V. BRENCKMANNUS, l. l. p. 1588.

(87) Vid. Tab. II. „Si interdiu aliquis furtum commiserit, eumque aliquis in ipso furto deprehenderit, verberetur, illique, cui furtum factum fuerit, addicatur;" apud BACHIUM l. l. L. I. c. 2. p. 40 et 41. In huius poenae locum deinde successit quadrupli poena. Vid. § 5. Inst. *de obligationibus* (IV—1). GAIUS, Veronae inventus, Comm. III. § 189 seq.

„minam habere," (ut Doct[1] GELDERMANNI verbis utar (88),) „procul dubio, „quia non alius adesse videbatur, qui domini iura sustineret. Dubium igitur „fit," (ita pergit,) „an Romani ea aetate, qua haec fictio enata, viderint ipsam „proprie civitatem aut populum in hac causa dominum esse, quod CICERO „vidit, in Oratiōne pro CAECINA" (89). Metalli et ludi poenae diversae species erant; at utriusque poenae damnatos, servos poenae factos fuisse, docent ICti MARCIANUS (90), et ULPIANUS (91). Pro nostro argumento hinc, puto, satis effici potest, quinam apud Romanos *servi poenae* fuerint dicti (92).

Hos autem servos poenae stigmate inustos fuisse constat, poenae profecto nomine, at simul, ut sic, ubi forte evaserint, facilius dignosci, atque deprehendi posssent. Huc pertinet SUETONII locus, in vita CALIGULAE (93), ubi ait: „Multos honesti ordinis, *deformatos prius stigmatum notis*, ad metalla, „aut ad viarum munitiones, aut ad bestias condemnavit" (94).

Damnatorum nempe ad metalla fronti inurebatur litera vocis initialis M (95), et eamdem ob causam damnatorum ad ludos fronti forsitan litera L. Etenim et hi servi poenae fiebant; quod e SUETONII loco laudato, et e CONSTANTINI lege, de qua mox, satis apparet.

Hunc morem faciei vel frontis inurendae in servis poenae deinde abrogavit CONSTANTINUS MAGNUS, lata anno P.C.N. 315 lege, cuius haec verba sunt:

---

(88) Diss. Iur. Inaug. ad T. 3. L. I. Inst. (Gron. 1808) p. 37.

(89) Vid. CICERO, *pro* CAECINA c. 34.

(90) L. 17. D. *de poenis* (XLVIII—19).

(91) L. 8. § 12. D. eod. Cf. SENECA, *Epist.* 37. HOMMEL, in Diss. *quid de poenis Romanorum criminalibus philosophice statuendum*, p. 32.

(92) De metalli et ludi poena et de servis poenae pluribus egit Doct. W. TONCKENS, Diss. Iur. Inaug. *de poenis in Iure Romano* (Gron. 1808) c. II. Sect. II. § 1 et 2. p. 53—60. Cf. Cl. GRATAMA, *Praelect. ad Inst.* L. I. p. 121. — Add. GREGORIUS THOLOSANUS l. l. c. 36. HOMMEL l. l. p. 31 seqq.

(93) C. 27.

(94) Vid. etiam l. 2. Cod. Theod. *de poenis*, l. 17. Cod. Iust. eod. SENECA, *de Ira*, III. 3. Cf. DÖPLER, T. I. p. 697 et T. II. p. 908. MASCOV. l. l. p. 91. seq. Doct. TONCKENS, Diss. laud. p. 56. — Ad haec stigmata respicere videtur MARTIALIS, X. 56. 6:

„Tristia servorum stigmata delet Eros."

(95) Vid. PANCIROLUS, *Var. Lect.* L. III. c. 41.

„Si quis in ludum fuerit, vel in metallum, pro criminum deprehenforum quali-„tate, damnatus, minime in eius facie fcribatur: dum et in manibus et in fu-„ris posfit poena damnationis una fcriptione comprehendi: quo facies, quae „ad fimilitudinem pulchritudinis coeleftis est figurata, minime maculetur." Ita fefe habent CONSTANTINI legis verba in Codice Theodofiano (96): repetita fuit eadem lex in Codice Iuftinianeo, omisfa tamen ludi poenae mentione (97). De hac lege multi multa disputaverunt (98). De ratione praefertim, qua motus fuerit Imperator, ut legem conderet, vel potius, ut fic ad EUMELIUM, Africae Praefectum, refcriberet, non omnes confentiunt. — Sunt, qui exiftiment, Imperatorem per legis verba: *quo facies, quae ad fimilitudinem pulchritudinis coeleftis est figurata, minime maculetur*, refpicere voluisfe ad Sacri Codicis locum, quo dicitur homo ad Dei imaginem et fimilitudinem conformatus esfe (99), unde impium Imperatori vifum fuerit, faciem, ad fimilitudinem pulchritudinis coeleftis formatam, punctis inuftis commaculare (100); quam tamen rationem alii improbant (101). Alii funt, qui putent, Imperatorem, LACTANTIO fuafore, hanc conftitutionem dedisfe, quia, uti hic teftatus est, ea aetate invaluerat mos fignandi frontem nota crucis, quae post inuftionem oleo impleri folebat (102).

Quidquid vero de legis ratione exiftimandum fit, hoc certum est, CON-

---

(96) L. 2. Cod. Theod. *de poenis*.

(97) L. 17. Cod. Iuft. eodem.

(98) Ad hanc legem MASCOVIUS commentationem dedit, faepius a me laudatam. Add. SAM. FRID. WILLENBERG, Disf. *de ftigmate in facie non fcribendo* (Francof. 1694), laudata apud SALCHOW, *Lehrbuch des gemeinen in Deutschland gültigen peinlichen Rechts*, § 159 in nota, et BOEHMER, *Handbuch der Litteratur des Criminalrechts* p. 712. NICOLAUS HENELIUS, *Otium Wratislav.* c. 16, quod infcribitur: *de fronte cauteriata, five de ftigmatis inuftione, ad l. 17. Cod. de poenis*, laudatus apud PUTTMANN, *Elem. Iuris Crim.* § 73. TENZEL, Disf. *de ftigmate in facie.* BERGER, Disf. *de ftigmate non in facie*, quos laudat STELTZER, *Lehrbuch des Teutfchen Criminalrechts*, § 192 in nota.

(99) *Genef.* I. 26. IX. 6.

(100) BRUNNEMANNUS ad l. 17. Cod. *de poenis.* BRENCKMANNUS l. l.

(101) MATTHAEUS, *de Criminibus* ad L. XLVIII. T. 18. c. 1. n°. 11. p. 842. MASCOVIUS p. 99.

(102) Vid. GOTHOFREDUS ad l. 2. Cod. Theod. *de poenis.* In eo, quod mori nota crucis frontem fignandi originem debuerit lex, GOTHOFREDO asfentitur MASCOVIUS l. l.

STANTINUM iussisse, ut ne in posterum damnatis ad metalla vel ludum, i. e. servis poenae factis, *in facie*, uti olim moris erat, stigma inureretur. Non omnem tamen stigmatis in servis poenae usum abolevit Imperator, namque in *manibus* et *cruribus* stigmata damnatis inuri in eadem lege permisit.



Iam igitur satis late, utinam et satis bene! de stigmatis usu apud Romanos disputavimus. Frequentem apud illos fuisse hunc usum, ex iis, quae collegimus, satis apparet, eumque duplicem, vel tantum dignoscendi ergo, vel poenae etiam et ignominiae nomine. Deinde tamen, Romanorum moribus in peius iam versis, huius poenae ignominiam non suffecisse vidimus ad reprimendam eorum audaciam, in quos primis, uti videtur, Reipublicae temporibus constituta fuerat. Calumniatoribus nimirum alias deinde fuisse positas poenas monuimus. Denique vidimus, CONSTANTINUM MAGNUM hanc poenam in servorum poenae facie infligi vetuisse, et in manus et crura delegavisse.

Sed pergendum iam est ad poenae stigmatis usum, qui recentioris est aetatis. Non enim disserendi hic est locus de more, qui apud primos CHRISTI sectatores obtinuit; crucis signo vel etiam IESUS nomine sese notandi; idque, uti TERTULLIANUS refert (103), in fronte; ad quem morem alludere videtur PAULUS Apostolus, ubi ait (104): „Caeterum, ne quis mihi molestias praebeto; „ego enim stigmata Domini IESU in corpore meo porto," in quo loco eadem Graeca vox *στίγματα* a PAULO fuit usurpata. At respicere hic videtur Apostolus ad signa, quibus sese notare solebant primi CHRISTI sectatores, ut sese invicem internoscerent; nisi forte hic cum viris Clarissimis, WASSENBERGHIO et BOSSCHA (105) de ignominiae signis, CHRISTI sectatoribus inflictis, cogitare quis malit (106), quae etiam sententia Clar. VAN DER PALM, in nota ad PAULI locum, placet.

---

(103) *De Praescript.* c. 40.
(104) *Epist. ad Galatas* VI. 17. — Cf. DÖPLER T. II. p. 915. n°. 30.
(105) Vide notam in edit. Belg. PLUTARCHI, in *Pericle*, T. III. p. 104.
(106) Cf. hic LACTANTIUS, *Inst.* L. IV. c. 26. in f. et c. 27. aliique, quos laudat GO-

Non etiam nisi ἐν παρόδῳ hoc loco monere operae pretium, existimo Dacorum et Sarmatorum morem, sese in brachiis stigmate notandi, de quo ARISTOTELES et PLINIUS loquuti sunt. Factum enim hoc iis fuit, ut venustiores apparerent, uti et hodie apud barbaras nonnullas gentes similia fieri solent (107).

§ 7.

De gentibus in Italia, post eversum Romanorum in Occidente imperium.

In nonnullarum gentium legibus, quae, post eversum Romanorum in Occidente imperium, Italiam tenuerunt, poenam stigmatis videmus admissam, licet non valde frequentem. Nimirum in lege, quam, saeculo post Christum natum septimo, Longobardis scripsit ROTHARIS Rex, poena stigmatis *in facie et fronte*, uti verba legis audiunt, imprimendi, in furtum repetitum constituta invenitur (108). De eo autem, utrum iam antea apud Longobardos haec poena fuerit in usu, an vero eam demum admiserint, postquam Italiam occupaverant, ad Romanorum exemplum, certo non constat. Pro priori sententia facere videtur, quod apud PAULUM WARNEFRIDUM legitur, qui Longobardorum descripsit historiam, cui dicitur „ROTHARIS, rex Longobardorum, le-„ges, quas sola memoria et usu retinebant, scriptorum serie composuisse" (109). Posterior vero sententia magis fit probabilis, si cogitemus, poenam stigmatis in reliquis medii aevi legibus fere non inveniri statutam.

THOFREDUS, ad laud. l. 2. Cod. Theod. Add. KIPPINGIUS, *Antiq. Roman.* L. I. c. 11. n°. 15. p. 224, ibique laudati.

(107) De hoc Dacorum et Sarmatorum prisco more vid. GOTHOFREDUS l. l. Add. GREGORIUS THOLOSANUS l. l. L. XXXI. c. 35. n°. 2. Caeterum hic conferantur, quae supra adduximus in nota 6.

(108) Vid. *Leges Longobardorum*, L. I. art. 54, apud LINDENBROGIUM, in *Codice legum antiquarum*, p. 569, ubi de delinquente, qui repetita vice furtum commiserit: „Et si postea ipse ite-„rum in furto tentus fuerit, decalvet eum, et cedat per disciplinam, sicut decet furem, et ponat in „eo signum in fronte et in facie."

(109) PAUL. WARNEFR., *Hist. Longobard.*, L. IV. c. 44. Vid. LINDENBROGIUS, in *Cod. leg. antiq.*, Proleg. p. 5.

Insuper ex FRIDERICI II Imperatoris constitutione, quam Neapolitanis et Siculis dedit anno 1221, lenis, si mulierum, quae sui arbitrii erant, i. e. quae nullius viri custodiae vel curae erant commissae, pudicitiam sollicitaverant, prima vice stigma in fronte erat inurendum, una cum fustigationis poena, at, repetito furto, delinquenti nasus erat detruncandus (110).

Neque in Iure Canonico ignota poena stigmatis fuit. Rescripsit URBANUS III, Clericis quibusdam, propter falsum in PHILIPPI, Francorum Regis, sigillo commissum, suis ordinibus destitutis, characterem aliquem per iudicem saecularem imprimendum esse, *quo inter aliis cognoscantur* (111).

Post medium etiam saeculum duodevigesimum in ditione Papae usitata erat poena stigmatis, ibique delinquentibus duarum clavium inurebantur figurae, quae Papae referebant insignia (112). In iis vero Italiae regionibus, quae, saeculo praecedenti ad finem iam vergente, humanitatis laude multum, neque immerito, celebrati Principis LEOPOLDI II regimini fuerunt commissae, ab usu fuit remota poena stigmatis, quippe qui in Codice, quem A. 1786 condidit, hancce poenam expressis verbis abrogavit (113). Mox vero in Italiam, una cum regiminis forma mutata, cumque legibus Napoleonticis introductis, rediit procul dubio poenae stigmatis usus, qui vero hodie, in iis certe regionibus, quae Austriae parent imperio, iterum fuit sublatus.

§ 8.

De diversis populis in Germania.

Medii aevi tempore in populorum Germanicorum legibus et constitutionibus

(110) *Const. Neapol. sive Sicul.* L. III. art. 52, apud LINDENBROGIUM p. 819, ubi de lenis, eiusmodi mulierum sollicitantibus pudicitiam: „Prima vice quae talia perpetrant, si fuerint legitima „probatione convictae, fustigari censemus, et ipsas, in cognitionem semel attentati facinoris, in fron-„te signari."

(111) Vide *Decret.* GREGORII, L. V. T. 20. *de crimine falsi*, c. 3. *ad audientiam.* Cf. RITTERSHUSIUS, *Differ. Jur. Civ. et Canon.* L. VI. c. 8.

(112) Vid. BRISSOT DE WARVILLE, *Théorie des lois criminelles*, T. I. p. 318 in nota.

(113) Vid. *Cod. Leopold.* § 54 et 55. Cf. CREMANI, *de iure criminali*, L. I. P. II. c. 9. § 4. PASTORET, *Betrachtungen über die Strafgesetze*, T. I. p. 205.

non admodum frequens occurrit poena stigmatis. In legibus Salicis, Alemannorum, Burgundionum, Ripuariorum et Baiuvariorum non statuta occurrit.

Consuetudine tamen, et iudicantium arbitrio, cum aliis poenis, etiam haec poena in Germania admissa fuit; quandoque in aliarum crudeliorum poenarum locum substituta fuit, veluti crinium abscisionis, quacum coniuncta erat verberatio, sive fustigatio; quandoque et aliis poenis extra ordinem accessit (114).

In quibusdam tamen legibus et constitutionibus dein expresse statuta fuit haec poena. Ita in Statuto, quod Wormatiae dedit BURKARDUS Episcopus, admissa fuit (115); uti et in iure veteri urbis Noribergae, quod in conficienda constitutione Carolina in nonnullis exemplo fuisse dicitur. Ex hoc autem iure poena stigmatis obtinuit in levioribus falsi criminis speciebus, uti et aliquando in Politiae Ordinationum violationibus (116).

Iure Saxonico olim statuta fuit in fures aliosque quosdam delinquentes relegationis perpetuae poena, et huius poenae damnatis nota quaedam faciei vel fronti inurebatur (117).

In Constitutione tamen Criminali, quam, anno 1532, in toto Imperio valituram, sancivit CAROLUS V Imperator, quae constitutio easdem fere poenas servavisse dicitur, quae in Germania ad tempus usque, quo condita fuit, fuerant usitatae, inter poenas non fuit relata stigmatis inustio. Consuetudine vero etiam nunc invaluit, ut haec pro poena infligeretur, quamvis, HEINECCIO teste (118), non valde frequens fuerit eius usus.

Modus autem, quo haec poena infligi aliquando apud Germanos solebat, satis erat singularis, at satis etiam crudelis. Etenim non solum in facie impri-

---

(114) Vid. HEINECCIUS, *Elem. Iur. Germ.* (Halae 1737) L. II. Tit. 30. § 387. (T. II. p. 345) I. C. H. DREYER, *Antiquarische Anmerkungen über einige in dem mittlern Zeitalter in Teutschland üblich gewesenen Strafen.* (Lub. 1792) § 4. p. 12.

(115) Vid. HENKE, *Geschichte des Deutschen peinlichen Rechts*, T. I. p. 264.

(116) Vid. HENKE, l. l. T. I. p. 289.

(117) Vid. Glossa Iuris Weichbildici, art. 38 in verbis: „Diese Zeichen giebt man den Dieben, „die des Tages stehlen, und Beutel schneiden. Man zeichnet sie aber aufwarts, zum ersten durch „die Backen, zum andermahl bei die Ohren, zum drittenmahl ein Kreuz durch die Stirn, und man „zeichnet sie darum, dass sie die Leute kennen, und sich desto besser für ihnen hüten mögen."

(118) L. l. § 389. (T. II. p. 347) ibique in nota.

mi folebat ftigma, verum etiam in ufu fuit alia huiusce poenae fpecies, quae vocabatur: *das Riohten mit der Sleuten*, *Slötel*, *Schlötel* five *Schlüssel*. Iis, in quos haec poena erat ftatuta, clavis labro inurebatur (119), quod poenae genus vocabatur etiam *das Brennen durch die Täne* five *Zähne*, quod minus recte nonnullos per *excussionem dentium* interpretatos fuisse DREYERUS obfervat, quippe quae poena nunquam in Germania fuit in ufu (120).

Deinde autem in quibusdam Germaniae regionibus ufitata fuit ftigmatis poena in furibus ferarum, quorum fronti vel faciei figurae cornuum cervi inurebantur (121); quae generatim faepius relegationis poenae accedere folebat, praefertim in iis delinquentibus, qui, fixum domicilium nullum habentes, vitam vagam agebant (122).

In Saxonia, medio fere praecedenti faeculo, iis, qui ad mortis poenam damnati fuerant, quorum tamen poena in operarum publicarum poenam commutata esfet, in fignum poenae, quam meriti fuerant, in manu inurebatur figura enfis, vel rotae, vel patibuli, prout nimirum ad unum alterumve fupplicii genus fuisfent condemnati (123).

Modo diximus in Germania in delinquentibus, qui vitam vagam agere folebant (*Vagabunden*), faepius et ordinario obtinuisse ftigmatis inuftionem.

---

(119) Vid. DREYER l. l. § 19. p. 106. not. 19. Cf. DE RHOER, *Onderzoek over de Halsftraffen der Germanen*, quae disputatio legitur in Operibus Societatis Groninganae: *pro excolendo iure patrio*, T. IV. P. 1. p. 7. — Cum hac poenae fpecie convenire videtur poena, quae in facrilegos ftatuta occurrit in ordinatione PHILIPPI, Valefiae Ducis, de anno 1347, cuius verba, quae huc fpectent, funt: „A la seconde fois, si par adventure il y advenoit qu'il y recheut, nous voulons „qu'il soit au pilory au jour du marché sollennel, et qu'on lui fende la lèvre de desus d'un fer „chaud, et *que les dents lui appèrent*; à la tierce fois la lèvre de dessous, et à la quarte toute la baleu„vre." Vid. L. F. DU LOIRET, *Histoire abrégée du sacrilège*, (Parifiis 1825) p. 71. [Affinis quoque poena videri potest, quae in Belgio meridionali ufitata fuisfe dicitur in crimine blasphemiae, linguae fcilicet per ferrum candens perfosfae. Vid. *Iets over het oude ftrafregt in België* (Bruxell. 1826.) p. 14.]

(120) Vid. DREYER, l. l.

(121) Vid. DÖPLER, T. II. p. 493. no. 75.

(122) Vid. DREYER, l. l. p. 12. Cf. WESENBECIUS, in *Paratitlis Dig. de poenis*, n°. 17.

(123) Vid. ftatutum d. d. 30 Ian. 1739. Cf. ERHARD, in nota ad fuam editionem PASTORETTI, *Betrachtungen über die Straf-Gesetze*, T. I. p. 205. STÜBEL, *System des peinlichen Rechts*, T. I. § 113 in nota *c*.

Hanc vero poenam una cum relegationis poena, quacum fere coniuncta veniebat, abrogatam videmus in constitutione quadam poenali, anno 1748 Francofurti sancita, in provinciis Rhenanis valitura. Poenae abrogatae ratio additur in ea constitutione, eam hactenus horum hominum delictis reprimendis non suffecisse. Substituta autem in eius locum fuit operarum publicarum poena (124).

Ex constitutione, quam anno 1768 Imperio Austriaco dedit MARIA THERESIA, in iis tantummodo delictis adhibebatur poena stigmatis, quae *relegatione generali*, uti vocabatur, punienda essent (125): stigma autem ex hac lege dorso erat inurendum (126).

Qui MARIAE THERESIAE successit filius, IOSEPHUS II, in Codice, quem anno 1787 sancivit, poenam stigmatis quoque admisit, et iis quidem delinquentibus, qui poenam meriti essent, qua per triginta vel plures annos libertate privarentur, patibuli figuram in fronte inuri voluit, ut deleri nullo modo posset (127).

Qui vero hodie Austriae praeest, FRANCISCUS II, in Codice, quem anno 1803 dedit, poenam stigmatis, quantum scio, inter poenas non retulit.

Admissa tamen illa poena fuit in Codice Poenali Galiciae Occidentalis, qui anno 1796 Viennae prodiit. At statuta tantum fuit, una cum relegationis poena, in delinquentes extraneos, qui civitati valde apparuerint infensi, et a quibus periculum metuatur (128).

In Bavaria, ex Codice, imperfecto valde, anno 1751 confecto (129), men-

---

(124) *Chur-und Ober-Rheinische Poenal-Sanction, von* 4 *Sept.* 1748, quae constitutio invenitur in *Analectis Iur. Crim.*, editis ab I. F. PLITT, (Hanoviae 1786) p. 137 seqq. Huius constitutionis laudes, etiam in abrogata stigmatis poena, prosecutus est F. I. KORTHOLT, *de iustitia et prudentia poenarum in sanctione poenali novissima utriusque circuli Rhenani*, in iisdem *Analectis p.* 87 seqq.

(125) Vid. *Constitutio Thereſiana*, art. 6. § 14. Cf. IOS. LEON. BANNIZA, *Delin. Iur. Crim. secundum Const. Carol. et Theres.* Part. 1. § 170 in nota.

(126) Vid. ibidem art. 6. § 4.

(127) Vid. *Allg. Gesetz von Verbrechen und Strafen, vom Jahr* 1787. Cap. 2. art. 24. Cf. PASTORET l. l. Part. II. c. 2. Sect. 1. (Tom. I. p. 200 et 203.) BOEHMER, *Litteratur des Criminalrechts*, § 30. p. 114.

(128) *Strafgesetzbuch für West-Galizien* § 137. Vid. *Archiv des Criminalrechts*, T. I. P. II. p. 116.

(129) Vid. BOEHMER, *Litteratur des Criminalrechts*, § 30.

dicantibus, qui altera vice deprehensi essent, stigma inuri solebat (130). In Codice vero, qui ibi inde a die 1 Octobris anni 1815 valet, nullae fuerunt admissae poenae; integritatem corporis afficientes (*verstümmelende Strafen*), neque igitur etiam stigmatis poena (131).

Pars autem corporis, cui communiter in Germania, praecedenti etiam saeculo, infligi solebat stigma, valde erat diversa. Fiebat vel in dorso, vel etiam in facie, vel in manu, vel in digito. Figura, quae imprimebatur, patibulum fere referebat, vel rotam, vel aliud etiam instrumentum, quo poenae infligi solebant (132).

In Codice Regni Borussici anni 1791, inter poenas admissa non fuit poena stigmatis. Aliquot vero annos post illam restituit Rex FRIDERICUS WILHELMUS, in Ordinatione de die 26 Februarii anni 1799; qua, per furtorum frequentiam ad id adactus (133), poenas delictis reprimendis magis idoneas atque efficaces se constituere velle dicit, poenam autem stigmatis, in facie imprimendi, una cum perpetua operarum publicarum poena illi infligendam minatur, qui de furto violento eoque repetito convictus fuerit, ita tamen, ut, si incidat casus, ubi lex severiorem statuerit poenam, haec sit irroganda (134).

In diversis Germaniae civitatibus hodie non admodum frequentem esse poenae stigmatis usum vidimus (135). In civitate tamen Hamburgensi adhucdum est in usu (136). Abrogata vero est in civitate Bremensi, per Ordinationem d. d. 6 Novembris anni 1820 (137).

---

(130) Vid. DORN, *Versuch eines Praktischen Commentars über das peinliche Recht*, (Lipsiae 1790) T. I. § 40. p. 106, qui observat: „Heut zu Tage hat man in Ansehung der Ehrlosigkeit „auf jedes Landes Gewohnheit zu sehen, und darf der Richter von dem erfundenen Brandmarken „nicht gleich auf einen bestraften Missethäter schliessen."

(131) Cf. BOEHMER l. l.

(132) Vid. QUISTORP, *Grundsätze des peinlichen Rechts*, § 77. in nota *f*. GROLMAN, *Grundsätze des Criminalrechts*, § 157. Imprimebatur etiam aliquando litera *S*. Vid. STELTZER, *Lehrbuch des Criminalrechts*, § 192.

(133) Vid. Prologus huius Ordinationis, quae invenitur in *Archiv des Criminalrechts*, T. II. P. I. p. 32 seqq.

(134) Vid. laud. Ordinatio § 25.

(135) Cf. BOEHMER, *Litteratur* § 116. p. 712.

(136) Vid. *Neues Archiv des Criminalrechts*, T. VI. Part. III. p. 413 in nota.

(137) Vid. *Neues Archiv*, T. VI. P. I. p. 10 seq.

De regione hic verbum addam, quae et situ et moribus communi Germaniae adnumerari potest; Daniae regnum annuo. In Dania scilicet anno 1765 vel 1766 poenam stigmatis fronti inurendi in infanticidas posuit, eamque mortis poenae substituit CRISTIANUS VII Rex, una cum carcere perpetuo et operibus durioribus, et fustigatione quotannis ipso natali criminis die repetenda (138). — Et iam habes, quae de poenae stigmatis usu, variis temporibus, apud populos Germaniae colligere potui!

§ 9.

De Russis.

Poena stigmatis iam olim apud Moscovitas in furibus fuit usitata. Unde vero eam repetierint, satis certo non constare videtur. Propter primum furtum commissum carceris poena et verberatione delinquentes puniebantur, propter alterum vero furtum nasus ipsis abscindebatur, iisque stigma in fronte inurebatur (139).

Uti in aliis regionibus, ita etiam in Russia, ordinario candente ferro imprimebatur stigma, sive in fronte, sive in facie, sive in manu. A stigmatis vero inustione exemptae erant mulieres (140); et, si delinquentes Nobiles essent, eorum manui, symbolice tantum, ut legis praescripto, quod ad formam saltem, satisfieret, ferrum non candens admovebatur, qui ritus pro stigmate inusto valeret (141). Praeterea huius saeculi initio in quibusdam Imperii Russici Praefecturis invaluerat, ut delinquentibus, etiamsi de plebe essent, stigma inferretur ferro non candente, cui insculptae erant literarum figurae, quibus

(138) Haec refert Clar. DE WAL, in Orat. *de Historia Iuris Criminalis, errorum humani ingenii teste, prudentiae civilis magistra*, habita Groningae d. 10 Oct. A. 1821, in Annal. Acad. Groning. A. 1820—1821, ibique in annotat. pag 52, ex BROWNIO, *Les Cours du Nord ou Mémoires originaux sur les Souverains de la Suède et du Danemarc depuis* 1766, T. III. p. 4 et p. 352.

(139) Vid. DÖPLER, T. II. p. 909. n°. 17.

(140) Vid. STELTZER, in *Archiv des Criminalrechts*, T. VII. P. III. p. 403.

(141) Vid. LUDW. HEINR. VON IAKOB, *Entwurf eines Criminal-Gesetzbuches für das Russische Reich, mit Anmerkungen über die bestehende Russische Criminal-Gesetze*, (Halae 1818) p. 16 seq. in nota 8.

figuris, postquam corporis superficiei impressae erant, pulvis pyrius iniungebatur, ut spectabiles fierent. Hic vero mos non ex legis cuiusdam auctoritate obtinuit, at quorumdam Praefectorum humanitati et moderationi originem debuit (142).

In Codicum Criminalium publica auctoritate Rusfiae Imperio scriptis Exemplis, quae anno huius saeculi duodevigesimo in lucem prodierunt, quorum alterum a viris quibusdam illustribus, quibus ab Imperatore Codicis Exempli conficiendi opus demandatum erat, alterum ab egregio ICto LUDOVICO HENRICO VON IAKOB confectum fuit; in horum, inquam, Exemplorum utroque recepta fuit poena stigmatis.

In priori Exemplo poena stigmatis relata fuit inter eas poenas, per quas omnia iura civilia amittuntur, sive quae politicam, uti vocant, mortem secum ferunt. Pluribus delictis, ab hominibus de plebe perpetrandis, posita fuit haec poena, quibus irrogaretur simul cum poena Rusfis usitata, quae vocatur *Knut-Strafe*, et relegatione perpetua in loca deserta, vel ad operas publicas (143). Stigma autem in hoc Exemplo in facie inurendum praescribitur. Delinquentes vero, si Nobiles essent, loco huius poenae Nobilitatis dignitatumque iuribus ac privilegiis destituendi essent (144).

In posteriori Exemplo, cuius auctor Ampl. VON IAKOB, poena stigmatis admittitur, et in facie, et in fronte, et in dorso imprimendi, atque refertur inter poenas infamiam irrogantes, quae aliis poenis exasperandis inserviunt (145).

---

(142) Vid. VON IAKOB, *Entwurf*, etc. p. 24 seq. in nota B. Cf. STELTZER in *Archiv*, l. l. p. 410, qui tamen eum morem tanquam generalem et lege praescriptum videtur proponere. Maiorem hic fidem Ampl. VON IAKOB esse dandam existimo, quippe qui expresse in leges poenales Rusfiae operam contulit, et novi Codicis Exemplum publica auctoritate confecit.

(143) Cum hacce poena generatim in Rusfia coniuncta fuit poena stigmatis. Vid. STELTZER, l. l. p. 403.

(144) *Criminal-Codex für das Russische Reich, von der Kaiserlichen Gesetzgebungs-Commission entworfen*, etc. (Halae 1818) § 32. Singula delicta enumerare, quibus in hoc Exemplo poena stigmatis fuit posita, longius foret. Illa videre est in §§ 178, 197, 202, 235, 237, 256, 259, 337, 344, 346, 405, 445, 494, 515, 537. Huius Exempli censuram vide in *Neues Archiv des Crim. Rechts*, T. III. P. I. p. 43—57.

(145) VON IAKOB, *Entwurf*, § 42. De hoc etiam Exemplo vid. *N. Archiv.* l. l. § 57—72.

Stigma in facie vel in fronte iis poenis accedit, quae perpetuam relegationem e civium societate secum ferunt (146); stigma vero in dorso pro exasperatione iis poenis accedit, quibus Nobilitatis iura ac privilegia omnesque dignitates atque honores amittuntur (147).

Quamvis hisce Exemplis concessa non fuerit legis vis, non tamen illa praetereunda esse putavimus, ubi de poenae stigmatis usu in Russia disputabamus.

Quae vero diu, uti vidimus, in Russia obtinuerat, stigmatis poena, ibique satis fuerat usitata, et in fronte, et in facie, et in dorso, et in manu, eam, huius saeculi anno circiter duodevigesimo, in suo Imperio prorsus abrogari voluit magnus, qui ante breve tempus obiit, Imperator ALEXANDER I. Voluit hic, ut ii, quos, post poenam perpessam, scelerum perpetratorum poeniteret, in societatem civium possent redire, etiam si ad relegationem in frigidam illam ac desertam regionem, cuius vel nomen horrorem quemdam nobis inspirare solet, Siberiam essent damnati. Noluit Imperator, miseros istos homines continuo per indelebilem stigmatis inusti notam ad criminum suorum cogitationem impelli; noluit, illos per notas inustas in posterum ab aliis posse internosci, ne sic ex bonorum civium consuetudine in perpetuum essent relegati. Humanae profecto sunt hae legis rationes, saeculo, quod vivimus, et Magno ALEXANDRO dignae (148).

§ 10.

De nonnullis Asiae gentibus, et de Turcis.

Antequam ad exponendum poenae stigmatis usum apud reliquos Europae populos pergamus, hic quaedam intermittere liceat de nonnullis Asiae genti-

---

(146) VON IAKOB, § 43 coll. cum § 39. n°. 1. Cf. idem p. 18. seq. in nota 9.

(147) VON IAKOB, § 43. coll. cum § 39. n°. 2.

(148) Vid. *Konst- en Letterbode*, 1822. n°. 22. p. 338. [Vide et H. E. LLOYD, ALEXANDER I, *Keizer van Rusland; uit het Engelsch vertaald door I. G. S.*, (Dordraci 1826), pag. 316.] Amplissimus CARNOT, *Commentaire sur le Code pénal* (edit. Consult. I. I. DRAULT, Bruxell. 1825) T. I. p. 155, affirmat, in Russia olim poenam stigmatis constitisse in fatiscendo naso. Hoc vero totum aliud erat poenae genus. Cf. STELTZER, l. l. p. 410.

bus, apud quas hodie obtinet, vel certe ante breve tempus obtinuit, haec poena.

Apud Sinenses hanc poenam in furibus obtinere referunt. Scilicet iis, qui ob repetitum furtum deprehensi fuerunt, figurae duae brachio imprimuntur, et, si tertia vice deprehensi fuerunt, faciei (149). — In Persia etiam hodie hanc poenam obtinere, iam supra monuimus (150).

De Turcis etiam, populo, cum situ, tum moribus, Asiae forte potius quam Europae adnumerando, verbo hic dicendum. Apud Turcas periuris poena stigmatis posita ex lege est, alius poenae sequela. Asino nimirum imponendus periurii reus, facie in posteriorem animalis partem conversa; cauda illi in manibus tenenda, et ita per vias circumferendus. Postquam huic ritui satisfactum fuerit, stigma delinquenti in facie inurendum (151). — Paullo aliter ex lege SULIMANI refertur huiusce stigmatis poenae irrogationem obtinere in testimonii falsi, et in genere in falsi crimine, cuius criminis rei praeter alias poenas, quas subeunt, etiam stigmate in manu puniuntur (152).

§ 11.

De Anglis.

In Anglia iam saeculo XII sub Rege HENRICO II stigmatum in fronte inustio fuit in usu. Narrante GULIELMO NEUBRIGENSI, eo tempore Episcopi, ne virus haereticum latius serperet, haereticos quosdam, eosque publice pronuntiatos, corporali disciplinae subdendos Catholico Principi tradide-

---

(149) Vid. DÖPLER, T. I. p. 915. n°. 31. Cf. PASTORET, l. l. P. I. c. 5. (T. I. p. 54.) P. II. c. 2. Sect. 1. (T. I. p. 198.) Add. BRISSOT DE WARVILLE, *Théorie des lois criminelles*, T. I. p. 156 in nota.

(150) Cf. supra p. 17.

(151) Vid. *Tegenwoordige Staat van alle volken* (1733) T. V. p. 139. Cf. etiam *Mémoires du Baron* DE TOTT, *sur les Turcs et les Tartares* (Maestricht 1785) T. I. p. 158 in nota, qui idem poenae genus memorat, omissa tamen stigmatis mentione. Iudicum tamen avaritia et depravatione raro fit, teste eodem, ut haec poena delinquentibus irrogetur.

(152) Ita refert VON HAMMER, *des Osmanischen Reichs Staatsverfassung, und Staatsverwaltung*, (1815), p. 150.

runt. Is autem haereticae infamiae characterem frontibus eorum inuri, eosque virgis coërcitos urbe expelli iussit (153). Operae pretium existimo GULIELMI NEUBRIGENSIS sententiam de hac poena apponere, quam refert LIPSIUS (154): „Ego" (ita loquitur) „pleraque ex istis commode et iudicio admiserim, atque etiam hanc frontium inustionem. Fallor, aut ipsos dedecus illud valde coërceat, aut aliis certe notabiles reddantur ad cavendum." Videmus et hic poenae stigmatis rationem, ubivis fere conspicuam, ut notati ab aliis internoscerentur.

Deinde ex statuto Regis GULIELMI III, quicunque sciens volens particulas monetae depromtas emisset, vendidisset aut servasset, praeter harum particularum confiscationem et mulctam, stigmatis etiam in facie inustionem pati debebat. Imprimebatur autem litera R (155), quae etiam litera mendicantibus olim in tergo inurebatur, uti furibus litera T *(Theft)* (156). In furibus quoque ferarum, uti in aliis regionibus, usitata fuit poena stigmatis faciei vel fronti inusti (157).

Frequentior vero occurrit huius inustionis usus in iis, qui ex legibus et statutis ad *privilegium clericale*, quod dicitur, admittuntur. Ut vero intelligatur, quinam sit hic stigmatis usus, breviter exponendum erit, quid sit illud privilegium clericale. *Privilegium clericale* origine est beneficium, quod antiquitus Principes clericis, Christianae religionis ministris, concesserunt, quo propter delicta nonnulla a iudicibus saecularibus condemnari non possent, sed ab istis ad Ecclesiasticos iudices remittendi essent, ut ab his secundum Ecclesiae canones iudicium de illis institueretur. Hac scilicet ratione leviori fere poena clerici afficiebantur. Deinde vero hoc privilegium poenae ordinariae mitigandae locum dedit, in omnibus iis casibus, quos non exceperat lex.

---

(153) Vid. LIPSIUS, in libro *de una religione, adversus Dialogistam*, cap. 3. Opp. T. IV. p. 308 seq.

(154) l. l. p. 309.

(155) Vid. BLACKSTONE, *Commentaires sur les lois Anglaises, traduits de l'Anglais par* N. CHOMPRÉ (Parisiis 1822, 1823) L. IV. c. 7. (T. V. p. 360).

(156) DÖPLER, T. I. p. 34. n°. 115. TAILLANDIER, *Réflexions sur les lois pénales de France et d'Angleterre*, p. 132.

(157) Vid. DÖPLER, T. I. p. 910. n°. 19.

Licet postea saepe hoc privilegium extendere conati fuerint clerici, et pedetentim a Regibus quibusdam mollibus statuta obtinuerint, quibus extendebatur privilegii beneficium ad omnia fere delicta, uti et ad omnes, inferioris etiam ordinis, divini cultus ministros, nunquam tamen sese omnino a caussarum cognitione per iudices saeculares liberare potuerunt. Privilegium enim illud invocari non poterat, nisi post sententiam a iudicibus iuratis latam, qua admittebatur accusationis libellus, vel, inde ab HENRICI VII tempore, post rei convictionem; quibus scilicet privilegium invocandi temporibus post HENRICUM VII pro lubitu uti poterat reus.

Initio ad huius privilegii beneficium nemo admittebatur, nisi qui *habitum et tonsuram clericalem* haberet. At tractu temporis alia clericos internoscendi norma fuit adoptata, longe generalior, ex qua quicumque legere sciebat, (quod tempore illo ignorantiae et superstitionis specimen erat magnae eruditionis) *clericus* praesumebatur, et ad privilegium clericale admittebatur, etiamsi non habitu et tonsura clericali esset insignis (158). Iam vero, quum, adinventa typographica arte, aliisque accedentibus caussis, generalior fuerat facta eruditio, nec valeret amplius regula, qua, qui legere sciebat, tuto praesumeretur clericus, apparuit, plures laïcos, simul cum clericis, ad privilegii beneficium fuisse admissos, quod origine tantum in horum gratiam fuerat institutum. Nova igitur subinde facta fuit per statutum HENRICI VII distinctio inter homines literatos laïcos eosque, qui revera clericorum ordini essent adscripti. Quum verò ab una parte aequitas suadere videretur, homines illos privilegii beneficio non plane privare, quo per longum tempus gavisi fuerant, quumque ab altera parte non aequum existimaretur, eos omnino privilegii reddere participes, quod ab initio clericorum tantum fuerat, mediam viam ingressus fuit legislator. Mansit tamen *privilegii clericalis* nomen, quo per extensionem tantum, deinde admissam, etiam usi sunt non-clerici, qui legere scirent, uti et alii quidam delinquentes, de quibus infra (159).

---

(158) Non in Anglia solum, verum et in aliis regionibus, v. c. in Gallia, medii aevi tempore, clericus habebatur, quicumque legere et scribere sciret. Vid. Consult. L. D. MEYER, *Esprit, origine et progrès des institutions judiciaires*, L. IV. cap. 5. (T. III. p. 108).

(159) Latius privilegii clericalis naturam, originem et progressum exposuit BLACKSTONE l. l. L. IV. c. 28. (T. VI. p. 281 seqq.)

Facta igitur distinctione ab HENRICO VII inter modum, quo clerici et non-clerici privilegii clericalis fierent participes, admissum fuit, laïcos, qui hoc privilegium invocassent, leviori aliqua poena quam ordinaria affici, eosque vero semel tantum privilegii beneficio posse uti, cum e contrario clerici perpetuo eo gauderent.

Iam vero, ne idem homo, qui clericus non esset, bis vel saepius privilegii beneficio uti posset, ut certo de eo constaret, an reus aliquis iam semel eo usus fuisset, statutum in eadem HENRICI VII lege fuit, ut cuivis homini non-clerico, qui ad privilegii beneficium admissus esset, in manus sinistrae digiti maioris parte inferiori stigma candente ferro imprimeretur (160).

Rei igitur, postquam hoc stigmate erant insigniti, e curiis regiis a sententia, quam ex lege meruerant, liberi abibant, et ad Ecclesiasticum iudicem remittebantur, ubi, secundum Ecclesiae canones iudicio de illis instituto, levi poena afficiebantur, vel leviter etiam absolvebantur (161). Mutatus vero dein fuit hic iudiciorum ordo per statutum ELISABETHAE Reginae, ex quo delinquens, ad privilegium clericale admissus, non, ut antea, Ecclesiasticis iudicibus traderetur, sed statim post stigmatis notam adustam liber e iudicio abiret, vel ab ipsis iudicibus regiis ad carceris poenam condemnaretur, anni tamen spatium non excedentem (162).

Praeter homines laïcos, qui legere sciebant, alii quoque subinde ad privilegii clericalis beneficium fuerunt admissi. Sunt primo loco Viri Nobiles, qui suffragii ius in Parleamento sive supremo legislatorum consessu habent *(de Lords van het Parlement en Pairs van het rijk)*, qui ex EDUARDI VI statuto, etiamsi legere nescirent, ex solius dignitatis ratione, ob primam legis violationem privilegium invocare poterant, absque eo, quod stigmatis inustioni in manu, uti alii laïci, essent obnoxii. Hi autem non solum in iisdem delictis, quibus reliqui, verum etiam in pluribus aliis privilegii beneficio utebantur (163). Imo,

---

(160) Vid. BLACKSTONE, l. l. T. VI. p. 284.
(161) Vid. idem, l. l. p. 285 seq.
(162) Vid. idem, l. l. p. 287 seq.
(163) Vid. idem, l. l. p. 284 seq.

per interpretationem benignam, aliquando hoc beneficium ad virorum illorum Nobilium uxores fuit protractum (164).

Deinceps, per ſtatutum IACOBI I, in mulieres, quae furtum ſimplex commiſisſent, quod valorem dimidiae librae Anglicae non excederet, poena poſita fuit ſtigmatis manui inurendi, una cum fuſtigatione et carceris incluſione per tempus, quod anni ſpatium non excederet. Privilegium tamen clericale hoc proprie non erat, namque non inquirendum erat, an mulieres legere ſcirent (165).

Per duo ſtatuta regia GULIELMI et MARIAE, haec ſolitae poenae mitigatio ad mulieres extenſa fuit, de quocumque delicto convictas, in quod per leges esſet conſtituta bonorum confiſcatio, ſive ſola, ſive cum poena corpus afficiente vel capitali coniuncta, (166), modo adesſent ea, quae requirebantur, ut quis privilegio clericali posſet gaudere. In his igitur delictis *privilegium ſtatuti* invocare poterant mulieres, uti viri privilegium clericale. Mulieres autem, quae hoc privilegium invocaverant, ſtigmate in manu notabantur, et carceri per breve tempus mandabantur (167).

Quum vero dein appareret, ſtigmatis in manu poenam non ſatis efficacem esſe ad reprimenda delicta, huic poenae irrogandae rationi ſubſtituta fuit ſtigmatis inuſtio in ſiniſtra faciei parte prope naſum. Haec vero nota indelebilis et perpetuo apparens delinquentes ad deſperationem non raro adigebat, ideoque ſeptem annis, poſtquam fuerat introducta, per ANNAE Reginae ſtatutum revocata fuit, et reſtituta inuſtio in manu (168).

Praeterea apud Anglos ſtigma manui infligebatur in homicidio non voluntario (*Manſlaughter*), cuius delicti reus privilegium clericale poterat invoca-

---

(164) Vid. ED. CHRISTIAN, in nota ad BLACKSTONIUM l. l. edit. laud. T. VI. p. 285.

(165) Vid. BLACKSTONE, l. l. p. 288.

(166) Delicta graviora, quae bonorum omnium confiſcatione apud Anglos puniuntur, denotari ſolent voce *felony*. Confiſcationem vero in hisce delictis plerumque, pro gravitate criminis, comitatur poena vel capitalis vel corpus afficiens. Vid. BLACKSTONE, L. IV. cap. 7. edit. laud. T. V. p. 352 ſeqq. MEYER, *Inſtitutions judiciaires*, T. II. p. 95. T. IV. p. 268 in nota.

(167) Vid. BLACKSTONE, l. l. p. 288.

(168) Vid. idem ibidem.

re (169). Hodie vero ex Statuto GEORGII III pro hac ſtigmatis inuſtione levem mulctam ſubſtituere potest iudex (170).

Apud Anglos igitur vidimus ſtigma ideo praecipue inuri, ut dignoſcantur hac nota inuſti. Non vero id obſtat, quominus etiam revera poenae nomine apud illos veniſſe dicamus ſtigmatis inuſtionem: huius rei vidimus exempla in iis, quae de privilegio clericali, deque caeteris ad hanc rem pertinentibus ſtatutis regiis, BLACKSTONIUM praecipue ſequuti, disputavimus. Praeterea hic ſcriptor ſtigmatis inuſtionem, vel in manu, vel in facie, diſerte inter poenas in Anglia uſu receptas recenſuit (171). Hodie vero hanc poenam in Anglorum legibus poenalibus nusquam occurrere obſervavit Doct. F. A. S. A. VAN ITTERSUM (172), TAILLANDIERII ſequutus auctoritatem, qui an ſatis idoneo in hac re nixus fuerit fundamento, dubitare mihi liceat, praeſertim ideo, quia hac de re nihil dixit recentiſſimus BLACKSTONII operis commentator ED. CHRISTIAN, qui in notis plura recentiora ſtatuta attulit, quae mutationes in legibus Anglicis effecerunt. Hic quidem obſervavit, ex ſtatuto Regis GEORGII III iudicem, in cauſa homicidii non voluntarii, pro ſtigmatis poena, quam conſtituerat antiquior lex, mulctam irrogare *poſſe*; at facultas haec iudici conceſſa non omnem poenae uſum abrogaviſſe habenda est (173).

§ 12.

De Hiſpanis ac Luſitanis.

De Hiſpanorum iure criminali non multa ad noſtram notitiam pervenerunt. Id ſolum ſcimus, Hiſpanorum leges criminales proſtare in Regum ſtatutis, quae

(169) Vid. BLACKSTONE, l. l. L. IV. c. 14. (T. V. p. 533). Vide quoque ſententiam in cauſa homicidii non voluntarii latam, quae ſtigmatis inuſtionem in manu iubet, ibid. T. VI in Append. n°. IV. p. XLVIII.

(170) Vid. ED. CHRISTIAN in nota ad BLACKSTONIUM, T. V. p. 533.

(171) l. l. L. IV. c. 29. (T. VI. p. 303). Vide etiam de ſtigmatis poena in Anglia verbum apud PASTORET l. l. P. III. c. 4. Sect. 5. (T. II. p. 126 ſeq.).

(172) Spec. Iur. Inaug. *de fundamento iuris puniendi atque legum poenalium fine et de quibusdam poenis criminalibus, quibus hodie utimur*, (Ultrai. 1824) p. 128. Cf. TAILLANDIER, l. l. p. 132.

(173) Cf. locus laud. in nota 160.

in unum Codicem ſunt collecta, et quorum de tempore in tempus nova datur editio, additis iis ſtatutis, quae ab ultima inde editione vim legis obtinuere. Regnante CAROLO III, novi Codicis Criminalis conficiendi opus viris quibusdam legum peritis, quibus praeerat CAMPOMANES, fuit mandatum, quorum tamen labores, quod ad legum emendationem, nullum tulere effectum (174). Conſtat tamen, Hiſpanos poenam ſtigmatis ſaeculo XVII viris ob crimen bigamiae irrogaviſſe, quibus inurebatur in fronte litera Q (175). Blasphemiae reis in labris candente ferro crucis ſignum imprimebatur (176). Fures ferarum ſtigmate in fronte vel in facie notabantur (177), et ſaeculo etiam XVII ſervorum faciei pro diſtinguendi nota duplex *S* imprimi ſolebat (178). Quinam hodie in illa regione ſit poenae ſtigmatis uſus, mihi non conſtat. Ipsam tamen ſtigmatis inuſtionem hoc ſaeculo non ignotam in Hiſpania fuiſſe, ex eo effici poteſt, quod, in bello Gallos inter et Hiſpanos inde ab anno 1808 geſto, notiſſimus Hiſpanorum Dux MINA inhoneſtis ſpeculatoribus e Gallis aurem dextram abſcindi iuſſerit, iisque in fronte imprimi voces „*Viva Mina,*" quo quidem facto nullus poſtea adverſus illum exſtitit inhoneſtus ſpeculator (179). Poena haec quidem non erat, quam nos intelligimus, quae in civitate, ex lege conſtituta, ob delictum infligitur; at exinde patere certe poteſt, in Hiſpania hoc etiam ſaeculo non ignotum fuiſſe hoc poenae genus.

[In adiacente itidem Luſitaniae Regno in uſu fuiſſe conſtat poenam ſtigmatis, quae nuper lata lege de imperio expreſſis verbis, una cum confiſcatione bonorum et fuſtigatione, fuit abrogata (180).]

---

(174) Vid. BOURGOING, *Tableau de l'Espagne moderne*, (Pariſiis 1803) T. I. p. 343 ſeq.

(175) Vid. PETR. OSTERMANN, in Comment. ad leg. *ſtigmata* Cod. *de fabricenſibus*, Sect. 4. p. 8. DÖPLER, T. I. p. 909. n°. 15.

(176) Vid. DÖPLER, l. l.

(177) Vid. DÖPLER, l. l. p. 910. n°. 19.

(178) Vid. CRUSIUS, *de indiciis delictorum*, P. III. c. 2. n°. 131. DÖPLER, l. l. p. 912. n°. 26.

(179) Vid. K. H. L. PÖLITZ, *die Staatswiſſenſchaften im Lichte unsrer Zeit* (Lipſiae 1824) T. V. p. 217. § 65 in f.

(180) [Vide Diaria menſis Iulii A. 1826, v. c. *Haarlemmer Courant*, d. d. 29 Iulii A. 1826. n°. 90. art. *Parys.*]

§ 13.

De Helvetis.

In quibusdam, imo pluribus, Helvetiae civitatibus ab usu remota fertur stigmatis poena (181). In nonnullis tamen recenter eam fuisse receptam constat. Lucernae autem per statutum de die 3 Ianuarii A. 1816 publica auctoritate admissa fuit (182), uti et in duobus Codicibus, qui recentioris etiam sunt aetatis. Horum Codicum alter est, qui in tractu Sangallensi legis vim accepit die 1 Octobris A. 1819 (183); alter civitatis Basileensis, qui promulgatus fuit die 18 Aprilis A. 1821 (184). Ex horum Codicum priori delinquentis humero sinistro a carnifice inuruntur literae S. G. (*St. Gallen*). At haec poena iis tantum delinquentibus regulariter infertur, qui non in ipsa regione Sangallensi civitatis iure utuntur (185), a qua tamen regula exceptio admittitur in furti violenti crimine (186).

[In civitate etiam Genevensi ad hunc usque diem usitata poena stigmatis fuit; quibusnam vero in delictis, mihi non innotuit. Iam vero fertur in consessu legislatorum eiusdem civitatis die 15 Decembris A. 1825 agitata fuisse quaestio de abroganda poena stigmatis, quippe quae contraria prorsus sit fini, quem sibi proponit legislator in statuendis et infligendis poenis, delinquentis nimirum emendationi (187).]

---

(181) Vid. BOEHMER, *Litteratur des Crim. R.* § 116. p. 712.

(182) Vid. BOEHMER, l. l.

(183) *Kanton St. Gallisches Straf-Gesetzbuch.* Cf. de hoc Codice *Neues Archiv des Crim. R.* T. VI. P. I. p. 14 seqq.

(184) *Criminal-Gesetzbuch für dem Canton Basel.* Vid. *Neues Archiv*, l. l. p. 32 seqq.

(185) Vid. Art. 66.

(186) Vid. Art. 192. coll. cum Art. 66.

(187) [Haec habeo ex Clar. C. A. DEN TEX et I. VAN HALL, *Bijdragen tot Regtsgeleerdheid en Wetgeving*, 1826. n°. 1. p. 160.]

§ 14.

De Gallis.

Sive ex Iure Romano, five ex Iure Canonico ftigmatis poenam Galli repetierint, diverfis certe temporibus fatis frequens in Gallia fuit haec poena. Olim propter varia crimina delinquentibus fignum lilii candente ferro in fronte, vel etiam in dorfo, imprimi ufitatum fuit (188). Tali ftigmate inter alios aliquando fuisfe inuftum Curiae Tolofanae praefidem, propter falfum in inquifitione commisfum, referunt (189).

In Ordinatione Criminali, quam anno 1670 dedit LUDOVICUS XIV, inter poenas non relata fuit poena ftigmatis, neque tamen expresfe abrogata, atque etiam fub huius Ordinationis imperio non omnino ab ufu remota fuisfe videtur (190).

Ex Ordinatione de die 4 Martii A. 1724, regnante LUDOVICO XV edita, furibus pro ftigmatis poena in dorfo inurebatur litera V (*Voleur*), cui ob repetitum furtum alia addebatur eiusdem literae figura: iis autem, qui ad operas publicas remigum in perpetuum esfent damnati, priusquam ad eam poenam fubeundam dimitterentur, literae GAL. (*Galères*) in dorfo inurebantur, ut hi, fi deinde iterum crimen commififsent, in quod ftatuta esfet poena corpus afficiens, morte punirentur (191).

---

(188) Vid. IOHANN. IMBERTUS, *Inftit. forenf.* L. III. c. 20 feq. GREGORIUS THOLOSANUS, *Synt. Iur.* L. XXXI. c. 35. n°. 4. GUDELINUS, *de Iure Noviſsimo* (Antv. 1644) L. V. c. 15. n°. 12. p. 252.

(189) Vid. PASTORET, l. l. P. III. c. 2. Sect. 1. (T. I. p. 199).

(190) Cf. PASTORET, l. l. P. I. c. 5. (T. I. p. 61). Ita tamen loquitur Ampl. CARNOT, *Commentaire sur le C. P.* ad Art. 7. n°. 9. (T. I. p. 79): „La marque étoit également placée au „rang des peines par l'ancienne Ordonnance." At minus accurate hic loquutus videtur vir Ampl., quum diferte affirmet PASTORETUS, illam *non* expresfe in ea Ordinatione fuisfe admisfam.

(191) Ordinationis d. d. 4 Martii A. 1724 conftitutiones, quae de poena ftigmatis funt, hic defcribere operae pretium videtur: „Art. I. Ceux et celles qui se trouveront à l'avenir convaincus „de vol, et de l'avoir fait dans les églises, ensemble leurs complices et suppôts ne pourront être „punis de moindre peine, savoir, les hommes de celles des galères à temps ou à perpétuité, et les „femmes d'être flétries d'une marque en forme de lettre V, et enfermées à temps ou pour la vie

In Codice poenali d. d. 25 Septembris A. 1791 ex legislatorum decreto (*Décret de l'Assemblée Nationale Constituante*) expressis verbis abrogata fuit poena stigmatis (192), quippe quam ea tempestate respuebat hominum opinio, a perpetuis poenis prorsus aliena (193). Non diu post lege d. d. 23 mensis *Floréal* A. X (d. 13 Maii A. 1802) restitutus fuit eius usus in criminibus repetitis, quorum rei litera R (*récidive*), et in crimine falsi, cuius rei litera F (*faussaire*) notabantur; *illi* in humero sinistro, *hi* in dextero (194). Deinde

„dans les maisons de force; le tout sans préjudice de la peine de mort, s'il y échet, suivant l'exi-„gence des cas. — Art. II. Ceux ou celles qui n'ayant encore été repris de justice, se trouveront „pour la première fois convaincus de vol, autre que ceux commis dans les églises, ou vol domes-„tique, ne pourront être condamnés à moindre peine que celle du fouet, et d'être flétris d'une mar-„que en forme de lettre V; sans préjudice de plus grandé peine, s'il y échet, suivant l'exigence des „cas. — Art. III. Ceux qui, après avoir été condamnés pour vol, ou flétris pour quelque autre crime „que ce soit, seront convaincus de récidive en crime de vol, ne pourront être condamnés à moindre „peine que, savoir les hommes aux galères à temps ou à perpétuité, et les femmes à être de nou-„veau flétries d'un double V, si c'est pour récidive de vol, ou d'un simple V, si la flétrissure a „été encourue pour un autre crime, et enfermées à temps ou pour leur vie dans des maisons de „force; le tout sans préjudice de la peine de mort, s'il y échet, suivant l'exigence des cas. — Art. IV. „Ceux qui seront condamnés aux galères à temps ou à perpétuité, pour quelque crime que ce puisse „être, seront flétris, avant d'y être conduits, des trois lettres GAL, pour, en cas de récidive, en „crime qui mérite peine afflictive, être punis de mort." Haec legis verba descripsit Ill. MERLIN, *Répertoire de Jurisprudence*, T. V. p. 256, in voce *flétrissure*. Cf. porro PASTORET, l. l. P. II. c. 2. Sect. 1. (T. I. p. 200 seq.) BRISSOT DE WARVILLE, *Théorie des lois criminelles*, T. I. p. 318 in nota.

(192) *Code Pénal de* 1791, P. I. Tit. I. Art. 35. — Poenam stigmatis moribus repugnantem omnique vera utilitate destitutam declaraverat legislatorum consessus. Vid. CARNOT, *Commentaire sur le Code Pénal*, ad Art. 7. n°. 11. (T. I. p. 98).

(193) Cf. *Code Pénal* (de 1810) *avec instructions*, *par* I. M. DUFOUR (Parisiis 1811) T. I. p. 9. Anonymus in *Manuel des jurés* (Paris. 1810), *Discours préliminaire*, pag. 70, qui de hac re observat: „Les intentions philanthropiques de l'assemblée constituante, quand elle rejeta la con-„fiscation et la marque, étoient certainement louables; mais cette assemblée, mue par un espoir de „perfectibilité, qui malheureusement ne se réalise pas, a trop souvent considéré les hommes, non „tels qu'ils sont, mais tels qu'il seroit à désirer qu'ils fussent."

(194) Vid. *Code Pénal avec instructions*, T. I. p. 28 seq. ad art. 20. Legis d. d. 23 Mensis *Floréal* A. X huc pertinentia verba sunt: „Art. I. Tout individu qui aura été repris de justice pour un „crime, qualifié tel par les lois actuellement subsistantes, et qui sera convaincu d'avoir postérieu-„rement à sa première condamnation commis un second crime, emportant peine afflictive, sera

lege de die 12 Maii A. 1806 admissa quoque fuit in crimine comminationis incendii (195).

In Codice Poenali, qui inde a die 1 Ianuarii A. 1811 in Gallia legis vim habuit, quique etiam nos Belgas adhucdum regit, alia de poenae stigmatis usu praecepta obtinent. Priusquam vero ad haec transeamus, supervacaneum non erit praemonere, auctores exempli, ex quo Codex confectus fuit, poenam stigmatis omnibus iis infligi voluisse, qui ad poenam condemnarentur operarum publicarum sive perpetuam sive temporariam, et ad poenam deportationis, unde frequentissima futura fuisset haec poena (196). Quum vero plures e Curiis et Tribunalibus Galliae frequentem hunc usum improbaverint, neque etiam legislatoribus placuerit, in ipso Codice valde minuta fuit criminum series, in quibus locum obtineret.

In ipso igitur Codice poena stigmatis inter poenas refertur criminales, corpus afficientes (197), et infamiam irrogantes, et est absolute accessoria, id

---

„condamné à la peine prononcée par la loi contre le dit crime, *et en outre à être flétri publique-* „*ment sur l'épaule gauche de la lettre R.* — Art. VI. Tout individu condamné pour l'un des cri- „mes énoncés en l'art. II" (Art. II enumerantur variae *falsi* criminis species), „ou pour celui „de fausse monnaie, sera, dès la première fois et outre la peine prononcée par le Code Pénal, „*flétri publiquement sur l'épaule droite de la lettre F.*"

(195) Vid. MERLIN, *Répertoire*, in voce *flétrissure*.

(196) *Projet de Code Criminel, Correctionnel et de Police* (Parisiis 1804) Art. 24: „Quiconque „aura été condamné à l'une des peines, des travaux forcés à perpétuité, de la déportation ou des „travaux forcés à temps, sera flétri sur la place publique, par l'application d'une empreinte avec un „fer brûlant, sur les deux épaules. — Cette empreinte sera des lettres T. P. pour les coupables „condamnés aux travaux forcés à perpétuité; de la lettre D pour les coupables condamnés à la dé- „portation; de la lettre T pour les coupables condamnés aux travaux forcés à temps. — La lettre „F sera ajoutée dans l'empreinte, si le coupable est un faussaire, et la lettre V s'il est un vo- „leur. — Le numéro du département, où siège le tribunal criminel qui aura rendu le jugement, se- „ra ajouté dans l'empreinte."

(197) Imo sola est poena corpus afficiens, quae proprie ita dicitur, quam admisit Codex poenalis Gallicus, uti ait ICtus Belga in *Briefwisseling van eenige Regtsgeleerden* (Mr. I. D. MEYER, Mr. H. W. TYDEMAN, enz.) *over de aanstaande Nederlandsche Wetgeving* (L. B. 1819), p. 266. Ad hanc sententiam observari tamen potest, eam C. P. G. auctorum menti non satis videri consentaneam, quippe qui in art. 7 plures poenarum species corpus afficientes nuncupent, cum praeterea ratio, qua poena operarum publicarum perpetua exercenda in viris praecipitur (vid. art. 15), haud permittere videatur, ut hanc certe poenam corpus afficientem non dicamus.

est, quae nunquam sola infligitur, at semper alii cuidam poenae accedit (198). Accedit scilicet necessario perpetuae operarum publicarum poenae; accedit vero etiam aliis poenis, in criminibus quibusdam, in quibus expresse illud constituerit lex (199): nimirum in crimine repetito (*récidive*), si praeterea in hoc crimen posita sit poena ergastuli (*reclusion*) (200): in crimine falsi, etiamsi poenam operarum publicarum temporariam tantum, vel etiam poenam ergastuli meruerit delinquens (201): porro in hominum vagam vitam agentium (*va-*

---

(198) Vid. *Code Pénal*, Art. 7. „La marque" (ita loquitur Ampl. CARNOT, *Comm. sur le C. P.*, ad art. 7. n°. 9. T. I. p. 97) „étoit placée au rang des peines par l'ancienne Ordonnance" (cf. tamen quae supra observavimus in nota 190); „elle n'est plus que le mode d'exécution de quelques-„unes des peines afflictives et infamantes." Hoc quoque sensu eam accepit Curia Suprema Galliae, quae die 29 Decembris A. 1814 iudicavit, poenam stigmatis una cum poena principali esse inferendam, quando huic poenae illam necessario accedentem statuerit lex, etiamsi poenam stigmatis non expresse in sententia pronunciasset Curia Assessionum. Vid. CARNOT l. l. ad art. 20. n°. 5. T. I. p. 155. Ampl. CARNOT per verba, quae modo attulimus, eandem videtur significasse poenam stigmatis, quam nos vocamus poenam accessoriam. — Cf. porro ad h. l. Doct. S. GOCKINGA, in *Spec. positiones inprimis continente ex C. P. G. ad usum Belgarum depromptas* (Gron. 1810) p. 5, 7, 9 et 16. Doct. A. W. HOETH, *disp. de falso* (Gron. 1812) p. 30 seq. Porro hic memorandum Decretum de die 23 Iulii A. 1810, quo statutum fuit, in concursu duarum poenarum, non tamen perpetuarum, graviorem habendam esse eam, quacum stigmatis poena coniuncta sit. Iudicavit tamen Curia Suprema Galliae die 29 Septembris A. 1815 (SIREY, T. XVI. P. I. p. 13), delinquentem, qui ob duo crimina simul, (furti scilicet non simplicis et falsi in instrumento privato peracti,) poenam meruerat operarum publicarum temporariam, et poenam ergastuli cum stigmate, non notandum esse stigmate, at tantum poena operarum temporaria puniendum. Vid. LE GRAVEREND, *Traité de la législation criminelle* (ed. 1823) T. II. p. 611. not. 3, qui illud Curiae iudicium impugnat. Add. PAILLIET ad art. 365 *Cod. Instr. Crim.*

(199) Art. 20. „Quiconque aura été condamné à la peine des travaux forcés à perpétuité, se-„ra flétri, sur la place publique, par l'application d'une empreinte avec un fer brûlant sur l'é-„paule droite. — Les condamnés à d'autres peines ne subiront la flétrissure que dans les cas où „la loi l'aurait attachée à la peine qui leur est infligée. — Cette empreinte sera des lettres T. P. „pour les coupables condamnés aux travaux forcés à perpetuité; de la lettre T. pour les coupa-„bles condamnés aux travaux forcés à temps, lorsqu'ils devront être flétris. — La lettre F sera „ajoutée dans l'empreinte, si le coupable est un faussaire."

(200) Art. 56. „Quiconque, ayant été condamné pour crime . . . . ., si le second crime en-„traine la peine de la reclusion, sera condamné à la peine des travaux forcés à temps et à la „marque."

(201) Art. 165. „La marque sera infligée à tout faussaire condamné soit aux travaux forcés à

gabonds) criminibus, si in haec crimina caeteroquin temporaria operarum publicarum poena sit statuta (202).

Infligitur vero stigma a carnifice in loco publico, ferro candente et in humero dextero. Delinquentibus ad poenam operarum publicarum perpetuam damnatis imprimuntur literae T. P.; damnatis ad temporariam operarum poenam litera T inuritur; et insuper in damnatis propter crimen falsi quovis casu additur litera F (203).

[Dubium videri potest ex Codice poenali Gallico, an gravida mulier stigmate sit notanda, num vero poenae executioni sit supersedendum, donec in lucem editus sit foetus. Mortis poenae executioni est supersedendum, namque ita expresse statuit lex (204): de aliis vero poenis, neque etiam de poena stigmatis, aliquid statutum legitur. Non tamen credendus legislator voluisse, ut gravidae mulieri stigma infigeretur, quo insonti foetui simul noceretur, et immanissimae crudelitatis populo praeberetur spectaculum (205). Neque credendum videtur narrationi, Lutetiae Parisiorum anno 1825 tam inhumanum faci-

„ temps, soit même à la reclusion." Casus autem, in quibus effectum sortiri debeat haec lex, descripti sunt in art. 140, 141, 142, 145, 146, 147, 148, 150, 151, 156, 157, 158. Minus vero recte Doct. VAN ITTERSUM, Spec. laud. p. 138, hisce articulis adnumerat art. 361—365, quibus *de testimonio falso* agitur, quod crimini falsi affine quidem crimen est, at non confundendum cum illo crimine, quod vocavit legislator *crime de faux*, uti neque ille, qui falsum testimonium dixerit, confundendus est cum eo, quem legislator appellavit voce *faussaire*. Non igitur poenis in art. 361—365 positis accedit stigma; quod iudicavit etiam Curia Suprema Galliae d. 6 Maii A. 1813. Vid. SIREY, T. XVII. P. I. p. 91. Cf. Doct. HOETH l. l. p. 57, quem praeterea ad locum de poena stigmatis propter falsi crimen irroganda vide p. 12, 22, 30, 31, 34, 40, 44, 47. Dubitatum fuit, an delinquens, qui documenta falsa vel adulterata sciens volens in suum usum convertisset, stigmatis poena ex art. 165 esset afficiendus. Saepius affirmando iudicavit Curia Suprema Galliae. Vide iudicia de die 17 Octobris A. 1811 (apud SIREY, T. XVII. P. I. p. 91); de die 26 Decembris A. 1812 (SIREY, T. XIII. P. I. p. 198); de die 13 Octobris A. 1815 (SIREY, T. XVI. P. I. p. 68). Cf. CARNOT l. l. ad art. 165 (T. II. p. 110), qui tamen ab hisce Curiae iudiciis sese dissentire profitetur.

(202) Art. 280. „ Tout vagabond ou mendiant qui aura commis un crime emportant la peine „ des travaux forcés à temps, sera en outre marqué."

(203) Art. 20.

(204) [C. P. art. 27.]

(205) [Cf. DUFOUR ad laud. art. 27. Doct. A. TELTING, Disp. *de iuribus nondum natorum*, (Gron. 1826) pag. 141.]

nus fuisse patratum. Hoc enim postquam in diariis fuerat narratum (206), postea tamen alibi fuit negatum (207).]

§ 15.

De Belgis.

In diversis nostrae patriae regionibus diversis admodum legibus olim utebantur, quod notissimum est, et qua de re hic dicere non attinet. Quod vero ad poenam stigmatis attinet, haec in diversis Belgii regionibus usitata satis frequenter fuisse videtur. De poenae vero origine difficile puto certi quid statuere. Probabile tamen esse videtur, stigma ex Iure Canonico primum in harum regionum usum fuisse conversum, et deinde forte ab alia in aliam regionem transmissum fuisse. Vetustissima lex, in qua eam poenam diserte statutam inveni, est lex Antverpiae urbis, ab Imperatore MAXIMILIANO I A. 1480 confirmata, in qua magistratui conceditur facultas, inter plures alias poenas stigmatis etiam poenam irrogandi (208). [Ex Edicto praeterea de die 7 Octobris A. 1546, in Belgio meridionali promulgato, quo statutum fuit, quid pro cuiuscunque poenae criminalis executione carnifici emolumenti concederetur, apparet, poenam stigmatis inter solitas fuisse poenas; namque et pro huius poenae irrogatione fixum statuitur carnifici emolumentum (209). Idem obtinuit in Edicto, quod die 17 Ianuarii A. 1676 Gandavi editum fuit, e quo elici posse videtur, stigma tunc temporis nunquam sine fustigatione irrogari fuisse solitum (210).]

---

(206) [Vid. Diarium: *le Courier des Pays-Bas* A. 1825. n°. 148. p. 2. in art. *France*, 25 *Mai*.]

(207) [Verbis fere usus sum Doct. A. TELTING, l. l.]

(208) *Rechten ende Costumen van Antwerpen*, (*ghedruckt tot Ceulen in 't jaer Christi* 1644) cap. 17. art. 1. p. 26, ubi: „De Schouteth, Borghemeester ende Schepenen moghen vonnisselycken bannen alle de De„linquanten uyter Stadt, Marckgraefschap ende Quartier van Antwerpen, hetzy eeuwelyck, oft tot „eenen ghelimiteerden tyde, op 't lyf, op de galghe, op den put, op de handt, op de ooren, *op* „*'t brandteecken*, op de gheesselinghe. ende andersints elck nae zyn misdienst."

(209) [Vid. *Iets over het oude strafregt in België* (Bruxellis 1826), p. 6.]

(210) [Vide libellum modo a me laudatum, p. 6; ipsum quoque edictum videre licet ibidem in annotationibus, pag. 53 seq., ubi art. 3. legitur: „Item voor eene simpele fustigatie dry guldens,

Olim autem in Belgio plerumque ſtigma in tergo vel in humeris infligi ſolebat (211), et raro tantum in facie vel in fronte. Id tamen etiam aliquando fuisſe admisſum, apparet e ſententia a Scabinis Delphenſibus lata die 20 Decembris A. 1628, vi cuius ſtigma inuſtum fuit fronti cuiusdam viri, qui data opera faciei alterius vulnus intulerat (212). Hanc vero ſententiam quum ſedulo afferant plures auctores, ut probent, etiam in Belgio aliquando fuisſe uſitatam frontium inuſtionem, quumque certum ſit, unam alteramve exceptionem, diſerte allatam, regulam firmare, ac deesſe videantur plura exempla, tuto exinde effici posſe videtur, ſtigmatis in fronte vel facie inuſti poenam raram admodum fuisſe in Belgio (213). Notae autem, quae etiam olim ordinario inurebantur, civitatis punientis inſignia plerumque referre ſolebant (214).

Quod ad delicta attinet, ob quae in ſingulis regionibus adhibebatur illa poena, pro diverſis illis regionibus diverſa fere erat ratio. — In Hollandia propter comminatum incendium, una cum fuſtigationis et carceris poena, delinquentes poena ſtigmatis in dorſo afficiebantur (215), uti et ii, qui pecuniae publicae furtum perpetraverant (216), et ſimplices fures, ſi delictum repetivisſent (217). Militibus vero, loco civitatis inſignium, patibuli figura im-

„ende degonne die geſchieden ſal met den bast aen den hals, vier guldens, en met het brandtmerck, „ſes guldens."

(211) Vid. GUDELINUS, *de Iure Novisſimo*, L. V. c. 15. nº. 12. GROENEWEGEN, *de legibus abrogatis ad l.* 17 *Cod. de poenis* (IX—47). FRANC. ZYPAEUS, *Notit. Iur. Belg.* (Antv. 1665) L. IX. § *de poenis* nº. 3. p. 308.

(212) Vid. GROENEWEGEN, l. l. MASCOVIUS, Diſſ. laud. in Opusc. p. 100.

(213) [Ita ſcripſeram, priusquam mihi notus erat libellus modo a me laudatus, e quo comperi, auctorem esſe SIMONEM VAN LEEUWEN (*Roomsch-Hollandsch Regt*, p. 410. nº. 12), ſua aetate in Belgio falſi criminis reis ſtigma in facie inuri ſolere. Laudati libelli auctor quoque affirmat, in ditione urbis Iprae peierantibus et falſa teſtimonia dicentibus pro poena clavis figuram in facie inuſtam fuisſe. Vid. *Iets over het oude ſtrafregt in Belgiē*, p. 9.]

(214) Vid. GROENEWEGEN, l. l.

(215) Vid. KERSTEMAN, *Hollandsch Regtsgeleerd Woordenboek*, in voce *Brandbrieven*.

(216) Vid. KERSTEMAN, l. l. in voce *Dieven*.

(217) Vid. KERSTEMAN, l. l. IOH. MOORMAN, *Verhandeling over de misdaden en derzelver ſtraffen, uitgegeven door* I. I. VAN HASSELT, (edit. 2ª Arnhemi 1777) L. III. c. 2. nº. 8. p. 320.

primebatur (218). — In Frisiae legibus in eos statuta erat poena stigmatis, una cum fustigationis et exilii poena, qui equorum caudas abscinderent (219); porro in eos, qui, vitam vagam agentes, semel puniti exilio redirent (220); denique in eos, qui altera vice propter res furto ablatas celandas vel receptandas puniendi essent (221). Praeterea furibus simplicibus extra ordinem stigmata etiam nonnunquam imprimebantur (222). In hac regione non nisi in dorso inustio fiebat (223).

In statuto regionis Transisalanicae in furti repetiti crimine iudici relicta fuit facultas, delinquenti vel stigmatis poenam irrogandi, vel auris abscissionis et relegationis e regionis territorio (224).

In statutis Omlandico (225), Oldambtino (226), Selwerdino (227), Weddano Westerwoldinganoque (228), quae in diversis regionis Groninganae tractibus valuerant, uti et in Ordinatione Criminali Urbis Groningae de A. 1725 (229), stigmatis poena in solos fures erat constituta.

---

(218) Vid. MOORMAN, l. l. VAN HASSELT, *Verh. over de straffen by den Volke van Oorlog in dienst van den Staat der Vereenigde Nederlanden gebruikelyk*, (Arnh. 1777) § 3. p. 37 in nota.

(219) *Statuten van Vriesland*, L. II. T. 3. art. 11. De huius poenae satis certe severae rationibus vid. HAMERSTER et BINCKES ad h. l. Equorum fures etiam in Frisia stigmatis poena fuisse affectos refert Cl. HUBER, *Hedend. Regtsgel.* L. VI. c. 5. no. 33. p. 894.

(220) *Statuten van Vriesland*, L. II. T. 8. art. 5.

(221) Ibid. L. II. Tit. 9. art. 1. Cf. HUBER, l. l. n°. 34.

(222) Vid. HUBER, l. l. n°. 30. p. 893.

(223) Vid. Idem L. VI. c. 23. n°. 15. p. 957.

(224) *Landrecht van Overijssel* (d. d. 12 Martii A. 1630), L. II. T. 19. art. 9.

(225) *Landrecht van Hunsingo, Fyvelingo ende het Wester-quartier*, sive *Ommelander Landrecht*. (d. d. ult. Oct. A. 1601), L. VII. art. 29.

(226) *Landrecht der beyden Old'-Ambten* (d. d. 7 Februarii A. 1618), L. V. art. 62.

(227) *Landrecht des Gerichts van Selwerdt* (d. d. 28 Augusti A. 1673), L. V. art. 48.

(228) *Ampliatie van het Landrecht van Wedde ende Westerwoldinge-Landt, nopende de breuken, straffen van delicten, enz.* (d. d. 16 Nov. A. 1706), art. 62.

(229) *Ordonnantie op de delicten, by Borgemeesteren ende Raadt, oudt en nieuw, met Taalmannen en Gesworene Meente in Groningen gearresteerd* (d. d. 4 Iulii A. 1725), Capite *van misdaat tegen 't goedt*, art. 1.

Ex Iure denique regionis Drenthinae ob repetitum furtum (230) et ob equi caudae abſciſsionem delinquenti ſtigma irrogandum erat (231).

Antequam vero de iis dicere pergam, quae deinde apud noſtrates valuerunt, quaeque hodie valent, operae pretium mihi videtur in hoc loco ea interſerere, quae de poena ſtigmatis voluerunt ICti prudentiſsimi, quibus A. 1798, quum in unum coaluerant ſeptem Belgii foederati regiones, commiſsum fuit legum conficiendarum opus. In Exemplo autem, quod hi Duodecimviris obtulerunt, qui Reipublicae praeerant, poena ſtigmatis in humero infligendi admiſsa fuit, atque inter poenas corpus afficientes et infamiam irrogantes relata, ita tamen ut nunquam ſola veniret, at non, niſi fuſtigationis poenae accederet (232). In eos autem fuit conſtituta haec poena, qui tempore nocturno, vel, ſi in loco fieret ubi difficilis eſset auxilii latio ſive in laeſi ipsius domo, etiam diurno, alicui telo quodam vulnus intuliſsent (233); deinde in liberos, ſive legitimos, ſive illegitimos, qui parenti quodvis vulnus feciſsent (234); porro in eos, qui incendium comminati eſsent (235), et in eos denique, qui furtum violentum, at absque armorum uſu, perpetraviſsent (236). Praeterea in variis furti ſpeciebus (237) et in receptatorum criminibus (238) haec poena infligenda erat ſtatuta.

In Codice Criminali Hollandico, qui legis vim habuit inde a die 1 Februarii A. 1809 (239), recepta fuit poena ſtigmatis, et inter poenas acceſsorias atque

(230) *Landrecht van Drenthe* (d. d. 21 Martii A. 1712), L. IV. art. 53.

(231) Ibidem art. 54.

(232) *Ontwerp van Lyfſtraffelyk Wetboek* (in collectione edita A. 1804, cui titulus: *Stukken door de Commiſsie tot het ontwerpen van een algemeen Burgerlyk en Lyfſtraffelyk Wetboek overgegeven aan het Staatsbewind der Bataaſſche Republiek*) L. I. c. 3. art. 26.

(233) Lib. III. c. 2. art. 7.

(234) Ibid. art. 20.

(235) Lib. III. c. 6. Sect. 1. art. 17.

(236) Ibid. Sect. 3. art. 58.

(237) Ibid. Sect. 4. art. 67, 68 et 69.

(238) Ibid. art. 76.

(239) Vid. Decretum d. d. 31 Decembris A. 1808, apud Cl. KEMPER, *Inleiding voor het Crimineel Wetboek voor Holland*, p. 146 ſeq.

in catasta irrogandas relata (240), quibus poenis infamiae notam adiunxit legislator (241). Ferro candente humero delinquentis stigma imprimi iussit haec lex (242).

Satis frequens ex hoc Codice fuit huius poenae usus. In pluribus criminibus expresse praecepta fuit, uti in variis furti speciebus (243); in furto violento sive rapina (244); in criminibus repetitis eorum, qui iam antea crimen aliquod perpetraverant, ob quod ad poenam infamiam irrogantem condemnati fuerant (245); in raptu infantium (246); in demolitione operum, ad coërcendas aquarum vires exstructorum (247); in variis falsi criminis speciebus (248); in crimine falsae monetae (249); denique in criminis nefandi socios et fautores (250). Praeterea in aliis quibusdam criminibus libera iudici fuit relicta huius poenae irrogandae facultas (251).

In locum Codicis Criminalis Hollandici A. 1811 apud nos successit Codex Poenalis Gallicus, in quo recepta fuit poena stigmatis. De iis vero, quae haec lex, quod ad hancce poenam, praecipit, disputare in hoc loco non attinet, quum iam supra, ubi de Gallia fuit sermo, eiusdem Codicis de hac re constitutiones collegerim et satis late de iis disseruerim (252). Ea igitur, quaeso, exinde repetantur. Mutationes vero, quas, quod ad hanc poenam in Belgio, recentior fecit lex, hic solummodo memorasse suffecerit.

Per Decretum Serenissimi Principis, (qui hodie est Belgii Augustissimus Rex,) d. d. 11 Decembris A. 1815, qui Princeps, ante promulgatam legem de Imperio mense

(240) *Crimineel Wetboek voor Holland*, art. 32.
(241) Art. 49.
(242) Art. 34.
(243) Art. 188, 207, 208, 209, 213.
(244) Art. 220 seq.
(245) Art. 232 et 272.
(246) Art. 238 seq.
(247) Art. 243 seqq.
(248) Art. 248 seqq.
(249) Art. 295.
(250) Art. 328.
(251) Vide v. c. Art. 156, 157, 175, alios.
(252) Vid. supra p. 54 seqq.

Martio A. 1814, folus legislatoriam potestatem tenebat, mutationes quaedam sunt introductae in Codicis Poenalis Gallici, qui apud nos legis vim retinuit, constitutionibus. Hoc Decreto, quod ad nostram rem attinet, abrogata fuit poena operarum publicarum perpetua, quacum coniuncta necessario erat prostitutio publica in catasta et stigmatis inustio, et in huius poenae locum substituta fuit, aut poena fustigationis, laqueo collo induto et patibulo adfixo, inustio stigmatis, et inclusio in ergastulo per temporis spatium viginti annos non excedens, aut gladii vibratio supra caput, pro natura criminis et rerum, quae crimen fuissent concomitatae (253). Iudici igitur hodie licet in criminibus, quibus perpetuam operarum publicarum poenam posuerat C. P. G., honestiorem etiam decernere poenam, gladii nimirum supra caput vibrationis, unde rarior iam nunc est poenae stigmatis in pluribus criminibus usus (254).

Praeterea, ubi ex C. P. G. in crimine falsi, poenae, lege statutae, necessario accedere debuerit stigmatis inustio, si illa poena esset temporaria operarum publicarum vel ergastuli poena (*reclusion*) (255), ibi ex hocce Decreto istius accessoriae stigmatis poenae irrogandae facultas iudicis arbitrio fuit concessa, prout ea, quae crimen fuerint comitata, poenae vel aggravationem vel mitigationem suadeant (256).

(253) *Besluit van den Souvereinen Vorst der Vereenigde Nederlanden van den* 11 *December* 1813 n°. 1. (*Staatsblad* n°. 10) Art. 7. Cf. Doct. M. G. PAUW, Diss. Iur. Inaug. *de mutationibus in re criminali Belgica ex edicto Regis nostri diei* 11 *Decembris* 1813, (Lugd. Bat. 1825) p. 17 seqq.

(254) Cf. Doct. PAUW, l. l. p. 20.

(255) Vid. C. P. G. Art. 165.

(256) Vid. laud. Decreti art. 13. Cf. Doct. PAUW, l. l. p. 39. — Post Regis nostri constitutionem, qua Gallicae legis temperata acerbitas, et plus arbitrio iudicis fuit relictum, rarior in nostra patria stigmatis, propter falsi crimen minati, facta fuit inustio, quod iam anno 1816 observatum fuit Viro Clar. DE WAL, in annotatione ultima ad Orationem, *qua inquiritur, an turbatae reipublicae et oppressae libertatis, quae viximus, tempora iuri et iustitiae profuerint*, dictam Franequerae d. 30 Ianuarii A. 1816, quae exstat in Annal. Acad. Groning. A. 1816—1817, ibique pag. 595. [Ex laudati Decreti d. d. 11 Decembris A. 1813 articulo 11 quaestio fuit enata, an poena stigmatis, quam in repetito crimine una cum poena operarum publicarum temporaria minatus fuerat Codex Poenalis Gallicus in art. 56 al. 3, abrogata fuerit, num vero minus. Negando bis respondit Curia Suprema Hagana, Curiae Cassatoriae vice functa, in iudiciis d. d. 18 Aprilis A. 1823 et d. d. 12 Iunii A. 1824, relatis a Viro Ampl. VAN HAMELSVELD, *Verzameling van gewijsden van het Hoog Geregtshof te 's Gravenhage*, T. I. p. 413 seqq. et T. II. p. 386 seqq. Difficillima sane quaestio est. Ab una

Tenendum vero est, laudatum Decretum fuisse promulgatum, antequam regiones, quae hodie provinciarum meridionalium nomine venire solent, unum cum septentrionalibus provinciis Regnum constituebant; unde in meridionalibus provinciis legis vim non habet. Ibi itaque omnes Codicis Poenalis Gallici constitutiones, eaedemque, quas haec lex praecipit, poenae etiam hodie locum obtinent, quatenus iis non derogatum sit per Decreta de die 9 Septembris A. 1814 et de die 20 Ianuarii A. 1815. Hisce nimirum Decretis iudicum arbitrio maior in decernendis poenis fuit concessa libertas. At neque expresse abrogatae fuerunt vel mutatae C. P. G. de poena stigmatis constitutiones, neque implicite etiam eas mutatas fuisse existimandum est, uti indicavit Curia Suprema Bruxellensis, quae, vice Curiae Cassatoriae functa, die 30 Novembris A. 1816 Curiae Assessionum Antverpiae, quae contrarium indicaverat, infirmavit sententiam (257). In ea igitur Regni Belgici parte stigma adhucdum irrogatur eadem ratione atque in iisdem criminum speciebus, in quibus illud praecipit Codex Poenalis Gallicus.


Exstat nihilominus in Belgio meridionali Decretum d. d. 20 Aprilis A. 1815, quo in alia etiam delicta poena stigmatis fuit posita, simul cum aliis poenis, alternative tamen, ut videtur, adhibendis. Delicta haec sunt variae seditionis sive rebellionis species, quarum longa series enumeratur. Decretum hocce quum originem debuisset temporum rationibus, extraordinariis iis, quae Imperii Gallici eversionem proxime sequutae sunt, putaverant nonnulli, illud vim suam amisisse post sublatas rationes, quibus existentiam debuerat. At aliter legislatori

---

parte stat legis Gallicae effatum, idque satis apertum, neque expressis verbis abrogatum; ab altera militat probabilis posterioris legislatoris voluntas, et ab hocce prorsus immutata in poenis gradatio, poenarum criminalium longe aliud systhema introductum, quocum vix in consonantiam potest redigi stigmatis poenae in hoc casu irrogatio.]

(257) Vid. Consult. I. I. DRAULT, in Obs. ad L. I. Cap. I. C. P. G., quae exstant in editione, quam dedit operis Amplisf. CARNOT, *Commentaire sur le Code Pénal*, (Bruxell. 1825) T. I. p. 193 seqq. Add. C. A. D'HENRY, *Exposé des changemens opérés dans la législation pénale en Belgique depuis* 1814, (Gandavi 1824) p. 4—9, a quo tamen Curiae Antverpiensis iudicium dicitur d. d. 30 Novembris A. 1816, quo die sententiam a Curia Bruxellensi latam nuncupat Cons. DRAULT. Apud eumdem auctorem argumenta occurrunt, proposita a Procuratore Regis Generali in Curia Bruxellensi, qui Curiae Antverpiensis sententiae favebat, uti et Bruxellensis Curiae iudicium, una cum auctoris opinione, qui cum Curia Assessionum Antverpiae facit.

visum, quum per legem de die 6. Martii A. 1818 expressis verbis confirmatum fuerit prius Decretum, salvis tamen mutationibus quibusdam, quas inter iudicium de criminibus iis, quod primum penes peculiares iudices fuerat, ad ordinarios iudices relatum (258).



Hic subsistendum est in enarrando poenae stigmatis usu apud Belgas. Ex novorum Codicum confectorum sapientia et Augustissimi Regis atque Ordinum Generalium prudenti consilio constitutum iri, quisnam apud nos in posterum huius poenae futurus sit usus, exspectamus omnes. Horum laboribus annuat, in patriae salutem, Supremum Numen!

(258) Vid. D'HENRY, *Exposé*, *etc.* p. 18—29.



CAPUT SECUNDUM.

DE POENAE STIGMATIS MERITIS SECUNDUM PRAECIPUOS IURIS CRIMINALIS SCRIPTORES.

A plerisque Iuris Criminalis ſcriptoribus poena ſtigmatis refertur inter poenas *corpus afficientes*; ab aliis vero etiam inter poenas *infamantes* recenſetur (259). Hanc vero distinctionem hic morari non multum attinet; nobis tantummodo liceat poenam illam cum plerisque ſcriptoribus referre inter poenas corpus afficientes, quibus per ſe infamiam adiungit et lex et hominum opinio.

De huius poenae meritis adeo quidem disſentientes ſunt praecipui Iuris Criminalis ſcriptores, ut alii eam ab utilitate, imo necesſitate, valde commendent, alii eam plane non admittendam esſe exiſtiment; multi vero mediam viam ingrediantur, et in aliis eam admittendam cenſeant, in aliis eius uſum improbent.

Ut in exponendis iſtis, diverſis admodum, ſententiis, ordine quodam procederemus, ad aliquot generaliora capita eas exigendas esſe putavimus. Facile tamen hac ratione evenire potest, ut ſingularis aliqua ſcriptoris cuiusdam opinio occurrat, quae ſtrictisſimo ſenſu non omnino accurate ſub una aliqua inſcriptione ſubſumi posſit, at ideo certe haud ſit praetereunda. Facile etiam evenire potest, ut distinctiones a me propoſitae non ſatis accurate ſe habeant; ſed eas aliqua certe ratione defendi posſe mihi perſuaſum habeo. Praeterea in quolibet argumento pertractando ordinis cuiuslibet quaerendi necesſitas incom-

(259) Vid. v. c. SALCHOW, *Lehrbuch des gemeinen in Deutschland gültigen peinlichen Rechts*, § 159. KLEINSCHROD, *Syſtematiſche Entwickelung der Grundbegriffe und Grundwahrheiten des Peinl. R.* T. III. § 76. FEUERBACH, *Lehrbuch des Peinl. R.* § 152.

moda quaedam fere ſemper ſecum fert, quae tamen ſi non aperte incommoda ſuperent ex ordinis defectu naſcitura, prae his videntur eligenda.

§ 1.

Exponuntur Iuris Criminalis ſcriptorum ſententiae, qui poenam ſtigmatis generatim admittendam eſſe cenſent.

Primo loco memoranda venit eorum ſententia, qui poenam ſtigmatis ab utilitate vel a neceſſitate commendant. Hos inter est BRISSOT DE WARVILLE, qui, postquam plures poenas corpus afficientes, ob nimiam crudelitatem, improbaverit, ex iis poenam ſtigmatis ſervari vult. Scilicet hanc poenam ad delicta reprimenda aptam putat, absque eo quod delinquens e medio tollatur, vel quod ipsi noceatur (260). Imo hic auctor ſtigmatis inuſtionem in parte aliqua corporis, quae ſeſe oculis ſponte praebeat, infligendam eſſe exiſtimat, quum ſtigmatis inuſtionem in dorſo non ſatis efficacem habeat (261).

Plures rationes proponunt alii, quare poenam ſtigmatis admitti volunt.

---

(260) BRISSOT DE WARVILLE, *Théorie des lois criminelles*, T. I. p. 158 ſeq. „Toute peine „doit être utile et nécessaire, ou devient tyrannique. De toutes les peines corporelles il ne faut „donc conserver que celles, qui peuvent punir le coupable sans l'exterminer, et sans nuire à son individu, et qui, en le punissant, sont utiles à l'état. De ce nombre on peut mettre. . . . . la pei„ne d'être marqué au dos ou sur le front d'un fer rouge, etc."

(261) L. l. p. 318 in nota: „La marque est une peine très-usitée en France, quoique l'endroit „où on l'applique la rende à-peu-près inutile." Pars corporis autem, in qua, tempore quo BRISSOTIUS ſcripſit, inurebatur ſtigma, erat dorſum; namque iam tum in Gallia obſoleverat mos frontium inurendarum. Vide ſupra. — Alius etiam exeuntis ſaeculi praecedentis ſcriptor ſtigma in facie inurendi morem reſtitui voluit, nempe auctor anonymus in *Législation philosophique, politique et morale*, L. III. c. 2. Idem ille est, qui ſtigma infligi propoſuit, non a carnifice, ſed a chirurgo aliquo, ad id deſignato. Merito tamen clamat Ill. DE PASTORET, *Betrachtungen*, etc. P. II. c. 2. Sect. 1. (T. I. p. 203): „Das hieſse ein ehrwürdiges Gewerbe infamiren. Alle Dienſte, die ſie „der Geſellſchaft erweiſen könnten, würden die Schande, die nicht mit dem Namen und dem Stan„de des Henkers, ſondern mit den Handlungen und der Grauſamkeit dieſes Handwerks ver„bunden ist, nicht auslöſchen." — Porro hic addatur SERVIN, *Uber die peinliche Geſetzgebung*, (Norimbergi 1786) L. I. c. 2. § 3. p. 88, qui etiam ſtigma in facie inurendum in nonnullis reſtitui voluit.

Hanc poenam securitati et tranquillitati civitatis augendae quam maxime utilem esse contendunt nonnulli (262). Alii eam ideo defendunt, quia is, qui stigmate notatus fuerit, si dein novum aliquod crimen commiserit, facile posset internosci (263); quare etiam sunt, qui hanc poenam quibuscunque poenis corpus afficientibus adiungi velint (264). Est etiam, qui poenam stigmatis hanc ob causam tueatur, ut iudex, si notatus dein novum crimen perpetraverit, cum huiusmodi homine durius agat (265).

Ad iustam in poenis obtinendam gradationem perpetuam stigmatis poenam admitti voluerunt Viri Illustres, qui A. 1810 C. P. G. legislatoribus commendaverunt, ut scilicet ita medium quid adesset inter poenam mortis et poenas temporarias (266). Notam indelebilem, publice a carnifice adustam, valde efficacem dixere nonnulli ad delicta reprimenda, cum eorum ipsorum, qui poenam subeunt, tum aliorum etiam: poenam enim stigmatis, tam in delinquentem, quam in populum adspicientem, magnam exercere vim existimabant (267). Imo dixit aliquando rerum iudicialium in Gallia Minister, experientiam edocere, plures delin-

---

(262) Vid. *Observations du Tribunal Criminel d'Ain*, p. 4, in collectione, cui titulus: *Observations des Tribunaux Criminels sur le Projet de Code Criminel* (Paris A. XIII), VI Voll. in 4°. *Obss. de la Cour criminelle de la Loire*, p. 18. *Obss. du Trib. Crim. des Ardennes*, p. 2. TARGET, in *Projet de Code Criminel, avec les observations des rédacteurs, celles du Tribunal de Cassation, et le compte rendu par le Grand-Juge*, (Parisiis 1804) p. 257 seq.

(263) *Obss. du Trib. Crim. de l'Orne*, p. 16. *Obss. de la Cour Crim. de la Loire*, p. 18. TARGET, l. l. p. 258. ICti in Obss. ad art. 7 C. P. G., in *Code Pénal avec Instructions, par* DUFOUR, T. I. p. 9 seq. *Code Pénal et Motifs*, p. 5. Eodem argumento poenam stigmatis in Concilio Status Gallico tuitus fuit Amplisf. TREILHARD. Vid. CARNOT, *Commentaire sur le C. P.*, T. I. p. 99. Add. Anonymus in DAMIAN HESSEL *en zijne roofgezellen, of echte berigten van eenige gevaarlijke Roverbenden, door eenen Regterlijken Ambtenaar, uit het Hoogduitsch door* G. A. BLUSSÉ (Dordraci 1811), p. 64 seq.

(264) *Obss. de la Cour Crim. des Hautes-Pyrenées*, p. 4.

(265) CARRARD, *de la Iurisprudence Criminelle* (1785) P. I. Introd. § 9. no. 6, cuius sententiam citant CREMANI, *de Iur. Crim.*, L. I. P. II. c. 8. § 5 in nota (T. I. p. 179), et TITTMANN, *Handbuch der Strafrechtswissenschaft*, T. I. § 59. p. 114.

(266) Vid. *C. P. et Instructions*, l. l. p. 9 seq. Cf. *Obss. du Trib. Crim. de l'Hérault*, p. 2. Add. Doct. VAN ITTERSUM, Spec. laud. p. 131.

(267) *C. P. et Instr.* l. l. *Obss. du Trib. Crim. d'Orne*, p. 16. TARGET, l. l. p. 257. Anonymus D. in *Manuel des jurés* (Parisiis 1810), *Discours préliminaire*, pag. 70.

quentes, qui poenam ergaftuli vel operarum publicarum parvi faciunt, folo ftigmatis audito nomine, quod perpetuo iis foret infamiae teftimonio, horrore quodam percuti folere (268).

Poenae ftigmatis, uti et mortis poenae, aliarumque eius generis poenarum abolitionem non posfe aliis probari, nifi iis, qui focietatem civilem in theoria tantum norunt, exiftimat vir inter noftrates et eruditionis copia excellens, et experientia in criminalibus, ex munere gefto, non deftitutus, Confultisf. I. D. MEYER (269).

Est porro philofophus quidam multi nominis, qui poenam ftigmatis cum relegationis poena coniungi vult, ut internofcatur delinquens, fi forte in civitatem reverfus fuerit. Hic autem noxias fequelas, quae ex ftigmate adufto delinquenti veniant, non negat; at exiftimat, etiamfi *homo* eas recte doleat, *civem* dolere non oportere. Habet enim, uti loquitur, quod fibi imputet ipse delinquens, cui, fi cives illum in focietatem fuam admittere detrectent, fylvae erunt petendae, quod quidem probi homines facere aliquando adacti fuerunt (270). Satis profecto fingularis est haec argumentatio, neque posfum non addere, eam philofopho parum videri dignam!

Eorum, qui poenam ftigmatis a necesfitate vel ab utilitate commendant, plures eam ab obiectatione quadam defendunt, qua nota indelebilis infamiae dicitur in delinquente omnem exftinguere emendationis fpem, et obftare delinquentis in integrum reftitutioni five rehabilitationi, quae dicitur.

Ad priorem obiectationem nonnulli refpondent, fieri quidem posfe, ut unus aliquis fceleratus homo emendetur; verum quum, experientia tefte, rarum admodum hoc fit, incommoda, quae ex poena ftigmatis oriuntur, commodis, quae ex huius poenae ufu in civitatem redundant, longe fuperari dicunt (271). Neque ideo, addunt nonnulli, quia forte unus aliquis homo, qui post poenam perpesfam et emendatam vitam in civium focietatem redierit, molefto afficiatur

---

(268) *Compte rendu par le Grand-Juge*, l. l. p. 352. Eadem argumentatione ufus fuit Ampl. KLEIN in *Archiv des Criminalrechts*, T. V. P. IV. p. 99.

(269) *Esprit, origine et progrès des Institutions judiciaires*, L. VII. cap. 8. (Tom. V. p. 444).

(270) FICHTE, *Grundlage des Naturrechts*, T. II. p. 127.

(271) *Obs. de la Cour Crim. de la Loire*, p. 18. Ampl. D'HAUBERSART, in *C. P. et Inftr.* ad art. 20 (T. I. p. 30). TARGET, l. l. p. 258. Ampl. KLEIN, l. l.

fenfu ex adufta indelebili nota, improbanda est poena, qua publicae civitatis faluti bene profpicitur (272). Alii denique funt, qui putent, notam aduftam vel delinquentis emendationi proficere posfe, quum haec nota continuo ipsi vitam ante actam et emendationis necesfitatem ante oculos ponat. Si vero demum emendatus fuerit delinquens, aduftum ftigma non maiori ipsum affecturum est dolore, quam quem absque eo ex infamiae fenfu, propter publicam proftitutionem, quam fuerit pasfus, et e criminis perpetrati confcientia percipiat (273).

Ad pofteriorem etiam obiectationem, qua delinquentis post emendatam vitam in integrum reftitutioni, five rehabilitationi, obftare poenam ftigmatis nonnulli dixerunt, funt qui refpondeant, folennem rehabilitationis actum omnem infamiam aduftae notae ftatim delere (274). Praeterea, uti loquitur ICtus Gallus TARGET, eo maiori laude et honore digna erit reftitutio in integrum, quo magis ignominiofa antea fuerit conditio eius, qui reftituitur; imo eo maiorem futuram esfe putat delinquentis vere emendati apud alios exiftimationem, quo graviorem poenam pasfus fuerit (275).

Plures de poenae ftigmatis meritis fententias, quas hactenus propofuimus, a Curiis Gallicis fuerunt profectae, quibus Codicis Poenalis, quo etiam nos Belgae hodie utimur, Exemplum diiudicandum fuerat propofitum. Inter hasce vero Curias et aliae fuere, quae eam poenam non expresfe quidem argumentis allatis tuitae funt, quae tamen eam admittendam esfe cenfuerunt. Ex his nonnullae obfervationes quasdam, quod ad modum infligendi poenam, propofuere (276), aliae ipsam poenam filentio praeteriere.

Praeterea quoque omnes ii, quorum hactenus propofuimus fententias, de poena ftigmatis loquuti funt tanquam poena accesforia, qualis hodie in Europa fere ufurpari folet. Inter Curias vero Gallicas una fuit, quae hanc poenam

(272) TARGET, l. l. *Compte rendu par le Grand-Juge*, p. 352.

(273) *Obss. de la Cour Crim. de la Loire*, p. 18.

(274) *Obss. de la Cour Crim. des Hautes-Pyrenées*, p. 4.

(275) TARGET, l. l. p. 257.

(276) *Obss. du Trib. Crim. de l'Aube*, p. 2. *Obss. du Trib. Crim. d'Oise*, p. 2. *Obss. du Trib. Crim. des Pyrenées-Orientales*, p. 2. *Obss. du Trib. Crim. de Sâone et Loire*, p. 2. *Obss. du Trib. Crim. d'Yonne*, p. 10.

tanquam poenam principalem utiliter restitui posse censuit, cuius poenae damnati post adustam notam peculiari Imperantis custodiae essent mandandi (277). Huius poenae infligendae modi utilitatem argumentis non fuit tuita Curia.

§ 2.

Exponuntur eorum sententiae, qui poenam stigmatis cum perpetuis poenis utiliter coniungi censent.

Praeter eos, qui poenam stigmatis generatim probant et admittendam censent, alii etiam sunt Iuris Criminalis scriptores, qui quidem eam non cum quibuscunque poenis, sive temporariis, sive perpetuis, indistincte infligi velint, at eam tamen cum perpetuis poenis utiliter coniungi existiment. Hos inter plures quoque sunt ex iis, qui poenam eam, si cum temporariis poenis simul infligatur, variis argumentis impugnant.

Ideo igitur utiliter poenam stigmatis cum perpetua operarum publicarum sive ergastuli poena coniungi existimant, quia, qui ad huiusmodi poenas condemnati fuerint, post poenam perpessam, civium societate uti non poterunt, neque igitur eorum existimatione indigebunt; si vero forte aufugerint, adusta nota inservire poterit, ut facilius internoscantur et deprehendantur (278). Addi

(277) *Obss. de la Cour Crim. de Seine et Oise*, p. 10.

(278) *Obss. de la Cour d'Appel de Bruxelles*, p. 2. *Obss. du Trib. Crim. de l'Hérault*, p. 2. *Obss. du Trib. Crim. de Nièvre*, p. 12. *Obss. du Trib. Crim. de Rhin et Moselle*, p. 9. *Obss. du Trib. Crim. de Sambre et Meuse*, p. 23. ICtus in *Briefwisseling van eenige Regtsgeleerden over de aanstaande Nederl. Wetg.*, p. 268 seq. Anonymus B. in *Archiv des Crim. R.* T. IV. P. I. p. 83, qui adiicit: „Auch dann aber ist sie nicht eigentlich mehr Strafe, sondern nur Folge der Strafe." Idem pluribus aliis scriptoribus observatum fuit, quod tamen non recte sese habere mihi persuasum habeo. Etenim stigma, etiamsi ex lege cum perpetua aliqua poena coniunctum necessario veniat, et etiamsi ideo quidem hoc admiserit legislator, ut internoscerentur ii, qui in perpetuum e societate civium essent relegandi, poenae naturam non exuit. Scilicet est manetque malum, sensus externos afficiens, ab Imperante in legis violatores constitutum, iisque lege violata inferendum, ne lex violetur in posterum. Finis eius principalis idem est, qui cuiusvis alius poenae; at accedit finis secundarius, ut stigmate inusto facilius internoscatur delinquens. Poenae igitur requisita habet etiam

potest, quod vult doct. VAN ITTERSUM (279), delinquenti, qui perpetuum infamiae signum circumferat, pro magna parte aufugiendi voluntatem detrahi, quia, post libertatem recuperatam, in societate civium miserrima foret eius conditio.

Hisce rationibus aliam addit SODEN, ICtus Germanus, qui existimat, per poenam stigmatis, si cum perpetua ergastuli poena coniungatur, minorem futuram iri poenae mortis necessitatem. Coniunctis enim iis poenis eumdem finem attingi posse censet, quem sibi per mortis poenam legislatores proponere solent. Per utramque scilicet poenam in perpetuum e societate civili delinquentes removentur (280).

§ 3.

Exponuntur eorum sententiae, qui poenam stigmatis in criminibus repetitis adhiberi volunt.

Hoc fundamento in criminibus repetitis poenam stigmatis adhiberi volunt ICti nonnulli, quod homo, qui, postquam iam semel ob perpetratum crimen poenam fuerit passus, iterum delictum committit, eo ipso satis indicet, se emendationis non esse capacem (281); quod experientia etiam confirmari autumant (282). Homo praeterea (ita perhibent nonnulli), qui repetita vice ci-

---

stigmatis a legislatore minati iniustio, licet non nisi cum perpetua aliqua poena in civitate inferatur. — Caeterum poenam stigmatis, si admittatur, cum poena mortis tantum vel perpetua operarum publicarum poena coniunctam venire debere, existimat etiam FILANGIERI, *System der Gesetzgebung*, L. III. c. 40. (Edit. Onolsbaci 1787—1790) T. IV. p. 308.

(279) Spec. laud. p. 132.

(280) IUL. SODEN, *Geist der peinlichen Gesetzgebung Teutschlands*, T. I. § 63. p. 100 seq. Merito tamen dubitari potest, an quidem *deterrendi* vis adeo magna sit in perpetuae servitutis poena, etiamsi stigma accedat, quam in poena mortis, quae quidem lis sub iudice est.

(281) *Obss. de la Cour d'Appel de Bruxelles*, p. 3. ICtus Belga, in *Briefwisseling over de Nederl. Wetg.*, p. 269. Cf. *Obss. du Trib. Crim. d'Aveyron*, p. 28. *Obss. du Trib. Crim. de Léman*, p. 2. *Obss. du Trib. Crim. de Pô et Doire*, p. 2.

(282) *Compte rendu par le Grand-Juge*, p. 352. Ampl. D'HAUBERSART ad C. P. G. art. 20 in *C. P. et Instructions*, T. I. p. 30.

vitati iniuriam intulit, societati civili infensum adeo se comprobavit, ut iuste omnino eum in perpetuum comitetur indelebile perpetratorum criminum testimonium (283).

§ 4.

Exponuntur eorum sententiae, qui poenam stigmatis in certis quibusdam delictorum speciebus admitti volunt.

Eos inter, qui poenam stigmatis in certis quibusdam delictorum speciebus adhiberi volunt, sunt primo loco, qui generatim illam in iis delictis usui venire volunt, in quorum auctoribus necessario praesumitur animus ita depravatus, ut in iis nulla supersit emendationis spes (284).

Alii porro sunt, qui poenam stigmatis in furibus adhiberi volunt (285); porro in iis, qui mala fide in mercatura versati fuerint, et ita damna creditoribus intulerint (286). — Alii sunt, qui stigma falsi criminis reis recte infligi censent, quoniam hoc crimen non nisi praemeditato consilio committatur, et raro admodum emendationis spes in eiusmodi delinquentibus supersit (287).

Sunt denique, qui hanc poenam utiliter admodum adhiberi, imo necessariam esse, putent in delinquentibus, qui domicilium fixum non habent, et vagam

---

(283) Ita ratiocinantur ICti in *Obss. de la Cour d'Appel de Bruxelles*, l. l.

(284) *Obss. de la Cour Crim. de Jemmappe*, p. 2. D'HAUBERSART ad Art. 20. C. P. (*Code Pénal et Instr.* T. I. p. 30), alii.

(285) CALKOEN, *Verhandeling over het voorkomen en straffen der misdaden*, in operibus Societatis Batavae, cui symbolum: *Floreant liberales artes*, T. II. P. II. p. 179. *Obss. du Trib. Crim. de la Stura et du Tanaro*, p. 10, quae tamen Curia potius poenam stigmatis prorsus reiici voluit.

(286) CALKOEN, l. l. *Obss. du Trib. Crim. de l'Indre*, p. 5, quae Curia, ob delicti gravitatem, huiusmodi delinquentibus in utroque humero literas B. F. (*Banqueroutier Frauduleux*) imprimi voluit. Eadem FILANGIERII olim fuit sententia, (l. l. L. II. c. 25. T. II. p. 348), qui tamen postea, uti mox videbimus, sententiam mutandam putavit.

(287) *Obss. de la Cour d'Appel de Bruxelles*, p. 2. Etiam ICti in *Obss. du Trib. Crim. de la Stura et du Tanaro*, p. 10, si necessaria habeatur poena stigmatis ad internoscendos delinquentes animi maxime perversi, in falsariis eam poenam prae aliis adhibendam esse censuerunt. Add. *Obss. de la Cour Crim. de Jemmappe*, p. 2.

vitam agere solent (*vagebonden*). Scilicet existimant, ab eiusmodi hominibus nullam fere exspectari posse emendationem, et civitatis quam maxime interesse, eos per adustam notam ab aliis posse internosci (288).

§ 5.

Exponuntur Iuris Criminalis scriptorum argumenta adversus poenae stigmatis usum, cum poenis temporariis coniunctae.

Secundum nonnullos inter Iuris Criminalis scriptores consentaneum non est, perpetuam et indelebilem infamiae notam iis imprimere, qui ad poenam temporariam tantum condemnati sunt, itaque perpetuam admittere poenam accessoriam, ubi principalis poena tantum est temporaria, quum ea ratione tollatur iusta poenarum mensura (289). Ulterius procedit Ill. PASTORET, ubi, (hic tamen solummodo de stigmate faciei vel fronti inusto loquutus) dicit, hac ratione delinquentem, qui per aliquot tantum annos puniendus esset, in perpetuum tamen infamiae nota puniri (290).

Praecipuum quidem argumentum, quod contra poenae stigmatis usum, cum poenis temporariis coniunctae, afferunt, et in quo quamplures consentiunt, in eo est positum, quod per indelebilem eam notam emendationis spes in delinquente tollatur (291). — Delinquens, qui ad poenam temporariam condemnatus est, (ita fere ratiocinantur) post poenam perpessam in societatem civium redit. Eiusmodi homo vitam potest emendare, et bonus civis fieri. Spem fovere

(288) Ita ratiocinatur ICtus Anonymus in DAMIAN HESSEL, etc. p. 60 seqq., qui pluribus exemplis suam sententiam firmat. Auctor multum laudat constitutiones Cod. Poen. Gall. (Art. 276—282), quae rationem praescribunt, qua huiusmodi homines sint puniendi.

(289) *Obss. du Trib. d'Appel de Caën*, p. 7. *Obss. du Trib. Crim. des Alpes maritimes*, p. 2.

(290) PASTORET, P. II. c. 2. sect. 1. (T. I. p. 204), ad quem locum observat Cl. ERHARD, in nota: „Diess ist ein leichter Grund. Das Gesetz dictirt doppelte Strafe; eine auf Lebenszeit, diess ist das Brandmal; die andere auf einige Jahre, diess ist die Galeeren-Strafe. Also „würde hierinn gerade keine Ungerechtigkeit liegen, wenn sonst die Strafe nicht aus anderen Gründen unmenschlich wäre."

(291) Hoc concedunt etiam nonnulli ex iis, qui in quibusdam poenae stigmatis usum, etiam cum poenis temporariis coniunctum, defendunt, quos inter ICtus Anonymus in DAMIAN HESSEL, p. 60.

potest fore, ut aliquando facinoris ſui memoria deleatur, utque nova vitae ratione inſtituta bonam famam, qua per delictum perpetratum exciderat, recuperet. Haec vero ſpes animum delinquentis intrare nequit, qui indelebile commisſi criminis atque infamiae ſignum, corpori impresſum, perpetuo circumferat. Etiamſi enim in obtecta corporis parte ſit poſitum, uti loquitur FILANGIERIUS, continuo tamen metu agitatur inuſtus, ne detegatur infamiae nota. Sola hac cogitatione fremescit, et horrore quodam percutitur. Tale quidem opprobrium raro quis vincere potest, nec facile ad bonos mores reverti potest is, cui deficit efficacisſimum eos proſequendi incitamentum, ſpes ſcilicet bonam famam et civium exiſtimationem recuperandi (292).

Noxios exinde in civitatem etiam redundare effectus addunt nonnulli. Etenim homini, qui indelebili ſtigmatis nota inuſtus est, praeterquam quod ipsum opprimat continuo opprobrii ſenſus, fidem fere denegare ſolent cives, ipsum fugiunt, et omni ratione facile carere potest, qua victum honeſte quaerat, et qua vitam ſatis felicem ſuſtentet. Bonam famam, quaerunt illi, quomodo quis recuperare potest, cui ipsa lex in perpetuum eam adimi voluit? Civitati igitur necesſario infenſus fit eiusmodi homo, neque aliud quid ipsi ſuperest, niſi quod per nova delicta id ſibi quaerat, quod per integram vitam et bonos mores acquirere nequit (293). — Experientiam etiam edocere affirmat

---

(292) FILANGIERI, l. l. L. III. c. 40. (T. IV. p. 307 ſeqq.), qui tamen, uti generatim in calumniatores talionis iure ſaeviendum esſe praecipit, ita et his, ſi talionis ratio poſtulet, ſtigma condonari non vult. Vid. L. III. cap. 4. (T. III. p. 80). — Porro hic vid. SODEN, *Geist der peinl. Geſetzg.* T. I. p. 100 ſeqq. I. I. VAN HASSELT, *Verh. over de ſtraffen bij den Volke van Oorlog*, etc. p. 37 in nota. *Obss. de la Cour d'Appel de Bruxelles*, p. 3. *Obss. du Trib. d'Appel de Caën*, p. 7. ICtus Belga in *Briefwisſeling*, etc. p. 268. Cl. H. W. TYDEMAN, *Naſchrift op* F. W. VAN HOVEN, *Over de zedelijke verbetering der misdadigers*, (Harlemi 1824) p. 144 in fine ſeq. — Cf. etiam *Obss. du Trib. Crim. de la Charente-Inférieure*, p. 22. *Obss. du Trib. Crim. de la Nièvre*, p. 12. *Obss. du Trib. Crim. de Pas-de-Calais*, p. 1. *Obss. du Trib. Crim. de Rhin et Moselle*, p. 9. *Obss. de la Cour Crim. de la Roer*, p. 10. *Obss. de la Cour Crim. de Sambre et Meuse*, p 23. *Obss. du Trib. Crim. de la Sarthe*, p. 6.

(293) FILANGIERI, l. l. PASTORET, T. I. p. 200. SODEN, l. l. *Obss. du Trib. d'Appel de Caën*, l. l. GROLMAN, *Handbuch der Criminalrechtswisſenſchaft*, § 69 et 157. HENKE, *Handbuch des Criminalrechts und der Criminalpolitik*, § 68. SALCHOW, *Lehrbuch des Peinl. R.* § 159. CARNOT, *Comment. sur le C. P.* T. I. p. 98. Idem exiſtimare videtur Cl. DESTRIVEAUX, *Essais sur le Code Pénal*, (Leodiae 1818), *Obss. prélim.* p. 11 ubi ait: „Que l'on se garde de

Ill. PASTORET, plures ex iis, qui mortis poenam in Gallia subierint, iam antea stigmate fuisse notatos, unde apparere potest, delinquentes per hanc poenam a novis delictis deterreri non solere (294).

Praeterea, poenam stigmatis cum poenis temporariis coniungendo, suam potestatem legislatorem egredi existimant VON GLOBIG et HUSTER, quum civitas quidem possit delinquenti ius ad bonam famam adimere in suo territorio, at ius non habeat impediendi, quominus apud alius civitatis, quam non laesit, socios bona fama et integra existimatione fruatur (295).

Insuper plures ICti Galli observaverunt, delinquentium post poenam perpessam in integrum restitutioni, sive rehabilitationi, contrarium esse poenae stigmatis usum cum poenis temporariis coniunctum, neque eum in hisce cum illa restitutione in consonantiam posse perduci (296). Lex enim per delinquentis post emendatam vitam in integrum restitutionem, omnes poenae, quam subiit delinquens, effectus cessare voluit; verum in poena stigmatis impedimentum est, quominus plene effectum sortiri possit haec lex. Homo, qui stigmate inustus est, honoris stimulo agitari nequit, quum continuo sese ignominia publica affectum sentiat: praeterea ubivis e societate civium reiicietur, qualiscunque sollennitas actum restitutionis in integrum comitetur. Non igitur cum poenis temporariis

---

„prodiguer l'avilissement dans les lois pénales: la patrie a plus besoin de citoyens, que *d'esclaves de* „*peine* ou d'hommes flétris, qu'un déshonneur permanent conduit irrésistiblement au crime."

(294) PASTORET, T. I. p. 201.

(295) VON GLOBIG und HUSTER, *Abhandlung von der Criminal-Gesetzgebung*, (Tiguri 1783) p. 83 in nota: „Dies ist schon wider den Begrif der Schande, welche sich nicht ausser „den Bezirk des Staats erstrecken darf. Meine Mitbürger können mir ihre Achtung entziehen, al„lein sie können mir solche nicht bey einem andren Volk entziehen, welches ich nicht beleidiget „habe." Loquuntur hic procul dubio auctores de poena stigmatis, si cum temporaria poena veniat coniuncta; nam quum iis, qui ad perpetuas poenas damnati sint, extra civitatem eundi non sit legitima occasio, ad hos respici non potuit.

(296) Rehabilitationem, uti vocatur, admiserat Codicis Poenalis Gallici Exemplum (*Projet de Code Criminel*, Parisiis 1804) art. 1149: „Tout condamné, qui aura subi sa peine, pourra deman„der à la municipalité du lieu de son domicile une attestation, à l'effet d'être réhabilité; savoir les „condamnés aux travaux forcés à temps ou à la réclusion cinq ans après l'expiration de leur pei„ne, et les condamnés à la peine de l'infamie ou du carcan, cinq ans à compter du jour de l'exé„cution du jugement." — Eam quoque iisdem fere verbis admisit legislator in *Code d'Instruction Criminelle*, art. 619.

coniungi debet poena ſtigmatis, ſi effectum ſortitura ſit lex, quae reſtitutionem in integrum, quae rehabilitationis nomine venit, admittit (297).

§ 6.

Exponuntur eorum ſententiae, qui certos quosdam delinquentes a ſtigmatis inuſtione excipi volunt.

Sunt porro inter eos, qui de Iure Criminali ſcripſerunt, qui, ſive poenam ſtigmatis in nonnullis vel admittendam vel non admittendam cenſeant, eam tamen minus recte in certis quibusdam delinquentium perſonis adhiberi exiſtiment.

Poenam ſtigmatis in feminis duram et indecoram dixerunt ICti in Curia quadam Gallica, eamque, ſi forte necesſaria haberetur, reſtringi voluerunt ad illos caſus, in quibus appareret, eas per animi perverſitatem eiusmodi poenam promeritas fuisſe; veluti ſi furti ſocietati ſeſe adiunxerint, vel etiam ſi falſi crimen commiſerint (298).

Idem fere exiſtimat SPANGENBERG, qui eam poenam in feminis vel prorſus non admitti vult, quia haec poena, uti ait, feminis omnem adimit vitae felicitatem, vel, ſi forte necesſaria habeatur, in eorum tantum delictorum reis, quae adeo abiectum animum teſtantur, ut nulla alia poena iis reprimendis ſit idonea. Talia delicta nuncupat lenarum, proſtibulorum, cet. — In

---

(297) *Obss. du Trib. d'Appel de Caën*, p. 7. „Or la marque avec une peine temporaire offre une „sorte de contradiction avec l'espérance de la réhabilitation, et doit en détruire l'effet. Pense-„t-on qu'un homme, qui frémira à la seule idée qu'il porte sur lui l'empreinte ou le cachet ineffa-„çable de l'infamie, puisse encore sentir l'aiguillon de l'honneur! Le sentiment de sa honte le tien-„dra dans une humiliation profonde; il se croira sans cesse en butte au mépris et à l'indignation pu-„blique, et comment dans cette situation remonter aux habitudes de la vertu et aux sentimens d'es-„time de lui-même! On doit donc craindre de prodiguer une peine, qui exposerait le corps soci-„al à de nouveaux malheurs." *Obss. de la Cour d'Appel de Bruxelles*, p. 3. *Obss. du Trib. Crim. de Rhin et Moselle*, p. 9. *Obss. du Trib. Crim. de la Sarre*, p. 2. *Obss. du Trib. Crim. de Maine et Loire*, p. 3. *Obss. de la Cour Crim. du Gard*, p. 7.

(298) *Obss. de la Cour Crim. de Jemmappe*, p. 2. Add. *Obss. du Trib. Crim. de l'Escaut*, p. 5. Cf. etiam doct. VAN ITTERSUM, ſpec. laud. p. 129.

aliis vero delictis, veluti furtis minoris momenti, etiam rerum publicae vel domesticae fidei commissarum, hanc poenam omnino improbandam censet: etenim, quae hanc ob causam stigmate notata est, victum honeste quaerendi facultate fere indiget, unde ad extremum et maxime abiectum vitam sustentandi modum, ut ex corpore scilicet quaestum faciat, ipsi provolandum erit (299).

In nobilioribus poenam stigmatis, uti et alias poenas, quae infamiam irrogent, vel prorsus non, vel admodum caute, et non nisi in gravissimis delictorum speciebus, adhiberi vult MEISTER, quum huiusmodi poenae nobilioribus longe graviores cedant, quam iis, qui de plebe sint, imo illos tanto fere afficere soleant dolore, quantum vel ex poenis capitalibus perciperent. Homo enim nobilis, ait MEISTER, qui bona fama et civium existimatione exciderit, omnibus est destitutus, quibus ad vitam satis feliciter agendam indiget. Imo ad omnem delinquentis, infamiae signo notati, familiam, et totum fere ordinem, ad quem pertinet, extenditur opprobrium illud, quo unus e familia vel ordine affectus fuerit. Eiusmodi poenas e contrario parum curare solet homo de plebe, qui vel plane nulla vel exigua tantum existimationis particula privari potest, quique igitur longe minus detrimenti ac doloris ex deperdita civium existimatione atque bona fama percipiat (300).

Hic addendum quoque est, plures ex iis, qui poenam stigmatis in pluribus probent, illam tamen non admitti velle in iis criminibus, quae non ex animo depravato solent proficisci, sed quae in civitate ob publicam tranquillitatem tamen sunt punienda, qualia sunt graviores rebellionis vel seditionis species (301).

---

(299) Ita ratiocinatur SPANGENBERG, in *Neues Archiv des Crim. R.*, T. VI. P. II. p. 314 seq.

(300) G. F. MEISTER, *Ueber den Einfluss, welchen der Stand des Verbrechers auf die Strafen und das Verfahren in Straffachen hat*, in *Repertorium für das peinliche Recht*, von J. F. PLITT (Francof. ad M. 1786), T. I. p. 3 seq.

(301) In huiusmodi delicta deportationis poena in C. P. G. est constituta. Vid. art. 67, 84, 98, 124, 189, 200, 205, 206. Cum deportationis poena stigma coniunctum etiam voluerant Exempli Codicis Poenalis Gallici confectores; at a variis ICtis improbatus fuit hic poenae usus, neque in ipsum Codicem admissus. Cf. *Obs. du Trib. Crim. de la Charente-Inférieure*, p. 22, quae Curia observat, non consentaneum esse perpetuum opprobrii signum ei adfigere, qui ex ipsa lege iuribus

§ 7.

Exponuntur eorum sententiae, qui poenam stigmatis prorsus non admittendam esse existimant.

Poenam stigmatis poenarum perpetuarum odio A. 1790 reiecerant legislatores in Gallia, et ob eamdem rationem eam plures ICti reiectam volunt. Homo, aiunt, quisquis sit, post expiatum crimen vitam in melius mutare potest, neque unquam ipsi per adustum perpetuum et indelebile signum adimi debet sese emendandi facultas (302). Praeterea perpetuitatem infamiae notioni repugna-

civilibus in loco, quo deportatus sit, gaudere possit. Add. *Obss. de la Cour Crim. de Seine et Oise*, p. 10. D'HAUBERSART, in *Obss.* ad art. 20 C. P. G. in *C. P. et Instr.* T. I. p. 29.

(302) *Obss. du Trib. Crim. de la Sarre*, p. 2. Cf. etiam *Obss. du Trib. Crim. de Lozère*, p. 8. Clar. MITTERMAIER, in *Neues Archiv des Crim. R.*, T. VI. P. I. p. 19. Eadem fuisse videtur LINGUETI sententia, in *Diss. sur la peine de la marque*, quae legitur in Opere, cui titulus est: *Annales politiques*, Vol. IV. n°. 27. p. 171, qua de re haec habet BOEHMER, *Litteratur des Crim. R.* § 116. p. 712: „Der Verfasser hält diese Strafe" (das Brandmarken) „für eine Einweihung zum Laster." Ipsam vero LINGUETI Dissertationem mihi comparare non potui. Eamdem porro sententiam professus est QUISTORP, *Ausführliches Entwurf zu einem Gesetzbuch in peinlichen und Straffachen* (Lipsiae 1782) T. I. p. 64. Addatur TAILLANDIER, *Réflexions sur les lois pénales de France et d'Angleterre*, (Parisiis 1824) p. 130. Idem etiam existimat ED. LIVINGSTON, *Rapport sur le projet d'un Code Pénal, fait à l'assemblée générale de l'état de la Louisiane*, (Parisiis 1825) p. 57, cuius sententiam hic describere operae pretium videtur: „Le pilori ou carcan et autres inventions pour l'exposition pu„blique, les travaux publics ou de chaine, la flétrissure indélébile, (toujours accompagnée de pei„ne corporelle,) ainsi que la flagellation, ont tous le vice radical d'exclure le repentir ou la réfor„me, d'être inégaux, arbitraires, de n'être, à l'exception des travaux publics, que momentanés „dans leur application, et de placer le patient après l'exécution dans la triste alternative, ou de mou„rir de faim, ou de récidiver immédiatement. En conséquence, il recommence avec plus de dexté„rité la même carrière, s'associe de dignes compagnons, et met les propriétés au pillage. Il en sé„duit d'autres par l'exemple de son impunité, dans beaucoup de cas où il échappe aux recherches; „grossit la liste des condamnés, dans ceux où son adresse est déjouée; et finit enfin par devenir „un sujet propre à l'application du grand remède: *la mort*." Hisce rationibus assentitur quoque ICtus Gallus F. CARRÉ in Diario *Themis*, T. VII. p. 339, ubi ait: „Les objections que M. LIVINGSTON présente contre les punitions ordinaires, et principalement contre la *flétrissure indélébile*, ... sont frappantes par leur justesse." Totius operis censuram egit idem ICtus in Diario

re censet Nobil. VON GLOBIG, quippe quae secum ferat, quod in hominum existimatione per tractum temporis minuatur et tandem deleatur, ideoque adustionem stigmatis, quo continuo infamiae memoria in hominum animis reviviscit, improbandam putat (303).

Ob dolorem, quo corpus afficit stigmatis adustio, quae candente ferro fit, hanc poenam indignantur nonnulli, eamque admitti nolunt. Hos inter VON GLOBIG et HUSTER (304), RENAZZI (305), TITTMANN (306), et VON IAKOB (307). Poenam stigmatis humani generis dedecus nuncupat Cl. BERGK (308).

---

laud. l. l. p. 335—343, 350—360, 457—467, et de ipso auctore sic iudicat p. 341: „Tel est le plan „du travail de M. LIVINGSTON, dont le nom sera désormais placé parmi ceux des Criminalistes, „qui ont le mieux mérité du genre humain."

[Nuper etiam in consessu legislatorum civitatis Genevensis in Helvetia observatum fuit, abrogandam ideo esse poenam stigmatis, quia haec poena plane non sinit notatum unquam, etiamsi mores emendaverit, in civium societatem redire. Vid. *Bijdragen tot Regtsgeleerdheid en Wetgeving, verzameld door Mr.* C. A. DEN TEX *en Mr.* I. VAN HALL, 1826, N°. 1, p. 160. Cf. supra p. 51.]

(303) Vid. VON GLOBIG et HUSTER, *vier Zugaben zu der gekrönten Schrift von der Criminal-Gesetz-Gebung* (Aldenburgii 1785) Zweite Zugabe p. 144. Harum commentationum tres priores auctorem habent Ill. VON GLOBIG, ultima vero Ampl. HUSTER.

(304) *Abhandlung von der Criminal-Gesetz-Gebung*, p. 83 in nota.

(305) *Elem. Iur. Crim.*, L. II. c. 10. § 2. n°. 3. (T. II. p. 159), qui stigmatis adustionem poenam dicit, quae ob doloris sensum, quem parit, membrorum amputationi proxime accedit. — Adusta stigmata *nefarias turpitudinis notas* nuncupat CREMANI, *de Jure Crim.*, L. I. P. II. c. 9. § 4. (T. I. p. 194). De ipsius vero poenae meritis, nec RENAZZIUS, nec CREMANIUS de industria loquuntur; cuius quidem silentii caussa in eo videtur esse quaerenda, quod versus finem saeculi proxime elapsi in Italia fere obsoleverat poenae stigmatis usus.

(306) *Handbuch der Strafrechtswissenschaft*, T. I. § 59. p. 113 in nota.

(307) *Entwurf eines Criminal-Gesetzb. für das Russische Reich, mit Anmerkungen*, etc. p. 24 in nota, qui in poenae stigmatis locum substitui vult notarum quarundam, ferro non candente factam, impressionem (*das Tatuiren*); sic enim, ait, finis poterit attingi, quapropter stigmatis inustio inprimis fieri solet, (ut scil. delinquentes, qui ob gravia crimina condemnati fuerint, perpetuo internosci possint,) absque eo, quod ad crudeliorem stigmatis poenam recurratur. Idem quoque voluit BENTHAM, *Théorie des peines et récompenses*, T. I. p. 111. Cf. Doct. VAN ITTERSUM, spec. inaud. p. 134. Ad poenam stigmatis respicere quoque videtur LACRETELLE, *sur la reforme des lois criminelles*, in Operibus (Paris. 1823), T. III. p. 192, ubi ait: „N'est-ce pas dégrader la dignité de l'homme, que „de montrer son visage et son corps mutilés par la loi?"

(308) *Die Theorie der Gesetzgebung*, § 36. Idem existimavit Illustr. Comes LANJUINAIS, in

Inutilem porro et supervacaneam hanc poenam existimat Ill. DE PASTORET; si coniuncta veniat cum fustigatione vel operis publicis. Cum fustigatione scilicet non irroganda est eo fine, ut delinquens infamia afficiatur; namque ipsa hoc efficit fustigationis poena: neque etiam cum operarum publicarum poena coniungenda est, quoniam per se satis gravis est poena, quae hominem libertate privat, et laboribus plenam vitam ipsi constituit, quaeque insuper civitatem a malo cive tutam reddit (309).

Donec in facie imprimebatur stigma (ita loquitur idem DE PASTORET), crudelissima et inhumana erat poena. Quando vero deinceps alta voce humanitatis iura ab omni parte invocabantur, id factum fuit, quod solent facere homines: abusum limitibus quidem circumscribere, at non penitus tollere aggressi fuerunt. Res ipsa mansit, at e facie in dorsum transmissa fuit stigmatis inustio, atque hac ratione sublata quoque fuit huiusce poenae irrogationis propter publicam utilitatem excusandae facultas, quum iam, stigmatis vestigiis sese oculis non praebentibus, etiam ab utilitate, quam forte ex internoscendis delinquentibus civitas capere posset, se commendare desierit poena stigmatis (310).

Per admissam poenam stigmatis, ex Ampl. CARNOTII (311) et TAILLAN-

---

libello, cui titulus: *Traité sur la bastonnade et la flagellation:* „Toutes les tortures appelées baston„nades et flagellations, comme toutes les espèces de mutilations et de *flétrissures* corporelles, sont „dégradantes et corruptrices de la nature humaine."

(309) PASTORET, l. l. T. I. p. 201.

(310) PASTORET, l. l. Idem fere existimat STÜRZER, *Ueber die Rücksichten, die der Gesetzgeber bei Verfassung eines neuen Strafkodex zu nehmen hat* (Landshuti 1801) § 43. p. 75: „Das „Brandmarken oder Aufbrennen eines Schandzeichens werde nicht als Strafe zuerkannt. — Wird so „ein Zeichen auf einem sichtbaren Theile des Körpers eingebrannt, so zwingt es den Verbrecher, die „Gesellschaft der Menschen zu fliehen, und durch neue Verbrechen seinen Unterhalt zu suchen. „Das auf bedekte Theile des Körpers eingebrannte Schandzeichen erregt nur vorübergehenden „Schmerz, giebt keine bleibende Motive zur Besserung, und wird eigentlich als ein Mittel ange„wendet, um den Verbrecher kenntlich zu machen, wenn er sein Freiheitsgebiet, in das er zurück„verwiesen worden, neuerdings überschreiten würde."

(311) CARNOT, *Comment.* ad art. 7. n°. 11 et 12. (T. I. p. 98 seq.) ubi exemplo allato suam sententiam confirmat: „Je ne me suis jamais rappelé" (ita loquitur), sans éprouver un certain „effroi, que, dans les premières années que je suivais le barreau, le prieur d'une communauté reli„gieuse avait été *flétri*, par suite d'un arrêt du Parlement; que depuis il avait été reconnu *innocent*, „et qu'il eut le triste courage de se faire enlever toutes les chairs de l'omoplate, afin qu'il ne restat

DIERII (312) sententia, tollitur, si effectus spectentur, caussarum criminalium revidendarum facultas, et damnati, si forte eius innocentia deinde pateat, in integrum restituendi. Nulla enim adest hominum vis, quae stigmate inustum pristinae conditioni totum atque integrum reddere queat, nulla vis, quae eius corporis integritatem totam restituere valeat. — Eamdem ob rationem iuri gratiae, quod imperanti in civitate competit, per stigmatis poenam derogari existimat CARNOT, atque illicitam vim inferri. Etenim, ita loquitur, ex iure gratiae imperanti licet omnes et singulos cuiusvis poenae effectus tollere; in

---

„pas la plus legère trace de la marque, qui lui avait été si imprudemment appliquée." Cf. idem ad art. 20. n°. 3. (T. I. p. 155), ad art. 280. n°. 1. (T. II. p. 401).

(312) TAILLANDIER, *Réflexions sur les lois pénales de France et d'Angleterre*, p. 214 seqq., cuius viri verba hic cum exemplo allato describere non vanum erit opus: „Il est „deux chatimens," (ita ait) „qui anéantissent les effets de la révision: le premier c'est la mort; „. . . . . l'autre consiste dans cette marque indélébile, imprimée avec un fer chaud sur „le bras de celui qui a été condamné aux travaux forcés pour des circonstances déterminées.

„Après une condamnation qui a entrainé la marque, un hasard imprévu met l'infortuné qui a du „la supporter, à même de prouver que c'est injustement qu'il a été condamné. A quoi me servira, „s'écrie-t-il, de faire connaitre mon innocence! cruels, vous m'avez flétri à jamais! vous avez appli„qué sur mes membres une marque éternelle de réprobation; je dois perdre l'espoir de reprendre „mon rang parmi vous, puisque vous avez volontairement établi une barrière qui nous sépare pour „toujours.

„Qu'on ne crie pas que ce soit là une hypothèse qui ne puisse pas arriver. Si l'homme qui a été „marqué obtient sa réhabilitation, c'est pour ses enfans et non pour lui-même qu'il l'a sollicitée. „Ecoutons un noble Pair, qui a de si justes titres à l'admiration de ceux qui écrivent sur les lois „criminelles! écoutons-le parlant de la marque et de son caractère ineffaçable avec toute l'indignation „d'un coeur généreux: „La marque! celle de toutes les peines qui auroit du être la première abo„„lie; la plus atroce peut-être, la plus dégradante pour l'humanité, la plus opposée aux remords „„et au repentir, la plus irréparable surtout, quand la justice a eu le malheur de se tromper; car „„l'innocent dont le glaive a tranché la tête, repose au moins dans la tombe, quand le coup fatal „„lui a été porté; mais l'innocent calomnié, réhabilité, et qui reste marqué . . . . . . Mais ce „„maire d'un département du Nord, le plus probe des hommes, qu'à la suite de mon vertueux ami „„Malouet j'ai contribué à arracher du bagne des galériens, lors de ma rentrée en France, ce père „„de sept enfans devenus autant d'orphelins, ce mari veuf d'une femme tombée morte en appre„„nant la condammation de son époux, cet homme de vertu et de douleur, que de jeunes juriscon„„sultes du prétoire voulaient laisser en proie à tous les genres de supplices, *pour l'honneur de la* „„*chose jugée*, et dont au moins nous avons fait triompher l'innocence, grâce à l'intégrité courageuse

delinquentibus vero, quibus indelebilis ſtigmatis nota fuerit impreſſa, ius illud gratiae plenum effectum ſortiri non potest (313).

Hisce rationibus aliam addit Vir Ampliſſimus, quae itidem, quantum quidem ſcio, ab aliis non fuit propoſita, cuius vero vim diiudicare meum non est. Exiſtimat ſcilicet, eum, qui aduſtam ſtigmatis notam circumferat, facilius alius cuiusdam perpetrati criminis factum iri ſuſpectum, etiamſi non adſint argumenta probationis ita gravia, qualia caeteroquin ad condemnandum reum exposceret iudicantium prudentia (314). — Praeterea legislatoribus Gallis A. 1790 aſſentiri ſe fatetur, qui poenam ſtigmatis indecoram ac virtuti contrariam pronunciaverant, eamque incommoda afferre exiſtimat, quae tolli nequeant, quum vere utilis nullo modo poſſit eſſe (315).

Hisce rationibus ad poenam impugnandam quavis occaſione reverſus fuit Ampliſſ. CARNOT, quam in Codice Poenali Gallico fuiſſe admiſſam aegerrime tulit.

„„du Grand-Juge d'alors; concevez vous, Messieurs, quel tourment, quel vautour dévorait la vie „„de cet homme de bien, toujours agité, osant à peine sortir de chez lui, regardant toujours s'il „„avait dans ses poches ses lettres de réhabilitation, dans la crainte d'un mouvement, d'un acci„„dent qui pouvait faire découvrir sur l'épaule du plus honnête des hommes le signe brûlant du „„crime le plus infame?"

(*Discours prononcé par* M. DE LALLY-TOLLENDAL *dans la séance de la Chambre des Pairs du* 27 *Avril* 1819).

„Il serait impossible" (addit TAILLANDIER) „de peindre avec plus d'énergie les craintes na„turelles qui regnent constamment au fond de l'âme de l'homme qui porte sur son bras les lettres „de l'infamie, lors même qu'il a pu prouver son innocence."

(313) CARNOT, T. I. p. 98 et p. 154. T. II. p. 110 et p. 401.

(314) Ad art. 20. nº. 4. (T. I. p. 155).

(315) CARNOT ad art. 7. nº. 11. (T. I. p. 98). „L'Assemblée Constituante avait considéré l'ap„plication de la *marque* comme *immorale*, sans que dans aucun cas elle puisse être d'une *utilité réelle:* „y a-t-on bien réfléchi lorsqu'on a ressuscité cette ancienne pratique!" et alio loco (ad art. 20. nº. 3. T. I. p. 155): „La flétrissure présente en effet des inconvéniens, auxquels il est impossible „de parer, sans que jamais elle puisse être d'une *utilité* bien *réelle.*" Cf. idem T. I. Introd. p. 5.



Abſolvi itaque, quem in me ſusceperam, laborem. Quomodo vero in pertractando argumento propoſito meas res egerim, hac de re iudicium lubens ſubmitto Viris Clarisſimis, quaeſtionis auctoribus, ad quam ego hacce qualicunque disputatione reſpondere conatus fui. Quod quidem ſolum in hocce labore ſuscipiendo ſperare mihi licuit fore, ut aliquantulos in Iure Criminali progresſus facerem, hanc ſpem ſane non prorſus me fefellisſe puto.

„*Quidquid praeter ſpem eveniet*, *omne id*
„*deputabo esſe in lucro.*"
(Terentius, *Phorm.* II. 1. 21.)

MENTONIS ANTONII HENDRIKSZ,

GRONINGANI,

MEDICINAE IN ACADEMIA, QUAE GRONINGAE EST, CANDIDATI,

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM

A NOBILISSIMA FACULTATE MEDICA

ACADEMIAE GRONINGANAE

ANNO MDCCCXXV PROPOSITAM,
QUA QUAERITUR:

Primo historia diverticuli, *quod vocant, in intestino tenui brutorum non raro, in homine minus frequenter obvii.*

Deinde descriptio formationis tubi intestinalis *in embryone, quatenus faciat ad originem fabricae huius abnormis illustrandam.*

QUAE PRAEMIO ORNATA EST.

SI NON NOVA, DUMMODO VERA.

PRAEFATIO.

Si omnem corporis humani Anatomiae, subtilissime elaboratae, ambitum contemplamur, ad tantum eam hodie pervenisse perfectionis gradum animadvertimus, ut ulteriorem culturam vix admittere videatur: longe autem aliter res sese habet, quando in internam cuiuscumque organi structuram penetrare conamur; quando peculiarem modum, quo singulae partes formantur et ulterius evolvuntur, tam in statu normali, quam abnormi, cognoscere cupimus; si deinde eas, quas morbi efficere possunt, mutationes bene perspectas habere desideramus; et tandem, cuinam proprio fini quodvis organon sit destinatum, intelligere conamur; in omnibus hisce partibus multa etiamnum restare problemata conspicimus. Quamvis enim maxime miremur omnia illa, quae GALLIUS, TIEDEMANNUS, MECKELIUS, *ac plures denique alii fecerunt, tam ad diversarum partium structuram enucleandam, quam ad earum functiones rite diiudicandas, nullus tamen horum suum argumentum adeo pertractavit, ut non uberrimum adhuc reliquerit campum, ad ulteriores indagationes et perscrutationes. Aliquam partem ex hac quaestionum copia hoc anno in Academia Groningana Facultas Medica quaestione sua continuit, cum organi cuiusdam originem explicandam proposuerit, quod intimo nexu ita cohaeret cum canali Intestinali, ut, demonstrato illius ortu, et huius formatio sit enucleata. Licet haec pars,* MECKELII *praesertim opera, iam subtilissime pertractata sit, non tamen etiamnunc omnia huc spectantia talem acquisiverunt certitudinem, qua ceteroquin gloriari solet scientia Anatomica, praesertim quod ad ductum omphalo-intestinalem attinet, cuius existentiam e viris Anatomica laude celeberrimis confirmant alii, alii negant.*

Hanc rem ulteriori ſubmittere examini, propriaque inveſtigatione clariori exponere luci, ſtatim in animum induxi, ſimulac laudatam quaeſtionem propoſitam eſſe animadverti. At vero humanis conſiliis quid vanius! Temporis enim brevitas obſtabat, quominus foetus primae originis debita copia acquirerem; impedimentis praeterea pluribus, imo inexſpectatis multis, distracto, vix mihi tempus ſupererat, quo, quae in illo argumento praeſtiterint alii, colligerem. Utinam olim faveat otium, ut, quod nunc incepimus tantum, abſolvamus! In praeſentia itaque vos, in Academiae Groninganae Facultate Medica viri clariſſimi! non dedignemini, velim, conamina iuvenis, cui defuerunt et tempus et copia ſufficiens iis ad finem perducendis, quae incepiſſet.

Quod ad huius opuſculi pertractationem attinet, ſequentia monenda ſunt. Ut rite abſolverem diverticulorum hiſtoriam, ſingularum obſervationum deſcriptionem utilitate non eſſe deſtitutam, perſuaſum mihi habui; hanc autem difficultate ſua non carere, expertus ſum: inſignem enim harum obſervationum numerum; magnamque ſaepe alius cum alia convenientiam, tam ſterilem redditura eſſe lectionem exiſtimabam, ut aliquamdiu dubius haeſitarem, utrum eas obſervationes admitterem, nec ne; placuit tandem admittere. Ex iis autem obſervationibus eas tantum ſelegi, quae diverticula vera exhibebant, reliquae enim ad propoſitum meum minus pertinere videbantur.

Theoria WOLFIANA *propter difficultatem obſcuritatis accuſatur, qua tamen revera non laborat, licet non negandum ſit, ipsam rem ſignificandam aegre admodum ratione ſatis dilucida exponi poſſe; in eius autem expoſitione eas tantum attigi partes, quae continuo ad ipsam tubi inteſtinalis formationem pertinent; reliquas ſilentio praeterii, quaeque commemoravi, de iis non omnes reddidi ſubtilitates, quas ipse continet egregius* WOLFII *tractatus, ſimpliciſſima tantum ratione cuncta proponere ſtudens.*

Tandem haud incongruum erit monere, nonnullas ex meis ipsius de Diverticulis obſervationes, omnesque illorum delineationes, post abſolutam demum, et praemio iam ornatam commentationem, ſuffragante Facultate, adiectas eſſe.



COMMENTATIONIS DISTRIBUTIO.

PARS PRIMA.

Historia diverticuli, *quod vocant, in intestino tenui brutorum non raro, in homine minus frequenter, obvii.*

CAPUT I.

DIVERTICULORUM CONSIDERATIO GENERALIS.

§ 1.

Definitio.

§ 2.

Synonyma.

§ 3.

Divisio.

§ 4.

Natura.

§ 5.

Origo.

CAPUT II.

DIVERTICULORUM HISTORIA LITERARIA.

§ 1.

Diverticula in homine obſervata.

§ 2.

Diverticula in animalibus obſervata.

§ 3.

Opiniones de Diverticulorum origine.

CAPUT III.

DIVERTICULORUM CONSIDERATIO SPECIALIS.

§ 1.

Conſtitutio huius loci.

§ 2.

Structura.

§ 3.

Sedes in inteſtino.

§ 4.

Numerus.

§ 5.

Inſertio in inteſtinum.

§ 6.

Longitudo.

§ 7.

Capacitas.

§ 8.

Figura.

§ 9.

Diverticula ſunt vitia primae formationis.

§ 10.

Concurſus cum aliis vitiis.

PARS SECUNDA.

Descriptio formationis tubi intestinalis *in embryone, quatenus faciat ad originem diverticulorum illustrandam.*



PARS PRIMA.

Historia* diverticuli, *quod vocant, in intestino tenui brutorum non raro, in homine minus frequenter obvii.

CAPUT PRIMUM.

DIVERTICULORUM CONSIDERATIO GENERALIS.

§ 1.

Definitio.

Omnes, quotquot reperiuntur, praeternaturales in tractu inteftinorum propagines cavae, altero fine claufae, altero in inteftini cavitate hiantes, *diverticula* (*a*) vocantur (*b*).

(*a*) Primus RUISCHIUS organo tali ***diverticuli*** nomen impofuit.

(*b*) Hancce definitionem ne logicae feveritati fubiiciatis, precor; ab ea enim excipiatis velim ***inteftinum vermiforme aut coecum duplicatum***, quae, licet raro admodum, nonnunquam tamen funt obfervata; cum autem tantae in diverticulis occurrant varietates, unde eorum notio tam generalis evadit, et tanta fit interdum eorum cum ***inteftino vermiformi*** aut ***coeco duplicato*** convenientia, nullum invenire mihi contigit criterium, quo ab his illa in definitione diftinguerem.

§ 2.

Synonyma.

Non omnibus, qui de hocce organo abnormi mentionem fecerunt, auctoribus a nobis assumta arrisit denominatio, sed multis *processus* aut *appendicis*, singulis *prolapsus*, *processus vermicularis extraordinarii* aut *secundi coeci* nomen placuisse invenimus. Et *processum* (*a*) quidem, cum secundum SLEVOGTIUM dicatur: „quidquid secundum naturam extra alicuius partis corporis no„stri superficiem prominet et quasi procedit, eiusdemque cum ea substantiae „est, nec per intervenientem aliam materiam ipsi annectitur" (1), haud incongrue et istud nominares organon, nisi potissimum, uti ex laudata definitione patet, ad partes respiceret *naturales*; naturalem autem intestinorum hancce prolongationem dicere non possumus, siquidem adeo est rara, ut multi, strenui licet, Anatomici eam vix semel aut iterum invenerint; quare facile illam agnoscimus conditionem, quae a statu normali deflectit. Praeterea et plures corporis nostri partes, tam durae, quam molles, Processus nomine insigniuntur, unde terminus ille vix aliquid habet characteristicum. Nec magis vox *appendix* nobis placet; ea enim significari videtur pars reliquis addita atque appensa, Diverticula autem ex ipsa Tubi Intestinalis substantia emergunt.

Vocabulum *prolapsus*, quo VAN DOEVEREN Diverticulum, a se descriptum, denominavit (2), si sola *spuria diverticula* significat, probamus; sin vero ad *vera* quoque refertur, non admittimus.

VERHEYEN *processus vermicularis extraordinarii* nomen adhibuit (3); plerumque autem, quod ad habitum externum, fere nulla est diverticulum inter et processum vermiformem similitudo; quod vero ad utriusque originem attinet, longe inter se differunt, ut vocabulum hocce recte ineptum dicas, quemad-

---

(*a*) Vocabulum hocce Graeco nomine ἐκφύσις dicitur a MEIBOMIO.

(1) *De processibus cerebri mammil.* in A. HALLERI *Disput. Anat. Sel.* T. II. p. 853.

(2) VAN DOEVEREN, *Spec. Obs. Acad.* p. 79.

(3) VERHEYEN, *Corp. hum. anat.* in explicatione Tab. VI. fig. 3.

modum et ex sequentibus observatoribus nemo hanc retinuit denominationem. Eadem etiam de FANTONIS *secundo coeco* (1) valent.

Diverticulum autem, sive locus, quo Tubi Alimentaris contenta in itinere suo per intestina a recta via seorsum deflectunt et aliquamdiu morantur, tam accommodate exprimit genuinam rei indolem, organumque hoc adeo ab omnibus aliis distinguit, ut cum hac sua significatione, tam auctoritate, quam usu recentioribus praesertim accepit temporibus, ceteris denominationibus facile palmam praeripiat.

§ 3.

Divisio.

Omnes illae intestinorum prolongationes, in definitione expositae, ad triplicem ordinem redigi possunt; ad *diverticula vera*, *spuria* sive *falsa* et *mixta*.

Diverticula vera et *spuria*, tam natura, quam ortu, a se invicem differunt. Haec figura rotunda sive globosa, basi quodammodo contracta; illa cylindrica aut conica forma gaudent. Haec tantum e tunica peritoneali, vasculosa et cellulosa; illa ex omnibus intestini tunicis constant. Haec ubique in toto intestinorum tractu, a pharynge ad anum usque, occurrunt; illa Ileo tantum intestino sunt adstricta. Haec vulgo numero plura; illa semper singularia sunt. Haec plerumque post nativitatem demum oboriuntur; illa semper connata, a prima adumbratione originem suam repetunt.

Diverticula mixta utramque speciem coniungunt; tunc enim adesse dicuntur, quando diverticulo vero spurium est impositum.

§ 4.

Natura.

Cum tot tantaeque sint notae, quibus diverticulum verum a spurio distingui-

(1) A. HALLERI, *El. Physiol.* T. VII. p. 96.

tur, non potest non, quin omnium harum diverſitatum fons (internam dico eorum naturam) in utroque etiam admodum diverſus eſſe debeat.

Diverticula *ſpuria* efficiuntur tunicae inteſtinalis, mucoſae et celluloſae per musculoſam prolapsu, a conditione quadam morboſa producto, quo maioris minorisve capacitatis ſacculus formatur.

Diverticula *vera* ſunt ipsius tubi inteſtinalis haud mutatae productiones.

Diverticula *ſpuria* conditionem morboſam; diverticula *vera* formationis normalis aberrationem conſtituunt.

§ 5.

Origo.

Spuriorum Diverticulorum, uti quorumcumque morborum cauſae, in *occaſionales* et *disponentes* dividi posſunt.

Ad *cauſas occaſionales* omnia ea referri merentur, quae tanta vi in Tunicas inteſtinales agunt, ut fibrarum cohaeſiones inde labefiant, uti v. c. materia contenta, quantitate aut qualitate peccans, ſpasmi, caet.

Cauſae disponentes omnes cenſendae ſunt conditiones morboſae, quae Tunicarum inteſtinalium firmitate, elaſticitate, tenacitate, aut cohaeſione diminutis cernuntur, ſuntque iterum aut *univerſales*, quae integrum tractum inteſtinorum vel magnam eius partem occupant, aut *locales*, quae uno alterove tantum loco ſunt adſtrictae: ad hasce pertinent disruptio fibrarum, ulcuscula, gangraena localis incipiens, caet., ad illas, debilitas aut laxitas tunicarum univerſalis. Si cauſa topica est, diverticula, uti per ſe patet, ea in inteſtini parte oriuntur, in qua ipsa cauſa ſeſe offert; contra, ſi cauſa adest univerſalis, potisſimum iuxta Meſenterii in inteſtinum inſertionem oriuntur. Canalis enim inteſtinalis paries poſterior tunica Peritoneali (quae, ratione habita ſubtilitatis, inſigni gaudet firmitate) pro parte deſtitutus est; laminae quippe Meſenterii priusquam inteſtinum involvunt, non proxime ſibimet adiacent, ſed ſpatium quoddam inter ſe relinquunt; tela praeterea celluloſa, tunicam peritonealem cum musculoſa coniungens, multo laxior est in latere inteſtini, cui Meſenterium adhaeret, quam in reliquo eius ambitu; unde, caeteris paribus, hicce loci inteſtinum minimam praebet in faeces urgentes reſiſtentiam, atque expandi facilius potest.

Ponamus iam, tunicae mufcularis adesfe debilitatem, five univerfalem, five topicam, ac faeces duras et conftipatas, motu periftaltico aliisque protrutrufas, incumbere inteftini parietibus, tunc graciles eorum fibrae, morbo laxatae, materiae prementi refiftere nequeunt, fed fenfim a fe invicem discedunt, unde fpatium magis minusve extenfum nascitur, fibris mufcularibus deftitutum, quorfum, quia caufa continuat, tunicae intimae, fatis expanfiles, mox pelluntur, atque fic pedetentim tuberculum, maioris minorisve capacitatis, e tunica mucofa, cellulofa et peritoneali conftans, formatur, quod, cum fibrae ad eius bafin fe collegerint, in hac plerumque quodammodo est coarctatum (§ 3). Si caufa fuit topica, unicum tale tuberculum enascitur; fin vero fuit univerfalis, plura oriuntur diverticula, et quidem potisfimum iuxta Mefenterii infertionem.

De Verorum Diverticulorum origine, e prima inteftinorum formatione pendente, deinde, quando de hac acturi fumus, fententiam, nobis maxime probabilem, tradere conabimur.

Cum ubicumque in toto tubo inteftinali diverticula fpuria oriri posfint, ita haec etiam in diverticulo vero, ipsius inteftini prolongatione haud mutata, eadem ratione, qua mox expofuimus, exfiftere posfunt, atque haec diverticuli fpurii in vero fedes *diverticulum mixtum* conftituit.

Confideratis iam diverticulorum fpuriorum characteribus, natura et origine, non est, quod ea ulterius moremur; ad noftrum enim propofitum non facere credimus, nifi quatenus valeant ad ipsorum diverticulorum verorum genuinam indolem dilucidius exponendam.

CAPUT SECUNDUM.

DIVERTICULORUM HISTORIA LITERARIA.

§ 1.

Diverticula in homine obſervata.

Non incongruum fore duximus, quo accuratius diverticulorum luſtremus hiſtoriam, brevem ſingularum obſervationum deſcriptionem ordine chronologico proponere; tali enim via, quamvis nec breviſſima, nec iucundiſſima, tamen certius diſtinguere poterimus, num diverticula, ab auctoribus memorata, ad *vera*, num potius ad *ſpuria* ſint referenda; praeterea inde facilius proprietates eorum eſſentiales a fortuitis dignoſcemus, atque tandem de genuina eorum indole ideam magis adaequatam nobis proponere poterimus.

N°. I. MEIBOMIUS ſequenti modo de Diverticulo, a ſe obſervato, loquitur. „In Inteſtino Ileo, non longe ab eius cum craſſis connexu, ἐκφύσις quaedam „triangularis comparebat, aliquot digitorum longitudine et craſſitie" (1).

N°. II. RUYSCH, qui pluries Ilei diverticula obſervavit, haec deſcripſit et figuris expreſſit in diverſis operibus (2). In Theſauris duo delineavit, quae ad diverticula mixta referres, tuberculis inſignita, in antico inteſtini latere, dum latus poſterius impreſſione aliqua notatum erat.

(1) HENR. MEIBOMII *de vaſis palpebrarum novis Epiſtola.* Helmſt. 1666, itidem in luculentorum quatuor Opuſculorum Anatomicorum Faſciculo. Lugd. Bat. 1723. p. 128.

(2) FRED. RUYSCHII, Theſ. Anat. 7us. N°. XV. Tab. IV. Fig. II, III. Obſerv. Anat. Chirurg. Pag. 63. Fig. 3. Muſeum Anat. Thec. C. Repoſ. III. N°. II.

N°. III. De Litre (1) in cadavere viri 48 annorum herniam inguinalem finiftram obfervavit, omnino a diverticulo formatam. Ab Ilei fcilicet parte, Mefenterio oppofita, per annulum abdominalem usque ad fcroti fundum defcendebat canalis membranaceus, 4 poll. longitudine, figura conoïdea, in parte fuperiore (prope inteftinum) 1 poll. 4 lin., in parte oppofita, inferiore, 2 poll. latitudine. Extremitas fuperior, ob fitum in annulo ad latera compresfa, in Ilei cavitate fefe aperiebat; extremitas inferior ampla erat, claufa atque rotunda, in eaque obfervabantur duo tubercula globofa, alterum in latere dextro, in finiftro alterum, utrumque diametro fere 4 lin. Parietes canalis huius membranacei admodum erant tenues, ut nec fibrae mufculares nec glandulae in eo detegerentur; tantum nonnulla aderant vafcula, quae tamen etiam erant tam fubtilia, ut vix in fenfus caderent.

Maxima differentia inter appendicem hancce et procesfum vermiformem Litrio argumentum videbatur, originem illius non a prima formatione esfe deducendam; quod fi vitium esfet connatum, haud fe intelligere posfe teftatur, quomodo portio inteftini, multo liberius quam ipse canalis inteftinalis in vafta abdominis cavitate fluctuans, penetrare posfit annulum abdominalem, fisfuram tam munitam.

Praeterea fimilis obfervationis (2) mentionem facit in homine, qui correptus fuerat hernia inguinali dextra, appendicem continente glabram, figurae conicae, cuius bafis ad inteftinum vergebat. Paululum infra annulum Abdominalem Appendix illa in parte antica et poftica erat compresfa, fortasfis a perizomate, quo per duos annos ufus fuerat homo. Procesfus hicce, 3 poll. 8 lin. longitudine, in principio 1 poll. 2 lin., in fine 10 lin. latitudine erat.

Narrat idem, fimilem fe iam vidisfe inteftinorum conditionem, priusquam duas iftas fecisfet obfervationes.

Horum diverticulorum originem inde explicat Litrius, quod pars aliqua inteftini lateris anterioris, in annulo abdominali contenta atque retenta, fenfim prolongata fuerit.

---

(1) De Litre, *Observation sur une nouvelle espèce de hernies. Memoir. de l'Acad. Roy. des Sc. Ann.* 1700. *Sec. Ed. Paris* 1761, pag. 300 feq. cum adiecta diverticuli delineatione.

(2) Litrius, l. c. p. 303.

N°. IV. MERY (1) in cadaveris hernia ſcrotali dextra diverticulum obſervavit, 2 vel 3 poll. long., 1 poll. ampl. Proceſſus huius cavitas cum Ilei cavo coibat, membranae autem multo erant craſſiores, quam Ilei tunicae, vaſa magis turgida, ut rubro brunneo colore gauderet diverticulum; pars quoque inteſtini, in facco herniae contenta, multo erat craſſior, quam reliquum Ileum.

Eandem ac LITRIUS de diverticuli origine MERYUS quoque fovet ſententiam (2).

Obſervavit praeterea in acephalo duos proceſſus vermiformes, quibus in parte ſuperiore terminabatur canalis inteſtinalis (3).

N°. V. VERHEYEN diverticulum in infimo Ileo delineavit, quod vocavit *proceſſum vermicularem extraordinarium* (4).

N°. VI. SCHRÖCKIUS (5) in Ileo iuvenis 12 annorum, qui iam per quadriennium vermibus vexatus fuerat, non procul a coeco invenit tres tumores membranoſos, per longitudinem inteſtini proxime ſe contingentes, eiusdemque fere cum membranis inteſtinalibus craſſitiei; horum primus et tertius ea erant capacitate, ut mediocrem nucem iuglandem recipere potuiſſent, medius vero paullo minor extiterat; aperturae autem ſingulorum in cavitate inteſtini ad pollicis amplitudinem hiabant. Praeterea in ventriculo huius cadaveris aderant tumores ſcirrhoſi, unde coniicit SCHRÖCKIUS, initio Ileum quoque occupaſſe tales tumores, qui, a vermibus (in iis enatis) verſus inteſtini cavum eroſi, transeuntibus faecibus receptaculum praebuiſſent, a quibus ſenſim magis magisque in iſtam amplitudinem dilatati eſſent.

N°. VII. Ab Anonymo ex obſervatoribus Vratislavienſibus (6) narratur, ſe

---

(1) MERY, *Obſervat. ſur les hernies*, in *Mem. de l'Acad. Roy. des Sc. An.* 1701. *Sec. Ed. Paris* 1743. *Première Obſerv.* pag. 274 ſeq.

(2) MERY, l. c. p. 275.

(3) Idem *Obſerv. faites ſur un foetus humain monstreux et proposée a l'Acad.*, in *Mem. de l'Acad. Roy. des Sc. Ann.* 1720. *Paris* 1722. p. 10.

(4) PHIL. VERHEYEN *corporis human. Anat.* Edit. Sec. Bruxel. 1710. Lib. I. Tract. II. Cap. XI. pag. 61. Tab. VI. Fig. 3.

(5) LUC. SCHRÖCKIUS, *ſaecul. in inteſtino Ileo.* Acad. Caeſ. Leop. Carol. Nat. Cur. Ephemer. Cent. VIII. Norimb. 1719. Obſerv. 50. pag. 331 ſeq.

(6) *Von einem Diverticulo, ſo man an dem Inteſtino Ileo eines zweyjährigen Schweines gefunden. Sammlung von Natur- u. Medic. Geſchichten von einigen Acad. Nat. Cur. in Breslau anno* 1721. 17 *Verſuch. Leipzig* 1723. p. 540 ſeq.

aliquando vidisse Diverticulum in Ileo figurae quadriangularis, cum quatuor apicibus eminentibus, ita ut extremitas eius inferior superiore multo esset amplior. Nulla detegi poterat differentia inter appendicis huius et intestini tunicas; quando intestinum per aërem extendebatur, et illa extendebatur.

Nullum auctori huic superest dubium, quin e lenta dilatatione per faeces oriantur Ilei diverticula; attamen ei tanquam causa primaria admodum SCHRÖCKII de vermibus arridet sententia, praesertim cum et ipse bis inter intestini tunicas latentia vermium capita invenerit.

N°. VIII. ZWINGERUS (1) descripsit appendicem praeternaturalem, quam et depinxit, ex infante paucis a partu diebus exstincto, magnitudine et figura ad uvulam hominis adulti accedentem, extremo altero convexam et clausam, media parte cylindricam, intus cavam, altero autem extremo orbicularem, apertam, lateraliter inosculatione lata cohaerentem cum Ileo, 10 circiter poll. a suo fine.

N°. IX. SCHULZE (2) quando dissecabat puellam, cum hernia umbilicali aliisque a statu normali aberrationibus natam et statim post partum mortuam, in Ileo, quatuor latos poll. a coeco, appendicem invenit praeternaturalem, digiti annularis extremum articulum longitudine aequantem, in basi sua Intestinuli ipsius latitudinem bis superantem, sed continuo in apicem acutam exeuntem, quam glandulosa quaedam papilla quasi coronabat.

N°. X. HUNAULD (3) in iuvene appendicem observavit, tali directione in Ileo positam, ut orificium ad inferiora, fundus autem ad superiora vergeret. Processus hicce ad Mesenterii insertionem situs, 4 poll. longus, in apicem desinebat et per totam suam longitudinem glandulis, versus orificium haud ita confertim positis, obsessus erat.

---

(1) IOH. RUD. ZWINGERUS, *Appendix praeternaturalis coeca intestini Ilei.* Acta Physs. Med. Acad. Caes. Leop. Carol. Nat. Cur. Vol. I. Norimb. 1727. Obs. LXXXII. pag. 157. Tab. IV. Fig. 6. *a.*

(2) IOH. HENR. SCHULZE, *Observ. Anat. exhibens sectionem puellae cum hernia umbilicali natae et statim post partum mortuae.* Act. Phys. Med. Nat. Cur. Vol. I. Norimb. 1727. Observ. 226. p. 503 seq.

(3) *Histoire de l'Acad. Roy. des Sc. An.* 1732. *Paris* 1735. *Observat. Anatomiq.* II. p. 29.

N°. XI. Weitbrecht (1) descripsit et delineavit diverticulum in Ileo feminae 24 annorum, latam manum a coeco insertum, longitudine duorum poll., diametro 1 poll. aequali, capacitate ubique eadem. In fine duo erant tubercula, itidem cava, quasi duo cornua. Adiicit hicce auctor, non haberi potuisse illud Diverticulum pro aliqua Ilei dilatatione, saccum formante, siquidem suis propriis fibris motricibus erat praeditum.

N°. XII. Amyand in hernia scrotali militis, post mortem, Ilei invenit appendicem, 6 circiter poll. longam, eiusdem fere atque Intestinum, e quo nascebatur, diametri, ad orificium autem aliquanto angustiorem, quam in reliqua sua longitudine. Parietes eius nonnihil tenuiores reperiebantur, quam tunicae Intestini, cum quo caetero habitu omnino conveniebat diverticulum (2).

Praeterea in puero 10 annorum Ilei appendicem observavit, 3 poll. longam, eadem dimensione cum Intestino, cui ad angulum acutum ita adhaerebat, ut cum Intestini parte, supra se posita, eadem directione decurreret. Haecce appendix, nullo Mesenterio instructa, libere in cavo Abdominis fluctuabat (3).

N°. XIII. Walther, cum secaret cadaver viri 60 annorum, herniam inguinalem dextram invenit, efformatam ab Ilei diverticulo, quod medium digitum longitudine et crassitie referebat (4).

N°. XIV. Schlichting (5) diverticulum delineavit, cuius sequenti ratione mentionem facit: „In iuvene 20 annorum obvius factus est mihi pecu„liaris Ileo adnatus Processus, 5 spithamarum longitudine a coeco remotus, „amplitudine Ileum ipsum, longitudine duos pollices aequabat, parumper in„curvus, intus cavus." Cum praeterea bis ab eo diverticulum quoque in her-

(1) Ios. weitbrecht, *Observationes Anatomicae. Comment. Acad. Scient. Imp. Petropol.* T. IV. *Petropoli* 1735. p. 263. Tab. XXIV. *d.*

(2) *Philosophical Transactions for the Jears* 1735, 1736. *Observation I.* p. 336.

(3) *Of an Iliac Passion, occasioned by an Appendix in the Ilion. By the late* claudius amyand. *Philosoph. Transact. for the Jear* 1745. p. 369.

(4) Aug. fredr. walther, *Programma de Aneurismate.* Lipsiae 1738. In Halleri Disput. Chirurg. Select. Tom. V. Lausannae 1756. N°. CXXXVII. p. 191.

(5) Ioh. sam. schlichting, *Ilei Intestini praeternaturalis Processus, novi instar coeci, in bubonocele obertus.* Act. Phys. Med. Nat. Cur. Vol. VI. Norimb. 1742. Observ. XXI. p. 105 seq. Tab. II. Fig. I. *c.*

nia incarcerata obſervatum fuerit, de eorum origine LITRII ſententiae adſtipulatur.

N°. XV. GUNZIUS (1) narrat, ſe ſex Ilei Diverticula inveniſſe, quorum duo minora in eodem inteſtino; duo ſatis magna, (quorum alterum 4 uncias longum); omnia in Ileo fuerunt. Duo erant, quae non parallelum quidem ſitum habebant, angulum tamen ſatis acutum formabant parvo quaſi Meſenterio intercedente.

N°. XVI. BONAZZOLIUS (2) diverticulum obſervavit in Ileo, 6 digitos transverſos ſupra eius finem, unciam unam longum, aeque ut inteſtinum latum, orificio valvula ſemilunari inſtructo. Diverticula ea, quae quater auctor iſte obſervavit, in cadaveribus maniacorum aderant.

N°. XVII. DELIUS in Amoenitatibus ſuis (3) Ilei diverticulum depinxit, et alio loco (4) exemplum memoriae prodidit diverticuli, in melancholica femina obſervati, interque binas valvulas conniventes verſus Meſenterium poſiti; in eadem femina ventriculum etiam invenit bilocularem.

Cum nulla appareret cauſa occaſionalis, qua organon illud abnorme produci potuiſſet, diverticulum fuiſſe connatum, ſucceſſu temporis tantum magis elongatum, concludit.

N°. XVIII. HEUERMANN (5) ſe pluries in Tenui Inteſtino parvas appendices, digitum longas, ſemel autem unam, in Colo Transverſo (6) 3 poll. longam, et Inteſtini Tenuis capacitatem referentem, obſervaſſe teſtatur.

N°. XIX. MOSCATI (7) in viro 53 annorum Ileum eo loco, qui 2½ pedes ab illius fine diſtat, in duos ramos viſum ſe inveniſſe narrat, quorum alterum inſignio-

---

(1) IUST. GODOFR. GUNZII, *Obſerv. Anat. Chirurg. de Herniis* Lipſ. 1744. Cap. I. pag. 6. Nota *e*.

(2) Commentarii *de Bononienſi ſcient. et artium inſtituto atque Academia* T. II. p. 1. Bononiae 1745. p. 141.

(3) HENR. FRED. DELIUS, *Amoenitates medicae*. Dec. II. Lipſiae 1745. § 8. p. 93 ſeq. Fig. 2.

(4) DELIUS *de diverticulo Ilei et ventriculo biloculari*. Nova Acta Phyſ. Med. Nat. Cur. T. VI. Obſ. III. p. 2. Norinb. 1778.

(5) GEORG HEUERMANN, *Phyſiologie* Th. III. Koppenhagen, Leipzig 1753. Cap. 36. § 1103. pag. 59.

(6) Per errorem typographicum hic *in Coeco Transverſo* pro *in Colo Transverſo* legimus.

(7) MOSCATI, *Observations sur un etranglement particulier d'intestin. Memoir. de l'Acad. Roy. de Chirurg.* T. III. Paris 1757. p. 468. Pl. XXI.

rem, canalisque inteſtinalis continuationem, alterum minorem, 5 fere poll. lorgum.

N°. XX. Tam in Adverſariis ſuis Anatomicis, quam in opere illo de Sedd. et Cauſſ. morb. diverticulorum mentionem fecit MORGAGNI; in Adverſariis quidem (1), ad poſticum Recti parietem; tribus fere digitis ſupra anum, in cadavere mulieris, quae nullo unquam affectu, ad eum locum pertinente, laboraverat, cellulam ſe inveniſſe narrat, minoris ficus magnitudine, ex eadem atque inteſtinum ſubſtantia, tunica interna laeviſſima, et orificio, reliquae cavitati ferme aequali, cum eiusdem inteſtini tubo communicantem. In libro autem de ſedd. et cauſſ. morb. (2) unum deſcripſit diverticulum e vetula, eadem atque ipsum inteſtinum parietum ſubſtantia ac craſſitie, ex Ileo, qua propius colo erat quam ieiuno, ad perpendiculum pendens; alterum ex Ileo laniarii, 40 annorum, haemisphaericum et contra Meſenterii inſertionem poſitum, ubi (ad Meſenterii inſertionem) Ileum ita ſe flectebat, ut angulum faceret, vel abſciſſo Meſenterio perſtantem; ſemel et in Duodeno (3) viri apoplectici, duobus fere digitis infra Pylorum, cellulam conſpexit non multum extuberantem, orificio digitum admittentem, nulla cinctam tunica, praeter quam extima.

Diverticula aut ſenſim praeter naturam produci, aut a prima origine quibusdam corporibus eſſe data, ſtatuit MORGAGNI (4).

N°. XXI. VAN DOEVEREN in cadavere feminae, annos circiter 40 natae, nonnunquam colicis doloribus afflictae (5), ad diſtantiam circiter ulnae a Coeco, in Ilei parte Meſenterio oppoſita, diverticulum obſervavit ſacciforme, amplo orificio cum inteſtino communicans, 4 poll. longum, eadem fere qua inteſtinum capacitate, in principio tamen quodammodo coarctatum, dein ex colli ſpecie in ſaccum ampliorem, indeque in finem ſive extremum tenuius et coecum terminatum, amplo orificio cum inteſtini cavo communicans. Ab eius coeco

(1) IOH. BAPT. MORGAGNI, *Adverſar. Anatom.* 3. Animadverſ. 5. p. 69. Venet. 1762.

(2) *De ſedd. et cauſſ. morb.* Lib. III. Ep. XXXIV. Art. XVI.

(3) Ibid. Art. XVII.

(4) Ibid. Art. XVI.

(5) GUALT. VAN DOEVEREN, *Paſſio Iliaca ſubito lethalis, a mirabili Inteſtini Ilei incarceratione interna; eiusque membranarum prolapsus valde ſingularis*, Spec. Obſervat. Acad. Groning. et Lugd. Bat. 1765. Cap. 5. § 4 ſeq. pag. 79 ſeq. Invenitur et deſcriptio haec una cum diverticuli delineatione in Sandifort. Muſei Anatom. Vol. I. Sect. III. p. 121. N°. CLXXX.

extremo prodibat ſpecies funiculi valde tenacis, ſubſtantiae fere, qualis in Ligamento hepatis Rotundo, aliave ſimili parte occurrit, qui, lineam circiter craſſus, dextrorſum adſcendebat et firmiter adnectebatur parti laterali ſiniſtrae Coeci, ut aeque ab hac atque ab Ilei appendice oriri videretur, omnem Ilei partem, ab Appendice usque ad Craſſorum principium, arctisſime conſtringens.

Iam a nativitate adfuiſſe illud diverticulum inde concludi posſe credit idem, quod aliquando obſervatus fuerit in foetu aut infante iuniore ſimilis Ilei Proceſſus (1).

N°. XXII. KLINKOSCH (2) delineavit diverticulum e monſtro bicorporeo monocephalo, quod, quo loco inteſtinum ſimplex in duplex ſeſe dividebat, in infino ſc. ieiuno erat poſitum. Ab hoc diverticulo arteria Omphalomeſeraica ad umbilicum ſe porrigebat.

N°. XXIII. Pluribus in inteſtinis diverticula invenit TABARRANI (3); unum deſcripsit et delineavit, quod eadem atque Ileum, e quo naſcebatur, gaudebat conſiſtentia, per totam internam ſuperficiem valvulis ſemilimaribus obſesſum, maioribus ad orificium, minoribus verſus fundum.

Non negat quidem auctor, a membranarum inteſtinalium relaxatione diverticula oriri posſe, ob ſtructuram tamen notatam, valvuloſam, diverticulum hocce una cum ipso inteſtino primo iam conformationis tempore originem ſumſiſſe, credit.

N°. XXIV. Complura diverticula LUDWIG (4) obſervavit, nonnulla deſcripsit, tria delineavit. Unum horum (5), duos pollices longum, ex inteſtini latere, proxime ad Meſenterium, exibat, partem membranae Meſenterii ſecum trahens, per quam accurate ad inteſtinum affixum tenebatur; ubi Proceſſus

(1) Ibid. p. 82.

(2) IOSEPH. THADD. KLINKOSCH, *Programma, quo Anatomicam monſtri bicorporei monocephali deſcriptionem proponit.* Vetero Pragae 1767. Tab. III. Fig. 2. *l.* Tab. IV. Fig. 1. *g.*

(3) PETRO TABARRANI, *Lettera III, al' Giovanni Bianchi da Rimino. Atti dell' Academia delle scienze di Siena,* Tom. III. Siena 1767. in appendice pag. 99 ſeqq. Tavol. VI. Fig. II. *c.* Fig. III. *c.* in appendice.

E. SANDIFORT, *Natuur en Geneesk. Biblioth. Deel* X. p. 539.

(4) LUDWIG, *de Proceſſibus Inteſtinorum tractatio.* Adverſaria Medico-Practica, Vol. I. part. II. Lipſiae 1770. pag. 370 ſeqq. Fig. 1, 2, 3.

(5) Fig. 1. l. c.

discedebat, longe amplius erat inteſtinum. Aliud diverticulum, itidem duos pollices longum, figuram referebat conicam; ad Meſenterium natum, eiusque membranam ſecum rapiens, ad angulum rectum ferme ſeceſſerat, et in ortu ſuo ad inteſtinum tantum habebat orificium, ut duorum quoque pollicum diametrum referret, et ſi inteſtinum ipsum pollicis diametrum parum ſuperare videretur. Praeterea de diverticulo (1) exponit, quod a parte Ilei, Meſenterio oppoſita, ad angulum acutum ſecedebat, 2½ poll. longum, orificio accurate cum inteſtini diametro conveniente, figura conoïdea. Auctori huic TILLINGIUS (2) exhibuit diverticulum e foetu, ſatis longum et anguſtum, quod in convolutionibus Ilei ſiniſtris, ex parte eius Meſenterio oppoſita, ſub angulo fere recto, prominebat. Diverticuli huius diameter ſex, inteſtini vero, octo erat linearum.

Diu ſe in ea opinione perſeveraſſe confitetur idem ille, Proceſſus inteſtinorum ex cauſis morboſis eſſe enatos, omnia autem poſteaquam diligentius examinaviſſet atque ponderaviſſet, duplicem tandem Proceſſuum inteſtinorum eſſe ordinem ſibi perſuaſum habuit, alterum eorum, qui iam in prima inteſtinorum formatione oriuntur, alterum eorum, qui e conditione morboſa postea demum exſiſtunt.

N°. XXV. Plures GREDING (3) invenit Proceſſus, unum in maniaci Medio Ieiuno, adhaerenti Meſenterio oppoſitum, hemisphaericum, nucis iuglandis circumferentia; plures eiusmodi in fatui et maniacae Colo Transverſo, ubi ſurſum, inque Siniſtro, ubi extrorſum ſpectabant, itidem hemisphaericos, nucum iuglandium minorum circumferentia et ſemidiametri ipsius inteſtini. In ambobus Proceſſus illi adeo erant conſtricti, ut vix digitum ſuscepiſſent, parietes autem craſſitie ab inteſtini parietibus non erant diverſi. Semel Proceſſum Ilei minorem, in hernia inguinali incarceratum ſphacelatumque, invenit. Idem maniacum diſſecuit, cuius Ileum tres circiter a Coeco pedes Appendicem (4) exhibebat figura quodammodo conica; quae ad angulum

---

(1) Fig. 2. l. c.

(2) Fig. 3. l. c.

(3) IOH. ERN. GREDING, *Melancholico-maniacorum et epilepticorum quorundam, in Ptochotropheo Waldheimenſi demortuorum, ſectiones.* LUDWIGII adverſ. Med. Pract. Vol. III. Pl. I. Lipſiae 1772. Sec. 3. pag. 99 ſeqq.

(4) L. c. part. IV in diſſectorum ſupplem. p. 691 ſeq.

rectum ex intestino, proxime a Mesenterio, illam etiam ad decem usque altitudinis suae lineas comitante, insigniterque revinciente, surgebat; apice suo in ampullam, utcumque globosam, expansa erat et tunicarum firmitate aeque ac intestinum ipsum crassa. Apex ampullosus capitulum repraesentabat, superne Appendici conicae insistens, vasis sanguiferis instructum aeque copiosis ac per reliquum Diverticulum, anterius parvo cum monticulo auctum. Ilei diameter 3 poll. ante Appendicem erat 17 linearum, proxime ad eam 15, post eam 16; ipsius autem Appendicis proxime ab ortu 11 lin., pollicem supra 10 lin., proxime sub capitulo 8 lin. Eius altitudo ad capitulum a parte antica 24½ lin., a parte postica 22½ lin., cum capitulo 37 lin., diameter transversa capituli 15½, longitudinalis anteriore monticulo aucta 16½ lin.

N°. XXVI. Ulhoorn (1), cum aliquando in cadavere herniotomiam institueret, animadvertit, herniam non, uti vulgo obtinere solet, a gyro intestinali, sed a Processu quodam formari, qui, adversus Mesenterii insertionem in intestino positus, ad basin suam angustior erat, quam in reliquo cursu; quam rem delineatione illustravit auctor.

N°. XXVII. Sandifort in Observat. Libro I descripsit et delineavit diverticulum (2) ex infante recenter nato, quod ex Ilei parte, Mesenterio opposita, amplo admodum nascebatur ostio, in coecum finem desinens, eiusdem circiter capacitatis, eiusdem crassitiei quod ad tunicas atque intestinum ipsum, facillime aërem admittens, illoque distentum, apice incurvatum. Ex illo apice filum enascebatur tenue, fortasse tamen ad superiorem Mesenterii partem tendens, eique diverticulum hoc adnectens. Itidem (3) descripsit et delineavit diverticulum ex Ileo foetus 7 mensium, pluribus aliis, quibus a statu normali aberrabat, vitiis insigniti; huius etiam diverticuli apex erat incurvatus. In Museo suo plura praeterea aut descripsit aut depinxit idem ille scriptor (4).

---

(1) In nota ad versionem Belg. Inst. Chirurg. Heisteri Amst. 1776. T. II. p. 925 et Tab. adi. XII. Fig. 12.

(2) E. Sandifort, *De Appendice ex intestino Ileo enata.* Observ. Anat. Path. Lugd. Bat. 1777. L. I. Cap. X. p. 123 seq. Tab. VIII. Fig. 8.

(3) L. c. L. III. Cap. 1. Tab. III. Fig. 2. Tab. IV. Fig. 2.

(4) Mus. Anat. Vol. I. Sect. III. pag. 121. N°. CLXII. Sect. V. p. 275. N°. LXXXVIII. Tab. 107. Fig. 3, 4. N°. LXXXIX. No. XC. N°. XCI. p. 235. N°. VII. p. 249. N°. XXV, XXVI.

Statuit et vir ille Cl., aliquando vitium hoc esse connatum; aliquando postea ex caussis morbosis produci.

N°. XXVIII. Gebhard (1) diverticulum Ilei ex puella unius anni depinxit, extra Annulum Abdominalem situm. Censet et hic, diverticula interdum esse connata, interdum acquisita.

N°. XXIX. In lanionis cuiusdam Ileo diverticulum invenit consbruch (2), duos pollices longitudine superans. In principio ita patebat, ut commode binos admitteret digitos, abhinc autem continue angustius evadebat. Nihil caeterum in illo conspicere poterat scriptor ille, quod a vulgari Ilei structura esset alienum.

N°. XXX. De melle (3) in foetu bicipiti et bicorporeo, quo loco Ieiunum simplex in duo Ilea transibat, diverticulum invenit, quod et delineavit.

N°. XXXI. Testatur soemmering, se plura in intestino Tenui diverticula vidisse, inter quae unum, tres poll. sex lin. longum (4), eiusdem crassitiei ac reliquum intestinum Tenue, proprio gaudebat Mesenterio, plane cum Processus Vermiformis Mesenterio conveniente; fibrae tantum circulares, non autem longitudinales aderant; quatuor eius tunicae eundem colorem, eundemque habitum prae se ferebant, atque in ipso Ileo: luci admotum, in eo nonnullae glandulae conspiciebantur. Ex hac structura auctor sibi persuaserat, diverticulum illud esse connatum. In feminae alicuius intestino Tenui, aëre impleto, praeter talem processum, figura pyriformi, et passim parva invenit tubercula, lentis magnitudinem referentia.

N°. XXXII. Depinxit Ilei diverticulum wrisberg (5), omnino extra Annulum Abdominalem post mortem inventum, cylindricum, 2½ poll. longum, eiusdem atque Ileum capacitatis, ad angulum prorsus rectum ab intestino discedens.

---

(1) Franc. gebhard, *Adverf. Med.* Basileae 1777. Fig. 2.

(2) Ioh. fred. consbruch, *De sacco quodam intestini Ilei inconsueto.* Nova Acta Phys. Med. N. C. T. VI. Norimb. 1778. Observ. II. pag. 9 seq.

(3) Cristoph. andr. de melle, *Demonstratio Anatomica foetus bicipit. et bicorp.* Nov. Act. Phys. Med. N. C. T. VI in appendice Tab. VII. Fig. 4. *r.*

(4) Matth. baillie, *Anatomie des krankh. Baues von* s. t. soemmering, Berlin 1794. 116 seq.

(5) *Gedanken und Beobacht. uber die Brüche. Loders Journ. für die Chirurg. Geburtsh. und Gerichtl. Arzneik.* B. I. St. 2. Jena 1794. p. 184. Tab. IV. *b.*

glandulae Peyerianae in eo erant conſpicuae, ut et vaſa ex Arteria Meſeraïca prodeuntia.

N°. XXXIII. Obſervati diverticuli in infante neonato, pluribus primae formationis aberrationibus inſigni, caſum retulit THAMM (1). Diverticulum, in Ileo poſitum, ſaccum formabat ultra pollicem latum atque longum, fundo convexo terminatum.

N°. XXXIV. ISENFLAMM (2) in acephali medio Ileo diverticulum ſe invenisſe ſcribit, additque, ROSENMULLERUM cum ipso communicasſe, pluries ſe talia in acephalis ſpuriis vidisſe diverticula.

N°. XXXV. Etiam MALACARNE (3) in acephalo diverticulum obſervavit, licet ab illo non diſtincte qua tale ſignificatum; in regione ſcil. umbilicali inteſtina duobus procesſibus clauſis, vermiformibus atque ſolutis, terminari narrat.

N°. XXXVI. Cl. LUCAE (4) in cadavere militis 20 et quod excurrit annorum diverticulum invenit 3 poll., quod aëre impletum, cum ſuperiore Ilei parte, ventriculum ſpectante, omnino eadem directione pergebat et cum ea ſemicirculum conſtituebat; inferior autem Ilei pars ad angulum obtuſum diverticuli baſi ſeſe inſerebat. Etiam eadem non interrupta directione Meſenterium ab inteſtino ſuperiori in diverticulum abibat; Meſenterium vero inteſtini inferioris ad angulum acutum cum ſuperiore confluebat. Conſpicuae erant diverticuli fibrae muſculares, et transverſae, et longitudinales; hae, uti in Ileo ſuperiore, parallelo curſu diverticuli finem clauſum petebant, cum hisce autem fibrae longitudinales Ilei inferioris ad angulum ſe coniungebant. Simili quoque ratione ex Meſenterio prodeuntia diverticuli vaſa et nervi analoga erant

---

(1) CAROL. THAMM, *de genitalium ſexus ſequioris varietatibus* Halae 1799. Obſerv. II. p. 26 ſeq.

(2) ISENFLAMM, *Beſchreibung einer menschlichen Misgeburt ohne Kopf*, in R. T. ISENFLAMM und I. C. ROSENMULLER Beyträge fur die Zergliederungsk. B. II. H. 2. Leipz. 1801. p. 272 ſeq.

(3) VINC. MALACARNE, *Beſchr. von 4 merkwürd. menschl. Misgeb. ohne Kopf und Hals*, in C. T. HARLES N. Journ. der Ausländ. Med. Chirurg. Litteratur Bd. X. H. 1. Neurenberg 1810. p. 19 ſeqq.

(4) SAM. CHR. LUCAE, *Beſchr. eines merkwürd. Divert. am Darmkanal eines jungen Mannes*, in Abh. der phyſ. Med. Soc. zu Erlangen, B. II. Nürnberg 1812. p. 17 ſeqq. Tab. III. fig. 1.

Id. *Anatomiſche Bemerk. über die Divert. am Darmkan.* mit 1 Abbild. Nürnb. 1813.

iis, quae in inteſtino ſuperiori reperiebantur. Pelluciditate ſua diverticulum in interna ſuperficie glandulas offerebat mucoſas et eandem atque ipsum inteſtinum tunicarum craſſitiem. Nulli prorſus itaque erant limites inter inteſtinum ſuperius et diverticulum, quod tantum fine clauſo et inſertione inteſtini inferioris obliqua tanquam diverticulum prodibat. Sumit auctor hicce, ut diverticulorum ortum explicet, inteſtina primitive in duas partes fuiſſe diviſa, quae, ad angulum quemdam coeuntes, diverticulum formarent.

N°. XXXVII. Semel in acephalo TIEDEMANNUS (1) coecum invenit diverticulum 1½ lin. longum, umbilico oppoſitum. In anencephalo, hernia umbilicali inſigni, diverticulum conſpicere Viro Cl. contigit, ab iis, quae hactenus deſcripta ſunt, multum discrepans; aperto ſc. ſacco herniae, veſicula ſeſe obtulit humore repleta, figura pyriformis, per ſtilum aut canalem cum convexo inteſtini latere cohaerens, 14½ lin. longa, 7 lin. lata. Humor, in veſica contentus, colore gaudebat albido-flavo, atque nebulas, coagulati albuminis inſtar, ſuſpenſas tenebat. Canalis ope veſicula tam liberam cum inteſtino habebat communicationem, ut ſtilus facile per eum introduci poſſet. Interna veſiculae facies, propago tunicae internae inteſtinalis, erat glabra, vaſaque huius veſiculae ex arteria Meſeraica proveniebant. Iſtam veſicam auctor habet pro Veſicula Umbilicali ſuperſtite, et magnitudine quidem aucta.

N°. XXXVIII. Complura, tam vera, quam ſpuria diverticula obſervavit FLEISCHMANNUS (2); illorum ſequentia deſcripsit: in foetu 5½ menſium, ad infimi Ilei marginem poſteriorem, duos poll. a coeco, diverticulum erat appoſitum, 1 pollicis longitudine, baſi lata et fine conico (3). Diverticulum porro, duos poll. longum, e puero unius anni deſcribit, ad ſemiulnae diſtantiam a Coeco in antica Ilei parte ſitum, figurae conicae, ex omnibus inteſtini tunicis conſtans, orificio libere in inteſtino hiante; inteſtini paries, diverticulo oppoſitus, admodum contractus, angulum formabat obtuſum: duo vaſa e Meſenterio ad utrumque diverticuli latus diſcedebant, illudque ramificationibus ſuis varia directione circumdabant (4). In puero dein ¾ anni, 1½ ſpithamas a Coeco, in Ilei parte Meſenterio

---

(1) FRIEDR. TIEDEMANN, *Anatomie der kopfloſen Miſsgeburt*. Landshut 1813. p. 66.
(2) GODFR. FLEISCHMANN, *Leichenöffn.* Erlang. 1815. p. 1 ſeq.
(3) L. c. N°. IV.
(4) L. c. N°. V.

opposita, diverticulum reperit conicum, longitudine 1½ poll., amplitudine dimidiam intestini capacitatem referens: ab intestino ad angulum acutum ita discedebat, ut ad ½ poll. longitudinem illi appositum esset, tum vero liberius ab illo divergeret, unde orificio prorsus obliquo cum intestini cavo coalesceret (1). Ad haec in puero 7 annorum, ubi Ieiunum in Ileum transibat, ad partem intestini concavam, prope Mesenterii insertionem, diverticulum conspexit cylindricum, longitudine 2½, capacitate 1 poll., in cuius interna superficie glandulae conspiciebantur (2) In foetu praeterea 7 mensium, variis difformitatibus insignito, ad Coeci transitum in Colon Adscendens, diverticulum observavit, 1 poll. longitudine, dimidia intestini capacitate, textura prorsus eadem qua intestinum Crassum: a Mesenterio vasa ad diverticulum, una cum aliqua Mesenterii parte, adibant: Coecum etiam Processum suum Vermiformem habebat (3). Insuper in agricola 26 annorum, duas spithamas a Coeco, diverticulum invenit, ex Ilei pariete antico proveniens, figura conica, longitudine 1 poll. 1 lin., amplitudine ad basin 1 poll., ad apicem vero 2 lin.; fibrae longitudinales non detegi poterant, circulares autem manifestae erant, et glandulae Peyerianae aeque numerosae atque in intestino: in fine coeco duae parvae erant expansiones tuberculosae, seiunctis quippe fibris muscularibus (4). Tandem Ilei diverticulum e viro 27 annorum describit cylindricum, longitudine 2 poll., capacitate ipsius intestini dimidiam amplitudinem referens: ad finem coecum usque omnes aderant tunicae intestinales, hic autem tria tubercula observabantur e tunicarum internarum per musculosam tunicam prolapsu formata (5).

Verorum diverticulorum ortum e systematis vasculosi luxuriosa vegetatione explicat FLEISCHMANNUS.

N°. XXXIX. In adultorum intestinis ter diverticula vera invenit OTTO (6), omnia nonnullas spithamas a Coeco Ileo imposita, diversa tamen figura et ma-

---

(1) L. c. N°. VI.
(2) L. c. N°. VII.
(3) L. c. N°. VIII.
(4) L. c. N°. IX.
(5) L. c. N°. X.
(6) ADOLF WILH. OTTO, *Selt. Beob. zur Anat. Phys. u. Pathol.* 1 H. Bresl. 1816. N°. LXXVII. Divertikel, pag. 122.

gnitudine. Duo eorum, 1 poll. fere longa, ¾ poll. ampla, figura gaudebant cylindrica et ex inteftini pariete anteriore prodibant, Mefenterio deftituta; tertium autem figura conica, 1½ poll. longum, ex inteftino lateraliter exiens, proprioque inftructum Mefenterio, infidebat apici anguli, ab inteftino formati. Omnia haec diverticula pari ftructura et habitu, quo ipsum inteftinum, gaudebant; ex iisdem conftabant tunicis, robuftis fibris circularibus, nullis autem longitudinalibus, praeditis. In prioribus duobus prorfus nullae, aut admodum parvae, in tertio autem diftincte 5 vel 6 valvulae Kerkringianae confpiciendae erant. Praeterea auctor in monftro (1) Hemiacephalo Ilei diverticulum invenit, nonnullos poll. a Coeco remotum, longitudine 2 poll.; ab huius apice filum quoddam libere dependebat.

N°. XL. In duobus infantibus, ex iisdem parentibus natis, diverticula invenit IAEGER (2); in altero horum, fex hebdomadum, Ilei diverticulum 1½ poll. longum a Coeco 12 poll. diftabat; in altero autem 1¼ anni, diverticulum longitudine 3 poll., a Coeco 20 poll. erat remotum.

Cum neque BOSE (3), neque MECKELIUS (4), diverticula fua dedita opera descripserint, fed fuis tantum locis varias eorum notaverint proprietates, nos quoque, quando de his acturi fumus, fingulas citabimus.

In ducentis fere et quinquaginta, quae ipse disfecui, hominum cadaveribus, diverfis morbis defunctorum, quorum plurimi ex aetate media, pauciores e fenili, rarisfimi ex infantili, fexies mihi contigit invenire Ilei diverticula, habitu externo omnia quidem inter fe diverfa, ftructura autem Ileo prorfus aequalia, 6 prioribus expresfa figuris, in tabula, quam ad calcem huius opusculi adiecimus, propofitis.

---

(1) OTTO, l. c. pag. 117.

(2) *Vorkommen eines Anhanges am Krummdarm bei zwei Kindern derfelben Eltern*, in Deutsch Archiv B. III. H. 4. Halle u. Berlin 1817. p. 539.

(3) *De Diverticulis Inteftinorum* Lipsiae 1779. 4to.

(4) Perilluftris ille Anatomicus I. F. MECKELIUS plurimis locis de Diverticulis agit, praecipue autem fequentibus:

Beyträge zur Gefchichte des menschlichen Foetus, in eius *Beyträge zur vergleichenden Anatomie*, Bd. 1. Heft I. Leipzig 1808 et Bd. 1. Heft II. Leipzig 1809.

Ueber die Divertikel am Darmkanal, in REIL u. AUTENRIETH Archiv für die Phyfiologie, Bd. IX. Heft III. Halle 1809.

Fig. 1 Diverticulum exhibet mixtum, a Valvula Pylori 3 ulnas 2½ palm.; a Duodeno 3 ulnas, a Valvula autem Coli 8 palmas diſtans (*a*), inteſtini parieti antico ad perpendiculum fere inſertum, ita tamen ut cum Ilei parte, ſupra ſe poſita, angulum quodammodo obtuſum conſtituat, cum Ileo autem inferiore, verſus diverticuli baſin anguſtato, angulum aliquantum acutum efficiat. Diverticulum 9 pollic. longum, apice incurvato, glanduloſo quodam corpusculo obſeſſo, in utroque latere exiguo tuberculo, diverticulo ſpurio, inſtructum, ad baſin gaudet capacitate 2½ poll., verſus finem autem ſenſim decrescente, ita ut tandem apice acuto terminetur. Ileum Inteſtinum amplitudinem 3 pollicum offert. Vaſa a Meſenterio prodeuntia ad utrumque Diverticuli latus per eius longitudinem decurrunt.

Diverticulum, Fig. 2 propoſitum, e cadavere feminae 64 annos natae, typho defunctae, cylindricum, fine clauſo atque rotundo, 6 poll. longum, exigua Meſenterii propagine inſtructum, iſti Ilei parti, quae 4 uln. 3 palm. a Pyloro, 4 ulnas a Duodeno, et 6½ palm. a Valvula Coli diſtabat, iuxta Meſenterium ad angulum tam acutum annectitur, ut cum Ileo inferiore, ad diverticuli baſin aliquatenus dilatato, eadem fere continuet directione, ad Ileum autem ſuperius lateraliter adiaceat. Inteſtinum Ileum una tertia parte maius est capacitate, quam diverticulum; huius quippe diameter 2 poll., illius autem 3 poll.

Fig. 3 delineationem exhibet diverticuli, e viro 66 annorum, intra duplicem Ilei gyrum poſiti, longitudine 5 poll., capacitate, ad baſin cum Inteſtino conveniente, 3½ poll., verſus apicem continuo quidem, ſed nonnihil tantum decrescente. Vaſa, a Meſenterio prodeuntia, ramos laterales emittunt et tandem in corpusculum abeunt glanduloſum, ad apicem poſitum. Diverticulum, prope Meſenterium ſitum, cum Ileo ſuperiore angulum obtuſum, cum inferiore autem acutum efficiens, 6 ulnas a Pyloro, 5½ ulnas a Duodeno, 1 uln. 3½ palm. a Valvula Coli est remotum.

In cadavere viri 23 annorum, praeter Ventriculum Bilocularem et indicia glandulae Thymi ſuperſtitis, in Ileo inveni diverticulum, ad diſtantiam 7½ uln. a Pyloro, 7 uln. 2 palm. a Duodeno, 1 uln. 4 palm. a Valvula Coli, 7 poll. longum, figura cylindrica, apice tuberculoſo, prope inſertionem Meſenterii, ad

---

Handbuch der Pathologiſchen Anatomie, Bd. I. Leipzig 1812. p. 553—597.

Tabulae Anatomico-Pathologicae, *Fasc.* 3. Lipsiae 1822. fol.

(*a*) Secundum Menſuram Belgicam, ad Syſtema Decimale compoſitam.

longitudinem quandam producti, ſitum. Diverticulum illud cum Ileo inferiore, cui in principio ſuo appoſitum est, angulum format valde acutum, cum Ileo autem ſuperiore, ad eius baſin aliquantum dilatato, eadem fere linea decurrit. Inteſtinum capacitatem refert 3 poll., Diverticulum vero 2 poll. [*Fig.* 4].

Fig. 5. In cadavere viri, 26 annos nati, febre lenta defuncti, Ilei Diverticulum inveni cylindricum, a Valvula Coli ulnam, a Duodeno 5 uln. 6½ palm., a Pyloro 6 uln. remotum, prope Meſenterium, cuius exigua productione gaudet, interque duas valvulas conniventes, ad angulum rectum ſitum, aliquantum incurvatum, in media ſua longitudine duobus valvulis inſtructum. Ipsum diverticulum longitudinem 3 poll., capacitatem autem 2 poll. refert. Ilei diameter 4 fere poll., ſtatim infra diverticuli inſertionem aliquantum dilatatur.

Diverticulum Fig. 6 expreſſum, valde exiguum, papillare, prope Meſenterium, cuius propagine gaudet, ad Ilei gyrum ſitum, 2 poll. longum, baſi latiori 3 poll., in apicem acutum ſtatim exeunte.

Tandem Fig. 7 delineationem exhibet diverticuli e foetu maturo, monſtroſo, lateraliter Ileo (quo loco 28 palm. 8 poll. a Pyloro, 28 palm. a Duodeno, 4 palm. 7½ poll. a Valvula Coli remotum est), obliqua directione ita iuncti, ut cum inteſtini parte ſuperiore angulum obtuſum, cum inferiore autem acutum conſtituat. Proprio diverticulum Meſenterio inſtructum est, 2 poll. longitudinem refert, ad baſin eadem quidem cum Ileo gaudet capacitate, ſenſim autem haec decreſcit verſus apicem, qui, parumper incurvatus, a corpusculo quaſi glanduloſo occupatur; paries denique inteſtini, diverticulo oppoſitus, impreſſione quadam inſignis est.

§ 2.

Diverticula in animalibus obſervata.

Accedimus iam ad organi illius, cuius obſervationes in homine citavimus, conſiderationem in animalibus, in quorum pluribus ſaltem ſpeciebus multo certe frequentius occurrit, quam quidem in genere humano, licet pauciores inveniamus auctores, qui de eo in animalibus mentionem fecerint; neque mirum, ſi conſideremus, numerum Anatomicorum, Zoötomiam colentium, non tantum eſſe minorem, quam eorum, qui Anthropotomia occupantur; ſed

etiam numerum cadaverum humanorum, quae cultro anatemico subiiciuntur, sive corporis humani structuram investigandi, sive morborum sedem aut caussam perscrutandi ergo, antecellere animalium secandorum copiam; Anatomiam denique Comparatam hunc usque in diem longe esse remotam ab eo perfectionis gradu, quo summo hodie iure gloriari potest humani corporis Anatome.

Ruyschius (1) in Lepore, et quidem in Ilei fine, prope Coecum, diverticulum invenit, glandulis refertissimum. Anonymus ex observatoribus Vratislaviensibus (2) Ilei diverticulum descripsit e Sue, semiulnam longum, in pariete intestini antico situm, eadem qua ipsum intestinum capacitate; post exsiccationem duplicem exhibens curvaturam; tunicis nec crassitie neque aliis conditionibus ab intestinalibus diversis. Lanio, qui auctori diverticulum illud exhibuerat, ei asseveravit, saepe talia in hisce animalibus reperiri, nullumque iis afferre incommodum. Schulsius (3) refert, sibi e Sue allatum esse diverticulum a lanione, ipsi narrante, id raro quidem in Suibus occurrere, a se tamen saepius esse visum, artisque termino vernaculo vocari *ein Dreyzack*, a tribus scil. extremitatibus, quas farcimen inde confectum habet. Malacarne (4) in Agno acephalo intestinum observavit, incipiens a duobus principiis, eadem fere ratione, qua illud in acephalo humano, ab eo descripto, obtinuerat. Praeterea pallas (5) in lepore (Lagonide Pusillo) et schenkius (6) in canibus diverticula observaverunt.

Morgagnius (7), de diverticulis agens, ita loquitur: „conspexi etiam semel atque iterum in anseribus, in uno praesertim ea latitudine ut pro reliquiis eius ductus haberi non posset, qui olim ad vitellum attinuerat. In „hisce cum eo intestino communicabat quod Ileo respondet, imo cum illa huius parte, quae Crasso intestino propior est." Rudolphi Anseribus

---

(1) *Catalogus rarior.* p. 170. N°. IV.
(2) L. c. p. 542.
(3) L. c. p. 505.
(4) L. c. p. 21.
(5) I. F. Meckel, *Handb. der Path. Anat.* B. I. p. 571. Leipzig 1812.
(6) *Exercitation. anat.* p. 334.
(7) *De sedibus et caus. morb.* l. III. ep. 34. art. 17.

Ilei Diverticulum ceu organon normale adſcribit longitudine ½—¾ poll., cuius tunica mucoſa villis caret (1). TIEDEMANNUS (2) itidem in Anſeribus illud invenit, quemadmodum et in Scolopace Gallinagine. PALLAS (3) Ileo Pſophiae Crepitantis diverticulum adſcribit, 8 poll. a ventriculo, longitudine dimidio pollici aequali. CUVIER (4) inſuper in pluribus avibus Ilei diverticulum reperiri teſtatur, non tamen ſemper in omnibus eiusdem ſpeciei individuis obvium. I. F. MECKEL (5) tandem in Cygno bis Ilei diverticulum invenit, ſexies in Anſere, bis in Anate Vulgari et Anate Crecca, ſemel in Anate Fuligula. In Tringa denique Pugnace ipse perpetuo exiguum Ilei diverticulum inveni.

Ex citatis hisce obſervationibus patet:

1°. Diverticula, in animalibus obſervata, prorſus convenire cum iis, quae reperiuntur in homine, atque ſic illa omnibus iis esſe inſtructa proprietatibus, quas dein, tanquam esſentiales, in humanis recenſebimus, ita:

a. Structura cum Ileo omnino conveniunt, quemadmodum quoque diverticulum, a RUYSCHIO in lepore inventum, glandulis erat refertisſimum, quodque ANONYMUS ex obſervatoribus Vratislavienſibus deſcripsit e ſue, illud crasſitie reliquisque conditionibus ab Inteſtinalibus tunicis haud erat diverſum.

b. Sedem habent in Inteſtino Tenui, et quidem potisſimum in parte eius poſtrema; ita ANONYMUS, modo citatus, diverticulum ſuum Ileo impoſitum fuisſe refert, RUYSCHIUS vero in Ilei fine prope Coecum invenit. Praeterea omnia fere in avibus obſervata diverticula hanc tubi Inteſtinalis partem occupabant.

c. Numquam plura uno diverticulo in eodem canali Inteſtinali obſervata ſunt.

2°. Inter Animalia ſolum in Mammalibus et avibus Ilei diverticula esſe reperta.

3°. Prae reliquis Mammalibus in Sue frequentius esſe inventa.

---

(1) CARL. ASM. RUDOLPHI, *Anat. Phyſ. Abhandl.* Berlin 1802. p. 55.

(2) F. TIEDEMANN, *Zoologie* B. II. p. 453.

(3) G. CUVIER, *Leçons d'Anatomie Comparée* Tom. III. p. 511. Paris an XIV.

(4) Ibid. et *Vorleſung. über vergl. Anat. von* I. F. MECKEL Th. III. p. 514. Leipzig 1810.

(5) MECKEL, *Handbuch der Path. Anat.* l. l.

4°. Frequentisſime vero Ilei Diverticula occurrere in avibus. In his ſine ullo dubio ſunt reliquiae Membranae Vitellariae, quae Ductus ſui ope ad Inteſtinum Ileum adhaeret, et post nativitatem, quando abdomen intravit aut ſenſim contrahitur, volumine decrescit, tandemque prorſus evanescit aut diminuitur tantum, et partem quandam ceu Diverticulum relinquit. Secundum NEEDHAM (1) et MAITRE IAN (2) per totam ſemper vitam reliquiae Vitellarii Ductus reſtarent, quod certo nimium, cum in pluribus avibus ne minimum quidem eius indicium postea ſuperſit; aliae autem contra, praecipue aves aquaticae et paludoſae plurimae, ſemper Ilei Diverticulum gerunt. Diverſae itaque avium ſpecies hac in re discrepare videntur, ita ut in aliis diverticula, ſemper obvia, ad organa normalia pertineant, in aliis vero minus frequenter aut raro occurrentia, uti in Mammalibus, conditionem a ſtatu normali alienam conſtituant. Explicationi illi, quam de origine Diverticulorum in avibus dedimus, haud obſtat MORGAGNII obſervatio, ſecundum quam ſemel in Anſere diverticulum adeo capax exſtitit, ut pro reliquiis Ductus Vitellarii haberi non posſet: hic enim aut ipsa forſitan Membrana Vitellaria ſuperſtes manſerat, aut diverticulum per faeces erat expanſum et hinc capacitate auctum.

Qui obſervationes tantum eas in cenſum adſcribit, quas de Animalium diverticulis collegimus, is forſitan in eam facile incidere posſet opinionem, Mammalibus et Avibus ſolis Ilei diverticula interdum esſe tribuenda. Ne autem nimis hoc urgeat iſte; cogitet enim quaeſo, Animalium e reliquis clasſibus Anatomiam hodie tam parum adhuc excultam esſe atque cognitam: nobis certe quidem forte contigit in Angui, 2 uln. 4 palm. longo, Pythone ſc. Vittato, reperire organon quoddam, quod multa cum veri ſpecie Ilei Diverticulis annumerari posſe nobis videtur.

In hocce Pythone tractus Inteſtinorum, longitudine 2 uln. 8 palm., recta fere linea a cavo oris ad anum usque decurrebat, capacitate in variis regionibus diverſa, tunicis ſtructura ubivis fere aequalibus, tenuibus, pellucidis, interne et externe glabris.

---

(1) GUALTHERUS NEEDHAM, *Disquiſ. anat. de formato foetu* cap. IV. Bibliotheca Anatomica Part. I. Cap. IV. pag. 555. Genevae 1685.

(2) ANT. MAITRE IAN, *Observat. sur la formation du poulet*, Obſervat. 26. p. 292. Paris 1722.

Oesophagus, 3½ palm. longus, capacitate 5½ poll. ad regionem usque decurrit cardiacam, ubi longitudine 6 pollicum adeo coarctatus est, ut 2½ vix poll. amplitudinem referat. Inde sensim extenditur in Ventriculum rectilineum, 8 palm. longum; hic haud procul a suo fine, ubi maxima pollet capacitate, 7½ sc. poll., statim insigniter iterum contrahitur, tunicisque instruitur omnis Intestini longe robustissimis, donec ad unum pollicem coarctatus valvulam efformat circularem, Pyloricam. Paululum infra hancce valvulam Ductus inseritur Cysticus. A valvula Pylori exortum Intestinum Tenue, ulnae longitudine inter utramque brevis Mesenterii laminam, serpentino ductu, decurrit, capacitate ubique aequali, 2 poll., eodemque plane ubique habitu tenui, pellucido. Tum autem ex eo emergit processus quidam, 5½ poll., itidem eiusdem structurae, capacitatis aliquantum minoris, praecipue versus apicem, spectantem ad superiorem Intestini partem. Statim infra huncce processum Intestinum quodammodo constringitur, dein autem longitudine 4 palmarum sensim iterum, sed lente admodum, nonnihil ampliatur, ita ut tandem capacitatem acquirat 4 fere poll. Haec Intestini pars valvula terminatur circulari, in uno praecipue latere, introrsum insigniter eminente. Ab ea inde Valvula Intestinum statim multo amplius exsurgit, capacitate 8 poll., tunicae eius abhinc tenuiores sunt et pellucidiores, donec, absoluto spatio 2½ palm., in anum definit.

Processum descriptum non esse Intestinum Coecum, sed Ilei Diverticulum, et valvulam, ab eo 4 palm. remotam, esse Valvulam Coli, sequentia mihi probare videntur argumenta.

1°. Vulgaris Coeci Intestini absentia in hisce Ophidiorum speciebus.

2°. Valvula, forma sua circulari, reliquoque habitu, prorsus conveniens cum Valvula Coli in aliis Amphibiis.

3°. Exigua Crassi Intestini in Ophidiis longitudo. In hisce enim, secundum MECKELIUM, vulgo Crassi Intestini longitudo ad Tenuis longitudinem se habet quemadmodum 1 : 15 s. 20 (1). Si autem processus terminum constitueret inter Crassum et Tenue, hoc esset 10 palm., illud autem 6½ palm., ut adeo Tenue una tertia tantum parte Crassum longitudine antecelleret; qualis inter Crassi et Tenuis longitudinem relatio nunquam reperitur. Sin vero valvulam

---

(1) *Ueber den Darmkanal der Reptilien.* Deutsches Archiv fur die Physiologie Bd. III. Hft. 2. p. 205.

habemus terminum inter Tenue atque Crasfum, hoc erit $2\frac{3}{4}$ palm., illud 14 palm., quod multo magis convenit cum relativa longitudine utriusque Inteſtini in reliquis Ophidiis.

4°. Inſignis Inteſtini dilatatio et habitus mutatus ſtatim infra valvulam. Infra processum Inteſtinum quoque aliquantum quidem dilatatur, ſed inſenſibili tantum modo, contra ſtatim a valvula duplo capacius exſurgit.

5°. Diſtantia inter procesſum et valvulam. Si enim Inteſtinum Coecum et Valvula Coli ſimul in eodem Inteſtino adſunt, haec ſemper ad illius baſin poſita est; ad noſtri autem procesſus inſertionem ne minimum quidem valvulae reperitur indicium, ſolummodo hic lenis conſpicitur conſtrictio, qualis ad humanorum quoque diverticulorum baſin nonnunquam obſervatur.

6°. Locus, quem Procesſus occupat, conveniens cum Diverticulorum loco, in Ileo ſc., et propius quidem ad eius partem inferiorem, quam ſuperiorem.

Cum itaque valvula iſta eadem prorſus ratione ſe habeat, qua Valvula Coli esſe ſolet; Crasſum autem Inteſtinum (uti vulgo in hisce animalibus) admodum ſit breve, capacitate duplo maiore, totoque ſuo habitu a reliquo Inteſtino discrepet; valvulam eam, *Colicam*, inteſtinum vero, infra hanc poſitum, *Crasſum* dicere vix est quod haeſitemus: cum deinde Coecum Inteſtinum plerumque hisce animalibus deſit, ſin vero adſit, prope Valvulam Coli ſit poſitum, procesſus autem noſter ab illa 4 palmis ſit remotum, inque infimo Ileo, loco Diverticulorum ſolito ſitum; et hunccce procesſum facile *Ilei Diverticulum* habemus.

§ 3.

Opiniones de Diverticulorum origine.

Multam profecto operam tam Aegyptii, quam Graeci et Romani in perveſtiganda corporis animalis ſtructura poſuerunt, ut vel unius Galeni teſtantur ſcripta, in quibus ſubtilium nonnunquam quaeſtionum Anatomicarum expoſitiones miramur. Nemo autem ex his ullam de noſtro argumento notionem habuisſe videtur; in illis ſaltem eorum operibus, quae ad noſtram pervenerunt aetatem, nihil quidquam de hoc relatum invenimus. Sequentibus temporibus, cum omnium lux disciplinarum denſa caligine esſet obfuſcata, cum ab iis, quae ſtatuisſent maiores, recedere piaculum esſet, nullis etiam de fabrica normali, aut morbo-

ſa, inventis incrementum cepit ſcientia anatomica. Seculo demum decimo ſexto, cum clarior iam lux generis humani vitam quaſi latentem reſuscitavisſet, omniaque novo tum impetu arriperentur, primus exſtitit BIOLANUS, (1) qui de processibus in inteſtinis nonnullam faceret mentionem: narrat quippe, ſe nonnunquam in Ileo Inteſtino tres invenisſe appendices membranoſas, adeo latas, ut pollicem excipere potuisſent. Hae autem appendices, cum ad diverticulorum ſpuriorum clasſem pertinere videantur, nondum directe ad noſtrum faciunt propoſitum. Sequente ſaeculo FABR. HILDANO (2) diverticula non plane incognita fuisſe, ex eo patere videtur, quod, cum aliquando inteſtinum in hernia non invenisſet duplicatum, inteſtinum dilatatum, foramini Peritonaei incluſum coniiceret. Diſtinctius etiam MEIBOMIUS eodem fere tempore de Diverticulo a ſe reperto expoſuit (cap. II. § 1. n°. 1.) In fine autem illius ſeculi primus RUYSCHIUS de Ilei Diverticulis, quae pluries in creberrimis cadaverum ſectionibus magnus ille fabricae humanae ſcrutator repererat, ſecundum ipsorum naturam locutus est, certas praeterea eorum delineationes dedit, in Animalibus denique eandem quoque conditionem abnormem interdum occurrere docuit; ita ut iure ſtatuas, ab hoc viro initium capere germanam Diverticulorum hiſtoriam.

Quum iam Anatomicorum animus in hanc rem a tanto viro esſet converſus, haud interrupta auctorum exſtitit ſeries, diverticulorum, in cadaverum ſectionibus ſibi obviam factorum, obſervationes memorantium: ex quo denique tempore organi huius abnormis probata esſet exiſtentia, non defuerunt, qui variis rationibus eius originem explicare ſtuderent.

Primus LITRIUS (1706) de diverticulorum ortu ſententiam ſuam protulit, qui, quoniam in herniis ea obſervaverat, facillime in opinionem incidit, ab eadem cauſa et diverticulum et herniam proficisci. Virium ſcil. intentiones graviores, quae herniae formandae anſam dederant, Peritonei relaxationem in regione inguinali produxisſent, unde pars quaedam inteſtini, Meſenterio oppoſita, Annulum Abdominalem intraret; ea inteſtini pars ab Annulo retenta, tum muſculorum abdominalium diaphragmatisque motu alterno et loci acclivitate,

---

(1) *Anthropogr.* lib. II. cap. 24.

(2) GULUL. FABR. HILDANI, *Obſerv. Chirurg.* Cent. VI. Obſerv. LXXI. OPERA OMNIA p. 589.

tum inteſtinorum motu periſtaltico, ac ſubſtantiarum in inteſtini cavo contentarum gravitate, verſus inferiora identidem protruderetur et expanderetur. Quominus autem inteſtini pars, Annulo contenta, ſeſe in cavum abdominis retrahat, aut totus inteſtini ambitus extra illud prolabatur, Annuli parietes, in hisce caſibus admodum robuſti, impediverant. Sententiae huic LITRIANAE acceſſerunt MERYUS et SCHLICHTINGIUS.

At vero Annuli conſtrictio, ſi adeo ſit valida, ut ulteriori inteſtini prolapsui reſiſtat, et exiguam quandam Inteſtini glabri atque lubrici partem retinere posſit, nonne potius illius incarcerationem, quam expanſionem produceret? Quidni comprimenda inteſtini parte contenta, faecibus aditum ſecludit? Nonne credere licet, motum periſtalticum, inteſtini capacitate diminuenda, conferre potius ad partem prolapsam, initio certe valde parvam, iterum reducendam, quam ulterius protrudendam? Sed inſignis obſervationum numerus facile demonſtrat, diverticula ſaepisſime obſervari ſine ulla herniae ſuſpicione. Sin autem diverticulum adest, locum occupat in Ileo, in vicinitate Annuli Abdominalis; quando itaque iam ſufficiens exſiſtit cauſa, qua hernia produci queat, tam longitudine ſua, quam libero ſuo ſitu, quo facile huc illuc movetur, multo certe facilius diverticulum, quam alia ipsius inteſtini pars, ſemper ſuis vinculis retenta, Annulum intrare poteſt.

SCHRÖCKII (1719) ſententiam, ex qua vermes in tumoribus ſcyrrhoſis, inteſtina occupantibus, enati, eorum parietes eroderent atque ita cavitates formarent, quae ſenſim faecibus expanderentur, non eſt quod multis oppugnemus, cum postea demonſtraturos nos eſſe ſperemus, processus ab eo commemoratos non fuisſe diverticula vera, ſola noſtri argumenti obiecta; aliter autem res ſeſe habet in veris iis diverticulis, quae huic explicandi rationi ſubiecit Anonymus in Collectionibus Vratislavienſibus. Cum enim ab illa cauſa nullo plane modo proficisci queat procesſus, veri diverticuli prae ſe ferens characterem maxime notabilem, ſtructuram ſc. reliquo inteſtino aequalem, (tunicae enim intimae a vermibus eroderentur; in diverticulo autem vero omnes tunicae ſanae atque integrae adſunt) facile certo hanc diverticulorum originis explicandae rationem reiicies.

MORGAGNIUS (1761) primus duplicem diverticulorum asſumſit ordinem, prouti ſc. ſenſim a morbo aliquo ſint producta, aut a prima inde origine iam efformata; rationem autem, quare illa potisſimum in Ileo inteſtino occurrant,

praeeunte FABRICIO (1), in materia posuit faeculenta, quae hic eam spissiorem consistentiam nancisci incipit, quae tenues urgere tunicas possit atque distendere. Diverticulorum in duas classes divisionem, a MORGAGNIO propositam, a TABARANIO, LUDWIGIO et SANDIFORTIO confirmatam, omnes hodie assumunt Anatomici.

HALLERUS (2) (1765), qui musculosam iis denegare videtur tunicam, de eorum origine sequenti modo verba facit „apparet laxata alicubi musculosa „membrana; aërem et faecem, a viciniś fibris transversis promotam, incumbe„re in hanc partem minus resistentem, maxime dum simul intestinum breve „fit et duo eius fines ad se invicem accedunt, eaque ad se invicem compri„munt, quae intestino continentur."

Contra hanc per faeces expansionem, cui et LITRIUS et SCHRÖCKIUS magnas partes attribuerunt, e qua MORGAGNIUS etiam rationem demonstrare conatus est, quare diverticula spuria potissimum in Ileo occurrant, sequentia adducuntur.

1°. Vis expansiva contentorum versus omnia latera, non autem versus unum punctum agit, atque sic totius quidem intestini ambitus dilatationem, minime vero diverticulum producere potest.

2°. Sin vero Intestini tunicae alicubi sunt laxatae, et materiae contentae haud satis resistere possunt, ita ut expandantur ab hac, loco expansionis tenues evadunt; contra diverticula vera tunicarum eandem habent crassitiem atque Intestinum, cui insident.

3°. Si faecum spissitudo earumque tardior progressus in causa essent, Colon diverticulorum praecipua esset sedes, cum utraque haec conditio eo in intestino potissimum vigeat.

Iam ante MORGAGNIUM WEITBRECHTIUS (1735) opinioni eorum, qui diverticulorum originem tunicarum intestinalium dilatationi adscriberent, sese opposuit, cum diverticulum, a se observatum, propriis fibris muscularibus esset praeditum; postea vero varii auctores vario modo, tam ex diverticulorum, quae describebant, structura, quam ex aetate corporis, in quo inveniebatur, de-

---

(1) MORGAGNI, *de sed. et caus. morb.* L. III. ep. 34. art. 16.
(2) HALLER, *El. Phys.* T. VII. p. 97.

monstrarunt, hanc fabricam revera esse connatam; sic TABARANIUS e valvulis, in diverticulo observatis; SOEMMERRINGIUS autem ex eius crassitie, reliquo intestino aequali, e Mesenterio, quo gaudebat, fibris muscularibus, cryptis muciparis, totoque eius habitu concluderunt, diverticuli ortum a prima formatione esse deducendum; VANDOEVEREN, LUDWIGIUS et SANDIFORTIUS, cum in foetu aut neonato diverticula aut ipsi invenissent, aut ab aliis essent inventa, praeter alia et hoc pro argumento ad eandem conclusionem sumserunt.

Nostro demum saeculo celeberrimus MECKELIUS, (1) (1808) cum iam diu evictum esset, diverticula primae formationis esse vitia, ulterius quam priores progressus, modum etiam, quo in ipsa conformatione producantur, acutissima explicuit theoria; dixit enim summus hicce Anatomicus, diverticula esse reliquias canalis illius, qui quondam ab intestino ad Vesiculam Umbilicalem decurrebat.

Cl. LUCAEUS (1812) alia via diverticulorum in prima formatione originem explicare conatus est; posuit enim vir ille celeberrimus, tunc oriri diverticula, quando Intestinum Anale et Stomachale ad angulum quemdam inter se coëant. — Utramque hanc theoriam et MECKELIANAM et LUCAEANAM ulteriori subiiciemus disquisitioni, quando quaestionem de intestinorum formatione solvere conaturi sumus.

A duobus citatis theoriis, longe diversam FLEISCHMANNUS (2) proposuit sententiam de diverticulorum origine, (1815) quam ad Tubi Intestinalis formationem haud restrinxit, sed ad generalem retulit legem, quam sequeretur natura in procreando homine. Absolutum quippe in totius Organismi diversarumque eius partium formationem imperium systemati tribuit vasculoso: systema vasculosum omnis organisationis principium constituit (3): eius formatio, ait, si retardatur, forma oritur imperfecta, aut organa ibi plane desunt (4); sin vero luxuriose crescit, partes exsurgunt supervacaneae (5).

---

(1) I. F. MECKEL, *Beyträge zur vergleich.* Anat. B. I. H. I. N°. 5. *Beyträge zur Geschichte des menschl. Foetus*, p. 92 seqq.

(2) FLEISCHMANN, *Leichenöffnungen*, p. 31 seqq.

(3) Ibid. p. 32.

(4) Ibid. p. 34.

(5) Ibid.

Si itaque ramus quidam Inteſtinalis nimis luxurioſe crescit, diverticulum oritur, longius aut brevius, pro individua intenſitate plaſtica (1); uti hicce ramus luxuriat in cavo aut convexo inteſtini latere, ita diverticulum quoque in hoc aut illo poſitum est (2); ſi praeterea una cum ramo Inteſtinali ramus quidam ex propinquo Meſenterio luxuriat, hoc quoque lateraliter ſeſe extendit et diverticulum Meſenterio gaudet (3); pro vis plaſticae diverſitate diverticulum vel perfectum exſurgit, vel minus perfectum, quemadmodum interdum tunica muſculoſa deſtitutum reperitur (4). Quoniam autem ubivis in inteſtino vaſa adſunt et ubique in iis vegetatio luxurioſa obtinere potest, ubique etiam diverticula oriri posſunt (5). In Ieiuno autem raro occurrunt, quoniam vaſorum formatio hic maiorem habet niſum introrſum vergendi, arteriarum ramificationes ad uberiorem ſecretionem denſum rete capillare faciunt et innumeris anaſtomoſibus ligatae ſunt. Praeterea Ieiuno niſus est introrſum agendi, cum praecipuum ſit organon abſorptionis et ſyſtema eius vaſculoſum per uberiores valvulas magis introrſum trahatur; hisce omnibus niſus vaſorum extrorſum ſeſe extendendi impeditur (6). In Ilei vero parte inferiore nullae ſunt valvulae, rete vaſculoſum minus est denſum, ſecretio et abſorptio debilior, verbo, ſyſtema vaſculoſum hic maiori gaudet libertate, niſuique extrorſum ſeſe protrahendi effrenate magis indulgere potest, unde hic potisſimum producuntur diverticula (7). Enarratis praeterea cauſis accedit inſertio vaſorum Omphalo-Meſeraicorum; quando enim Inteſtinum et Veſicula Umbilicalis a ſe invicem discedunt, tenduntur vaſa Omphalo-Meſeraica una cum Ilei parte, cui ſunt inſerta, unde locus iſte in Ileo irritatur, et ad inſignem vegetationem et diverticuli formationem incitatur (8). Eandem ob cauſam et in avibus frequenter diverticula in Ileo occurrunt; per inſertionem ſcil. Ductus Vitellarii Vitellumque continue

---

(1) Ibid. p. 35.
(2) Ibid.
(3) Ibid. p. 36.
(4) Ibid.
(5) Ibid.
(6) Ibid. p. 37.
(7) Ibid.
(8) Ibid. p. 24, 25.

influentem, Ileum ad luxuriofam impellitur activitatem (1). In Crasfo Inteftino vis plaftica aut minor est, aut diminuitur formatione Procesfus Vermiformis, Veri Diverticuli, aut vafa minora funt, aut eorum ramificationes minus liberae et multiplices (2). Interna expanfione per faeces etiam diverticula vera per aliquod tempus oriri posfunt, ulteriori vero expanfione fibrae mufculares a fe invicem discedunt, unde diverticulum verum transit in fpurium. Vera itaque diverticula non tantum connata funt, fed et post nativitatem oriri posfunt e caufis mechanicis (3).

Non pauca funt profecto, quae huic theoriae opponi posfunt.

I°. Primo quidem fyftemati vafculofo auctor nimiam tribuisfe videtur poteftatem in procreando organismo: quando enim cogitamus, nullum fyftema tot tantisque continue obnoxium esfe anomaliis, quam ipsum illud fyftema vafculofum, mirandum certe foret, vel unicum exiftere hominem, quin infignes exhiberet deformitates, fi ramusculus quilibet duplicatus, duplex ut esfet organon fuum, efficeret. Fleischmanno itaque adftipulari non posfumus, foetum duplicem proficisci a fyftemate vafculofo duplici; crederemus potius, primum iam ftamen (priusquam adhuc de vafis ullus cogitandi esfet locus) fuisfe duplex, in eoque duplex dein productum esfe fyftema vafculofum. Si fecundum auctoris fententiam ad ipsa formationis primordia adfcendimus, quodcunque organon primo ortu e meris vafis conftare debuisfet, atque fic embryo in prima origine fuisfet exiguum quoddam vafculum (4). Quodfi autem analogiam in pfeudomembranarum formatione ducem fequimur, longe aliter rem esfe conftitutam, facile patebit; illae enim principio non mera quaedam vafcula, fed lympham coagulabilem, tamquam materiam organifationi idoneam offerunt; lympha fenfim condenfata, fenfim quoque varias partes conftituentes in fe fuscipit; producuntur vafcula, initio tramite recto decurrentia, mox et ramos laterales edentia, ipsa redduntur tortuofa, ramificationes evadunt copiofiores, et tandem retia formantur vafculofa, eodem fere modo conftituta, quo ipsarum membranarum naturali-

(1) Ibid. p. 25.
(2) Ibid. p. 38.
(3) Ibid. p. 40, 41.
(4) Ibid. p. 32.

um vasa. Eadem plane phaenomena in ovis incubatis observamus; iam primis incubationis horis diligens observator embryonis conspicit rudimentum, aliquantum post demum in Membrana Vitellaria apparent impressiones, sive sulci, in quibus globuli aliquot sese offerunt; sulci sensim profundiores evadunt, donec tandem eorum parietes in semet ipsos redeunt atque canalem constituunt. Ex hisce similibusque tuto concludi posse videtur, systema vasculosum non efficere principium omnis organisationis, sed prinsquam illud sese offerat, iam adesse fundamentum, sive basin, in qua postea demum, uti omnia reliqua organa atque systemata, ita vasa etiam producuntur.

Systematis praeterea vasculosi potestati in formando organismo obstare videtur imperium, quod, uti in reliquorum organorum, ita et in ipsius systematis vasculosi functiones exercet systema nervosum. Novimus enim, animi pathemata quid valeant ad quaslibet systematis vasculosi functiones incitandas, aut perturbandas; marasmum oboriri in membro, cuius nervus sit abscissus, integris licet vasis, satis superque cognitum est; nullam probabiliter suscitari posse inflammationem in parte quadam, dissecto nervo, docuit VAN DER KOLK (1), Vir Clarissimus. E paucissimis istis, quae ex innumeris attuli, phaenomenis tuto satis concludi potest, a systematis nervosi vi atque efficacia gubernari systematis vasculosi functiones: imo complura egregia experimenta, in hanc partem, nuperioribus praesertim temporibus, instituta, systematis nervei praestantiam in diem dilucidius probaverunt, ita quidem, ut, sublata vi nervea, reliqua systemata quasi inertia evadere videantur. Hisce si addimus, quod suis iam temporibus MALPIGHIUS (2) et WOLFIUS (3) observarunt, et inter recentiores, praeter alios, I. F. MECKELIUS (4) et PANDERUS (5) ad liquidum perduxerunt, medullam spinalem, systematis nervei basin, in embryone prius prodire, quam omnia reliqua organa aut systemata, ne vasis quidem exceptis: et praeterea si

---

(1) I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, *Observationes Anatomico-Pathologici et Practici Argumenti.* Fasc. 1. p. 14. Amstel. 1826.

(2) *De formatione Pulli.* p. 55.

(3) *De formatione Intestinorum.* Nov. Comment Acad. Petrop. Tom. XII.

(4) *Versuch einer Entwickelungs-Geschichte der Centraltheile des Nervensysthems in den Saugethieren.* Deutsch Archiv f. d. Physiologie Bd. I. Heft I. p. 1 seqq.

(5) PANDER, *Beiträge zur Entwickelungsgeschichte des Hühnchens im Eye*, p. 9 seqq. Würzburg 1817 in folio.

confideramus, fyftematis nervofi in formationem diverfarum corporis partium effectum adeo esfe efficacem, ut, fi nervus quidam ab origine defit parti fyftematis nervofi centrali, defint quoque organa, in quae eius expanfiones periphericae abire debuisfent, quemadmodum illud nuperrime Celeberrimus TIEDEMANNUS (1) luculentisfime argumentatus est; tum profecto, fi uni cuidam fyftemati fummum in formando corpore imperium tribuere vellemus, hoc fyftemati nervofo adfcribendum esfe, cenferemus.

Ad generaliores autem vires, non unico tantum fyftemati adftrictas, ceu primae formationis caufas, refpiciendum esfe crediderim, imo corpus maternum dynamica fua facultate, primis temporibus, maxima pollere efficacia; ipsius infuper materiae propriam vitam plurimum conferre, ut quaeque pars, quodque organon, iuxta proprias leges evolvatur, credere posfe haud dubitamus.

II°. Contra rationem, ab auctore propofitam, quare diverticula potisfimum in Ileo occurrant, fequentia adferre liceat.

a. Caufae, quare fecundum auctorem diverticula in Ieiuno raro inveniantur, nimis hypotheticae esfe videntur. Vafa, ait, in Ieiuno maiorem habent nifum introrfum vergendi atque agendi, quare eorum nifus extrorfum fefe producendi impeditur. Unde autem nifus ille introrfum vergendi fufficienter demonftrari queat, aeque minus nos posfe intelligere libenter fatemur, atque illud, quare in Ieiuno fecretio uberior obtineat, quam in Ileo, in quo fyftema glandulofum magis elaboratum est.

b. Ea etiam, quae de Ileo pofuit auctor, nimis hypothetica habemus. Syftema fcilicet vafculofum hic maiori gauderet libertate, nifuique extrorfum fefe protrahendi effrenatius indulgere posfet. Iftam autem libertatem ulterius demonftrandam esfe credimus, priusquam ex ea quidquam tuto explicari posfit. A tenfione vaforum Omphalo-Meferaicorum inteftinum ftimulari, facile auctori concederemus, fi Veficulae Umbilicalis folutio ab inteftinis mechanico actu procederet; quod autem ex hac tenfione diverticulum produceretur, certo nec alius quisquam, nec auctor expertus est ipse. Eadem fere ratione FLEISCH-

---

(1) *Beobachtungen über Misfbildungen des Gehirns und feiner Nerven.* Zeitfchrift für Phyfiologie von F. TIEDEMANN, G. R. TREVIRANUS *und* L. C. TREVIRANUS, in 4to. Bd. I. Heft I. p. 56 feqq.

MANNUS etiam ortum diverticulorum in avibus explicat; secundum eius sententiam, primum Membrana Vitellaria una cum ductu suo evanescit, et postea a stimulo, quem produxit, diverticulum eo in loco iterum formatur; nonne autem, uti dicit MECKELIUS (1), simplicius videtur, partem quamdam obviam pro parte remanere, quam prius evanescere, novamque alteram, reliquiis antecedentis prorsus aequalem, eodem in loco iterum exoriri?

c. Non unius eiusdemque significationis esse Processum Vermiformem et Diverticulum Verum, neque hoc formari posse, formatis iam intestinis, nec productum auctae vis formativae esse habendum, ex maxime probabili theoria de Intestinorum formatione, quam dein tradituri sumus, patebit.

Consideratis hisce de diverticulorum origine opinionibus, perspicimus, naturae scrutatores, uti in tot aliis physiologicis problematibus, ita quoque in hac causa a dubiis incertisque initiis, dein per uberiorem observationum numerum diligentemque examinationem atque comparationem, ad minus dubia et certiora pervenisse, ut obiectum hoc a vicinis certarum stabiliumque notarum ope distinguerent, et sic claram rei sibi compararent ideam. Ingenium autem humanum, eo non contentum, altius adscendere videmus, et, philosophico more, obiecti eruere caussas conari, ut cum idea clara adaequatam coniungat: ita enim vidimus, primos observatores, omni comparatione destitutos, diverticula habuisse pro effectu morbi illius, quocum simul coniuncta observabantur. Sic LITTRIUS, quique eum sunt secuti, herniam accusabat, SCHRÖCKII asseela vermes, utroque praeterea magnam partem attribuente dilatationi per faeces, donec MORGAGNIUS duplicem diverticulorum esse speciem demonstravit, alteram a morbo productam, alteram a prima conformatione repetendam. Nostra autem aetate et modum enucleare annisi sunt acutissimi Physiologi, quo ipsa haec prima conformatio diverticula producere possit, atque hic diversi ingenii homines in varias partes abiisse nobis apparuit; MECKELIUS enim illud canali Omphalo-Intestinali adscripsit; LUCAEUS angulo, ad quem utrumque intestinum coït; FLEISCHMANNUS denique luxuriosae systematis vasculosi vegetationi.

---

(1) *Deutsch Archiv* B. III. H. I. p. 42.

CAPUT TERTIUM.

DIVERTICULORUM CONSIDERATIO SPECIALIS.

§ 1.

Conftitutio huius loci.

In antecedentibus collatis noftri argumenti obfervationibus, hic illic disperfis, iam, duce hiftoria, varias diverticulorum perfcrutemur proprietates, ut pateat demum, quid in iis conftans, quid fortuitum fit habendum. Uti enim omnium aliarum rerum, ita et diverticulorum proprietates, aut ad *generales* five *esfentiales*, aut ad *fpeciales* five *fortuitas* reduci posfunt. Priores, in omnibus, quotquot reperiuntur, diverticulis obfervandae, ex interna eorum natura proficiscuntur; pofteriores autem, fortuitas tantum eorum indicant differentias.

Ad proprietates generales referantur:

1°. Diverticulorum ftructura,

2°. fedes in canali inteftinali,

3°. numerus.

Proprietates autem fpeciales reduci posfunt ad eorum

1°. infertionem in inteftinum,

2°. longitudinem,

3°. capacitatem,

4°. figuram.

Hisce confideratis; examinabimus, num diverticula revera fint connata; tandemque breviter exponemus, cum quibusnam aliis primae formationis aberrationibus fubinde complicata esfent.

§ 2.

Structura.

Diverticula vera eadem prorsus, qua inteſtinum, in quo exſtant, gaudere ſtructura, omnes fere confirmant obſervatores, qui hac de re expresſis verbis locuti ſunt.

LITRIUS autem in ſacco herniae diverticulum invenit, cuius parietes admodum erant tenues, nullae in eo fibrae muſculares conſpici poterant, vaſa quoque valde erant ſubtilia. Haec autem parietum per faeces extenſioni esſe adſcribenda, ſatis facile patet ex ipsius diverticuli figura irregulari: neque mirum, talem expanſionem (quae et in ipsis inteſtinis minime raro obſervatur) in diverticulis obtinere aliquando, dummodo ad viam, quam faeces hac in re abſolvere debent, attendamus. Materiae enim faeculentae, e diverticulo in inteſtinum redeuntes, occurrunt faecibus, in inteſtino iuxta diverticulum deſcendentibus, ab his in progresſu ſuo cohibentur, hinc diverticulum reddunt expanſum, et membranas tenues; quae omnia facilius etiam intelliguntur, ſi cogitemus, diverticulum, a LITRIO obſervatum, in ſacco herniae fuisſe contentum, atque ab Annulo Abdominali conſtrictum.

Semel quoque AMYANDUS diverticuli, in ſacco herniae contenti, parietes aliquanto tenuiores invenit, quam tunicas inteſtini, cui adhaerebat, cum quo caeterum eiusdem plane erat habitus.

Diverticulum, quod MERYUS itidem in hernia invenit, tunicis multo crasſioribus, vaſisque magis turgidis erat inſtructum, quam inteſtinum. Hanc vero diverticuli conditionem herniae fuisſe effectum, quilibet facile agnoscet, qui animadverterit, non tantum diverticulum, ſed et inteſtini partem eam, quae in ſacco hernioſo continebatur, tunicis fuisſe inſignem, reliquo inteſtino multo crasſioribus.

HALLERUS (1) dubitat, num tunica muſcularis diverticulis revera adſcribenda ſit.

SOEMMERINGIUS et FLEISCHMANNUS ſemel, ter OTTO, in diverticulis perſpicuas obſervaverunt fibras circulares, longitudinales autem non poterant detegi.

(1) *Elem. Phyſ.* Tom. VII. p. 96.

Narrat WEITBRECHTIUS, diverticulum, a se observatum, propriis suis fibris motricibus fuisse praeditum.

In diverticulo, a LUCAEO observato, fibrae longitudinales uno ductu ab Ileo superiore usque ad diverticuli apicem procedebant, et huius fibrae transversae parallelae erant iisdem in Ileo superiore.

MECKELIUS in diverticulo, 4 poll. longo, distincte fibras longitudinales vidit a tubo intestinali discedentes, et opposita directione, per omnem diverticuli longitudinem, usque ad eius apicem sese extendentes; fibrae hae, ad diverticuli basin, in nonnullos fasciculos erant collectae, et infra eas dilucide observabantur fibrae circulares (1). Idem praeterea in altero diverticulo, 1½ poll. longo, utrumque fibrarum stratum perspicue detegit (2). In tertio denique, 1 poll. longo, fibras longitudinales haud interrupte a diverticulo ad intestinum ipsum transeuntes conspexit (3).

Eandem prorsus diverticulo esse tunicarum structuram, atque ipso Ileo, asseruerunt LUDWIGIUS et BOSIUS (4), et se invenisse expresse significarunt ANONYMUS in observ. VRATISL., MORGAGNIUS, TABARRANIUS, GREDINGIUS, SANDIFORTIUS, CONSBRUCHIUS, LUCAEUS, FLEISCHMANNUS. MECKELIUS (5) praeterea, in pluribus quam viginti speciebus, tunicam muscularem, ut et reliquas tunicas, eodem plane modo constitutas observavit, atque in Ileo, licet fere fibrae transversae multo magis essent conspicuae, quam longitudinales.

HALLERI itaque, Viri Perillustris, opinioni opponere liceat observationes, quas bene multas citavimus, comprobantes, diverticula tunica musculari revera esse instructa.

Diverticula, qualia SOEMMERRINGIUS, FLEISCHMANNUS et OTTO, fibris longitudinalibus destituta, animadverterunt, sane non erant perfectissima; attamen et in ipso intestino Tenui fibrae longitudinales semper multo minus sunt robustae, quam circulares, imo saepius prorsus conspici non possunt. Con-

(1) *Pathol. Anat.* p. 556.
(2) Ibid.
(3) Ibid.
(4) *De diverticulis Intestinorum.* p. 18.
(5) L. l.

cludimus itaque, hancce fibrarum longitudinalium abſentiam, in diverticulis interdum obſervatam, et earum conditionem, in genere minus robuſtam quam circularium fibrarum, quemadmodum monet MECKELIUS, potius ſtructurae convenientiam, quam discrepantiam indicare.

Neque minus conveniunt diverticuli et inteſtini membrana interna, quam tunica muſculoſa.

HUNALDUS diverticulum, a ſe obſervatum, per omnem ſuam longitudinem glandulis fuisſe obſesſum narrat. In diverticulis, quae LUCAEUS et SOEMMERRINGIUS deſcripserunt, glandulae mucoſae in interna ſuperficie conſpicuae erant. FLEISCHMANNUS bis in diverticulis glandulas aeque numeroſas conſpexit, atque in inteſtino ipso. WRISBERGIUS glandulas invenit Peyerianas; Brunnerianas MECKELIUS (1).

TABARRANIUS in diverticulo invenit valvulas ſemilunares; OTTO 5 vel 6 valvulas Kerkringianas; in noſtro diverticulo, ordine quinto, 2 itidem aderant valvulae Kerkringianae. Cum autem diverticula plerumque occurrant in parte inteſtini, valvulis carente, mirum non est, huius rei exempla tam esſe rara.

Alius fortasſe ſignificationis ſunt valvulae, ad orificium diverticulorum poſitae, quales obſervarunt BONAZZOLIUS in uno, MECKELIUS (2) autem in tribus diverticulis. Horum duo multo anguſtiora erant, quam Inteſtinum; in primo, ½ poll. longitudine et capacitate aliquanto minore, omnis orificii ambitus valvula circumdabatur, in altero latere 1 lin., in altero 4 lin. lata, verſus inteſtini cavum inclinante: alterum diverticulum, diametro quadruplo minori, quam inteſtinum, cui oblique adhaerebat, in angulo illo acuto, quem cum inteſtino formabat, valvulam gerebat valde eminentem: tertium denique, 4 poll. longum, ad perpendiculum inteſtino iunctum, in parte orificii ſuperiore inſignem valvulam offerebat. Secundum MECKELIUM talis valvula, quemadmodum etiam collum anguſtum, quocum diverticula interdum ad inteſtinum adhaerent, principium indicat conſtrictionis, per quam diverticulum ab inteſtino ſolveretur (3).

---

(1) L. c. p. 555.
(2) L. c. p. 587. tab. Anat. Pathol. fig. 8.
(3) L. l.

Quemadmodum reliqua Organa, in facco Peritonaei contenta, ab hoc involuta tenentur, ita quoque diverticula externe tunica obducuntur Peritonaeali.

Vasorum denique fanguiferorum distributio (1) eandem in diverticulo fequitur normam, atque in ipso inteftino. Plerumque unus ramus maior, prodiens ex arteria Mefenterica eique analogus, iuxta diverticuli longitudinem decurrit, ad utrumque latus fuos emittit ramulos, transverfe diverticulum cingentes, tandemque anaftomofibus copiofis coëuntes. Interdum etiam plures reperiuntur rami longitudinales, vulgo autem unus caeteris maior exiftit, et reliqui ad latera ftatim deflectunt et circulares evadunt. Vafa autem pro diverfa diverticuli in inteftino fede difcrimen quoddam offerre videntur; fi enim diverticulum prope Mefenterium Ileo inferitur, per unum tantum diverticuli latus Mefenterio inftructum decurrunt; fin vero diverticulum Ilei parieti antico infideat, duo vulgo reperiuntur rami, iuxta utriusque lateris longitudinem decurrentes.

Cum itaque omnes diverticuli tunicae eodem prorfus modo fefe habeant, atque in inteftino Ileo; cum et valvulas et glandulas in illis obfervaverint varii auctores; cum denique vaforum diftributio in utroque eandem fequatur normam; diverticuli ftructuram plane eandem esfe, atque inteftini Ilei, pronunciare non haefitamus.

§ 3.

Sedes in inteftino.

De diverticulorum verorum fede in Ileo, Anatomicorum bene multorum confentiunt effata.

Ruyschius huc refpiciens ait: „eiusmodi diverticula, ut plurimum, fi non femper, in Ileo occurrunt" (2).

Hallerus „plerumque, inquit, quantum vidi, in Tenui inteftino, inque „eius parte novisfima imprimis, quae Ileum dicitur, valde frequens est, inte„ftinum hinc quidem cylindrum fuum continuare, aliquando etiam ea parte „foveam impresfam gerere, inde vero appendicem erigere" (3).

Sandifortius dicit „in Ileo aliquoties, pollicem et ultra longas appendi-

(1) Vaforum in diverticulis decurfum et distributionem delinearunt Meckel, *Tab. Anat. Path.* fafc. 3. tab. XXI. Fig. 2—6. Ludwigius, *Adverf. Med. Pract.* Vol. I. p. 2. Fig. 2.

(2) Thesaur. VII. p. 10.

(3) L. c.

„ces, eiusdem capacitatis ac inteſtinum ipsum, animadverti, neutiquam in in-
„teſtino alio" (1).

Cum hisce etiam conveniunt MORGAGNII, LUDWIGII, HEUERMANNI, SOEMMERINGII, MECKELIIQUE teſtimonia, et ſat magna auctorum corona, qui aut ſemel, aut iterata vice, in hoc inteſtino diverticula obſervarunt, iisque deſcribendis vel etiam delineandis operam dederunt. Quas enim hiſtoria nobis praebuit obſervationes, eae omnes diverticulorum ſedem in Ileo confirmant, ſi paucisſimas excipias, iam breviter recenſendas.

HEUERMANNUS diverticulum, 5 poll. longum, inteſtini Tenuis capacitate, in Colo conſpexit Transverſo. Huius autem procesſus ſedes in inteſtino, in quo nunquam diverticula vera ſunt obſervata, Coli porro fabrica peculiaris, bulloſa, qua faeces in progresſu ſuo facilius cohibentur et retinentur, ipsarum tandem faecum hicce loci maior ſpisſitudo, indeque enatus transitus difficilior et maior vis urgens in parietes; haec igitur omnia ſimul ſumta probare videntur, productionem hancce haud fuisſe verum diverticulum, ſed bullam reliquis longiorem.

MORGAGNIUS ſemel in Duodeno, et ſemel in Recto, diverticulum obſervavit. In Duodeno quidem, ut expresſe ſignificat, cellulam formans non multum extuberantem, nulla cinctam tunica, praeter extimam. In Recti autem poſtico pariete, tribus fere digitis ſupra anum, cellulam formabat, minoris ficus magnitudine, ex eadem atque inteſtinum ſubſtantia. Diverticulum, in Duodeno inventum, non moramur; in eo enim characteres veri diverticuli deſiderantur. Aliter autem res ſeſe habet diverticuli, in Recto obſervati, cum tunicarum ſtructura vix ullum de eius genuina indole dubium relinquere videatur. Non autem quamlibet Inteſtini dilatationem lateralem ſtatim pro Diverticulo Vero esſe habendam, credimus, praecipue quando de Recto Inteſtino agitur, quod loci anguſtia, faecum obſtructionibus, caeteris, tantopere variis obnoxium est dilatationibus. Facile itaque intelligimus, cellulam quandam in eo formari potuisſe, vix tamen crederemus iſtam effecisſe verum diverticulum.

GREDINGIUS in fatuo et in maniaca plures obſervavit procesſus Coli Transverſi ac Siniſtri: horum autem numerus inſignis, figura hemiſphaerica, nucum denique iuglandium minorum circumferentia, tot ſpuriorum diverticulorum notas referunt.

---

(1) *Obſerv. Anat. Path.* lib. I. cap. X. p. 125.

FLEISCHMANNUS (1) in foetu, plurimis difformitatibus inſigni, verum diverticulum ſe inveniſse narrat, eo in loco, ubi inteſtinum Coecum in Colon transit, textura prorſus eadem, qua inteſtinum Crasſum. Hoc autem non pro vero diverticulo, ſed inteſtino Coeco aut Vermiformi duplicato haberemus: notandum enim, FLEISCHMANNUM, ſecundum ſuam theoriam, nullam agnoscere differentiam inter inteſtinum Coecum et verum diverticulum, adeoque et hoc loco verum nominasſe diverticulum, quod alii Coecum duplicatum dixisſent.

Ex disputatis hisce ſatis itaque patet, nullum hiſtoriam nobis praebuisſe exemplum diverticuli (puta quod ulla cum probabilitate ad *vera* reduci poſsit) in alio inteſtino, quam in Tenui, poſiti.

De loco autem, quem in ipso hoc inteſtino Tenui occupabant, ſequentia apud diverſos ſcriptores notata invenimus; ita

Diverticulum a Coeco remotum obſervarunt:

a. in *foetubus*, aut *infantibus*:

FLEISCHMANNUS in foetu 3½ menſium 2 poll., in puero ¾ anni 1½ ſpitham., in alio 1 anni ½ ulnam; OTTO in monſtro nonnullos pollices; SCHULZIUS in neonato 4 poll. latos; ZWINGERUS in infante paucis a partu diebus 10 poll.; IAEGERUS in altero infante 6 hebdomadum 12 poll., in altero 1¼ anni 20 poll.

b. in *adultis*, aut *incertae aetatis individuis*:

BONAZZOLIUS 6 digitos transverſos; WEITBRECHTIUS latam manum; FLEISCHMANNUS 2, SLICHTINGIUS 5 ſpithamas; OTTO (ter) nonnullas ſpithamas; MOSCATIUS 2½, GREDINGIUS 3 pedes; VAN DOEVEREN ulnam. Praeterea MEIBOMIUS diverticulum ſe inveniſse dicit, *non longe a Crasſis* et MORGAGNIUS, *Colo propius quam Ieiuno.* Diverticula, quae ter obſervavit BOSIUS (2), in ultimis erant Ilei gyris.

MECKELIUS octies, eadem relativa proportione, a Coeco disſita repperit diverticula, in recenter natis pedem, in adultis 3 aut 4 pedes; e 20 praeterea aliis ſpeciebus nulla a Coeco longius remota fuit (3).

---

(1) FLEISCHMANN. l. c. p. 28.
(2) L. l. p. 24, 25.
(3) REIL, *Archiv* Bd. 9. Hft. 3. p. 445. *Pathol. Anat.* Bd. 1. p. 567.

Remotum erat diverticulum nostram ordine:

primum	a *Valvula Coli*	8 palm.	a *Valvula Pylori*	3 uln.	2½ palm.
secundum	——— ———	6½ ———	— ——— ———	4 ———	3 ———
tertium	——— ———	3½ ———	— ——— ———	6 ———	
quartum	——— ———	14 ———	— ——— ———	7½ ———	
quintum	——— ———	10 ———	— ——— ———	6 ———	

In recenter nato diverticulum a Coeco distabat 4 palm. 7½ poll., et a Ventriculo 2 uln. 8 palm. 8 poll.

Ex hisce itaque patet, diverticula quidem in Ilei parte infima esse sita, non tamen hic semper unum eundemque occupare locum, sed eorum a Coeco distantiam, relatam ad totius intestini Tenuis longitudinem, in aliis esse breviorem, in aliis longiorem: imo GREDINGIUS semel in medio Ieiuno diverticulum invenit, hemisphaericum, nucis iuglandis circumferentia: plura in Ieiuno obvia obiter citat WALTERUS (1). Haec autem utrum vera fuerint diverticula, nec ne, nequaquam nobis constat, cum nulla eorum addita sit descriptio.

§ 4.

Numerus.

Non plura diverticula vera, quam unum tantum, in eodem occurrere intestino, iam supra tanquam veri diverticuli signum characteristicum indicavimus. Attamen SCHRÖCKIUS in cadavere iuvenis, per aliquot annos doloribus abdominis in regione umbilicali, et vermibus affecti; in Ileo tres tumores membranosos proxime sese contingentes invenit, quorum duo eius erant capacitatis, qua mediocrem nucem iuglandem recipere possent, tertius autem paullo minor exstiterat. Sin autem processuum horum magnitudinem et figuram consideremus, iisque intestinorum conditionem morbosam, tam diu continuatam, adiiciamus, hanc illorum caussam fuisse facile agnoscimus.

GUNZIUS narrat, se semel in eodem Ileo duos processus minores invenisse; cum vero scriptor hicce de eorum characteribus nullam plane fecerit mentio-

(1) IOHANNES GOTTLIEB WALTER, *Museum Anatomicum* Berolini 1805. 4to. Ieiunum cum diverticulo, ex adulto. Part. I. Sect. II, nº. 706. Ieiunum cum processu coeco, e quadragenario Part. II. Sect. II, nº. 1576 et e quinquagenario nº. 1577.

nem, nulla quoque nobis adesſe videtur probabilitas, qua haec diverticula vera habeantur.

Si conſideramus, nullum e reliquis, quos citavimus, auctoribus plura uno tantum diverticulo vero in eodem invenisſe inteſtino, hanc certo conditionem eodem iure omni exceptione maiorem dicemus, quo de diverticulorum ſede in Ileo et ſtructura, cum hoc inteſtino conveniente, pronunciavimus. Ceterum fieri etiam potest, ut in inteſtino, vero diverticulo praedito, diverticula ſpuria a morbo quodam producantur; quale exemplum obſervavit SOEMMERINGIUS.

In fine huius loci de diverticulorum proprietatibus esſentialibus addere liceat, non tantum ea, quae ipsi observavimus, diverticula, ſed etiam quae in itinerationibus, diverſis in Muſaeis, plurima vidimus, numerum centenarium longe excedentia, haec igitur omnia in eodem inteſtino numquam plura uno fuisſe, idque in Ileo ſemper ſitum, eiusdem cum hoc ſtructurae.

§ 5.

Inſertio in inteſtinum.

Conſideratis diverticulorum proprietatibus esſentialibus, iam transeamus ad eorum proprietates fortuitas, et primo quidem ad eorum inſertionem in Ileum; in quo loco in cenſum potisſimum veniunt 1° inteſtini latus, e quo oriuntur: 2° meſenterium, quo interdum gaudent: 3° angulus, ad quem ab Ileo discedunt: 4° eorum directio.

Interdum diverticula antico Ilei inſeruntur parieti; interdum uni alterive eius lateri, prope Meſenterium, vel etiam ad hoc. Priorem conditionem, quam MECKELIUS (1) vulgarem dicit, ſemel obſervarunt LITRIUS, MORGAGNIUS, VAN DOEVEREN, GREDINGIUS, ULHOORNIUS, SANDIFORTIUS; bis autem RUYSCHIUS, LUDWIGIUS, OTTO; ter denique FLEISCHMANNUS. Posteriorem vero conditionem ſemel videre ZWINGERUS, HUNALDUS, DELIUS, GREDINGIUS, LUCAEUS, FLEISCHMANNUS et OTTO; LUDWIGIUS bis; MECKELIUS autem pluries. Nos illam ſemel, hanc ſexies invenimus.

(1) *Path. Anat.* p. 587.

Si diverticula ex inteſtino exſurgunt prope Meſenterium, hoc plerumque ad illa producitur: ita GREDINGIUS meſenterium, diverticulum ad 10 usque lineas comitans, conſpexit. SOEMMERINGIUS et BOSIUS (1) diverticuli meſenterium invenerunt, omnino cum Proceſsus Vermiformis meſenterio conveniens: praeterea ſemel LUCAEUS et OTTO, bis GUNZIUS et LUDWIGIUS, pluries MECKELIUS (2) diverticulorum meſenteria animadverterunt. Nos quinquies meſenterii propaginem, modo maiorem, modo minorem, ad diverticulum transeuntem vidimus.

Secundum HALLERUM et MECKELIUM (3) diverticula vulgo ad angulum magis minusve rectum in inteſtinum inſeruntur, quod ſemel quoque obſervarunt GREDINGIUS, WRISBERGIUS, BOSIUS; bis MORGAGNIUS et LUDWIGIUS; MECKELIUS quater et viceſies (4). Contra diverticula ſaepe etiam inteſtino inſident oblique, ita ut ab altera parte angulum cum eo efficiant acutum, ab altera autem obtuſum, quemadmodum hoc conſpexerunt LUDWIGIUS, AMYANDUS, FLEISCHMANNUS, LUCAEUS; et hi quidem ſemel, GUNZIUS autem bis, et MECKELIUS ter (5). Nos priorem conditionem bis, poſteriorem vero quinquies invenimus.

Interdum diverticula tam oblique Ileo adhaerent, ut ad certam longitudinem ipsi Inteſtino adiaceant, quemadmodum inter alios obſervavit MECKELIUS (6), et noſtra Fig. 2 exhibetur: aut interdum unum diverticuli latus eadem, haud interrupta, directione cum Ileo ſuperiore vel inferiore decurrit, uti in diverticulo, a LUCAEO obſervato, locum habuit.

Differt quoque directio diverticulorum, ad angulum acutum inteſtino appoſitorum; HUNALDUS ita eam ſemel invenit, ut diverticuli orificium ad inferiora, apex autem ad ſuperiora ſpectaret, quam cum MECKELIUS (7) ſemper obſervaret, coniici forſitan poſse dixit, diverticula magis pertinere ad Ilei

---

(1) L. c. p. 19.
(2) *Pathol. Anat.* p. 558.
(3) L. l. p. 585.
(4) L. l.
(5) L. l.
(6) L. l.
(7) L. l. p. 568, 587.

partem inferiorem, quam ad ſuperiorem. Quominus autem huic coniecturae adſtipulemur, obſtant obſervatae directiones oppoſitae; AMYANDUS enim et LUCAEUS diverticulum invenerunt, quod cum Ilei parte inferiore angulum efformabat acutum, cum parte autem ſuperiore eadem continuabat directione, imo in LUCAEI exemplo nulli plane aderant limites inter diverticulum et Ileum ſuperius. Nos utramque invenimus directionem; diverticulum quippe 1mum, 3tium, 4tum, 7mum, magis minusve vergebant ad inteſtinum Craſſum; diverticulum contra ordine ſecundum, ad partem inteſtini ſuperiorem ſpectabat.

Semel nos, uti DELIUS, diverticulum inteſtino impoſitum invenimus inter duas valvulas conniventes.

Subinde inteſtini latus, diverticulo obverſum, angulo quodam aut impresſione conſpicuum est. Iſtud ſecundum MECKELIUM (1) tum plerumque locum habere ſolet, ſi diverticulum ad perpendiculum Ileo ſit impoſitum, et tum capacitate, tum longitudine excellat. Talem impresſionem iam delineavit RUYSCHIUS; annotavit HALLERUS; MORGAGNIUS vel abſciſſo meſenterio perſtantem obſervavit; ſemel praeterea conſpexerunt FLEISCHMANNUS, LUCAEUS, OTTO; noſtra denique figura ſeptima repraeſentat. MECKELIUS hanc impresſionem prae reliquis inſignem invenit in tribus inteſtinis, longisſimis diverticulis praeditis: in illorum altero Ilei pars ſuperior ad pollicis longitudinem inferiori proxime adiacet, quo loco diverticulum obſervatur; utraque autem Ilei pars in diverticulum transit. Idem quoque bis talem impresſionem animadvertit, diverticulis, licet minoribus, utpote pollicem tantum longis (2). In genere tamen, ſi inteſtini latus oppoſitum angulum efformat, ipsum diverticulum ſolito longius et amplius reperitur, quod, uti etiam memorat MECKELIUS (3), apprime convenit cum ipsa canalis inteſtinalis conditione in ea embryonis periodo, quando inteſtinum ſuperius et inferius angulum conſtituunt acutum, ad quem Ductus Omphalo-meſeraïcus inſertus est.

---

(1) L. l. p. 586.
(2) L. l.
(3) L. l.

§ 6.

Longitudo.

Diverticulorum longitudo plurimis varietatibus obnoxia est: attamen HEUERMANNUS ea pluries digitum, SANDIFORTIUS et MECKELIUS plerumque pollicem fere longa invenerunt, quae menfura fecundum hunc proportione prorfus convenit cum longitudine diverticuli in embryone trimeftri obvii. WALTHERUS diverticulum animadvertit longitudine medii digiti, MEIBOMIUS aliquot digitorum: diverfa praeterea diverticulorum longitudo, in diverfis aetatibus obfervatorum a variis fcriptoribus, fequenti tabula proponitur.

Obfervatores.	Aetas Speciei.	Longitudo Diverticuli.	Quoties obfervata.
FLEISCHMANN . . .	in foetu $3\frac{1}{2}$ menfium.	1 poll.	
TIEDEMANN	in Acephalo	$1\frac{1}{2}$ lin.	
IDEM	in Anencephalo . .	$14\frac{1}{2}$ lin.	
OTTO	— ——— . .	2 poll.	
THAMM.	in recenter nato . .	1 poll.	
Equidem	— ——— .	2 poll.	
IAEGER	in infante 6 hebd. .	$1\frac{1}{2}$ poll.	
FLEISCHMANN . . .	——— $\frac{3}{4}$ anni .	itid.	
IDEM	——— 1 —— .	2 poll.	
IAEGER	——— $1\frac{1}{2}$ —— .	3 poll.	
FLEISCHMANN . . .	in infante 7 annorum	$2\frac{1}{2}$ poll.	
AMYAND	——— 10 ———	5 poll.	
OTTO	in adulto	1 poll. . .	. . . bis.
FLEISCHMANN . . .	—— ———	1 poll. 1 lin.	
OTTO	—— ———	$1\frac{1}{2}$ poll.	
CONSBRUCH			
SCHLICHTING . . .			
WEITBRECHT	in adultis . . .	2 poll.	
MERY			
FLEISCHMANN . . .			
Equidem			
MECKEL	—— ——— . . .	itid. . . .	. . . bis.
LUDWIG			
IDEM	—— ——— . . .	$2\frac{1}{2}$ poll.	
WRISBERG			

Obſervatores.	Aetas Speciei.	Longitudo Diverticuli.	Quoties obſervata.
LUCAE			
BOSE	in adultis	3 poll.	
Equidem			
MECKEL	— —— . . .	3 poll. . .	. . . . bis.
SOEMMERRING . . .	in adulto . . .	3 poll. 6 lin.	
DE LITRE	— —— . . .	3 poll. 8 lin.	
IDEM			
VAN DOEVEREN . .	in adultis . . .	4 poll.	
HUNAULD			
MECKEL			
MOSCATI	— —— . . .	5 poll.	
Equidem			
AMYAND	— —— . . .	6 poll.	
Equidem			
——— . . .	in adulto . . .	7 poll.	
——— . . .	— —— . . .	9 poll.	
COCCHI (1)	— —— . . .	8 digitos.	
BONAZZOLIUS . . .	— —— . . .	unciam.	
GUNZIUS	— —— . . .	4 uncias.	
GREDING	— —— . . .	37 lin.	

Licet propter diverſitatem menſurae, a variis obſervatoribus adhibitae, haud ita certo conſtet de vera diverticulorum, in tabula expoſitorum, longitudine, facile tamen ex hisce patet, vix indicari poſſe, quaenam ſit eorum longitudo maxime vulgaris. Differre autem videtur diverticulorum longitudo pro tempore, quo natura in conſtringendo Ductu Omphalo-Inteſtinali ſit cohibita; quod ſi priori iam tempore obtineat, quando iſte Ductus pro maxima parte integer adhuc exſtat, diverticulum exoritur longum, ſin vero poſteriori demum tempore, quando Ductus iam pro maxima parte coaluit, diverticulum evadit breve.

(1) HALLERI *El. Phyſ.* Tom. VII. p. 97.

§ 7.

Capacitas.

Diverticula cum Inteftino Ileo habent diametrum vel eandem, vel minorem, vel rarisfime maiorem. Primam animadverterunt capacitatem SCHLICHTINGIUS, BONAZZOLIUS, DOEVERENUS, LUDWIGIUS, SANDIFORTIUS, SOEMMERINGIUS, WRISBERGIUS; bis AMYANDUS; MECKELIUS (1) in plerisque fpeciebus: nos quidem eandem hanc invenimus ter. Contra LUDWIGIUS in foetu diverticulum deprehendit 6 lin., Ileum vero 8 lin. amplum. Noftri diverticuli, ordine primi, bafis 2½ poll. lata est, Ilei autem diameter 3 poll. refert. Diverticulum ordine fecundum et quartum duabus tertiis partibus ipsius inteftini capacitatis gaudent, in hisce quippe Ileum 3 poll., diverticulum vero 2 poll. amplum obfervatur. Diverticula, dimidiae tantum Ilei capacitatis, animadverterunt FLEISCHMANNUS bis, et MECKELIUS octies (2); nos femel invenimus. Praeterea BOSIUS et MECKELIUS (3) diverticulum reperierunt, unam quartam tantum inteftini partem amplitudine referens. MECKELIUS (4) duo vidit diverticula ampliora, quam inteftina, quibus infidebant. Itidem LUDWIGIUS diverticulum defcribit conicum, ad orificium 2 poll. diametrum referens, etfi ipsum Ileum 1 poll. diametrum vix fuperabat. Simili denique ratione SCHULZIUS fe obfervasfe narrat Neonati diverticulum, in bafi fua inteftini latitudinem bis excedens, abhinc vero continue in acutum abiens.

Tandem monendum adhuc, licet diverticula longiora vulgo quoque fint ampliora, haud tamen certam exfiftere proportionem inter longitudinem eorum et capacitatem: ita v. c., ut plures mittam, MERYUS diverticulum vidit 1 poll. amplum, 3 fere poll. longum; WEITBRECHTIUS 1 poll. amplum, 2 poll. longum;

(1) L. l. p. 581.
(2) Ibid.
(3) Ibid.
(4) Ibid.

MECKELIUS (1) quater longitudinem capacitati aequalem animadvertit: nostrum diverticulum, ordine primum, 9 poll. longum est et 2½ poll. amplum; sextum contra, 2 poll. longum, ad basin vero 3 poll. amplum: quaeque alia sunt huius generis.

Interdum intestinum Ileum ad diverticuli insertionem vel dilatatur, vel angustatur: priorem conditionem observarunt LUDWIGIUS et BOSIUS (2), et MECKELIUS tum potissimum deprehendit, quando diverticulum et Ileum eadem erant capacitate (3). Nos bis unum tantum Ileum inferius ad diverticuli basin capacitate increscens invenimus, semel contra unum Ileum superius; semel denique solum Ileum inferius ad diverticuli insertionem angustatum vidimus.

§ 8.

Figura.

Diverticula figura tam varia sunt, ut vix duo similia invenias; varietatum istarum aliae a prima inde origine pendent, aliae postea demum a conditionibus fortuitis oboriuntur.

Plerumque tamen diverticula vel cylindrica sunt, vel conica, ad insertionem scil. in intestinum, sive ad sic dictam basin, ampliora, versus apicem autem angustiora: haec observarunt semel LITRIUS, GREDINGIUS, SCHULZIUS, OTTO, CONSBRUCHIUS; bis LUDWIGIUS; ter FLEISCHMANNUS; MECKELIUS fere semper (4). Formam autem cylindricam, quam HALLERUS vulgarem dixit, semel reperierunt WEITBRECHTIUS, WRISBERGIUS; bis FLEISCHMANNUS et OTTO. Nos priorem figuram quater, posteriorem ter invenimus.

Formam hemisphaericam viderunt MORGAGNIUS et GREDINGIUS; triangularem MEIBOMIUS; quadriangularem ANONYMUS in COLL. VRATISL.

Non semper diverticula recta linea decurrunt, sed interdum versus finem in-

---

(1) L. l. p. 583.
(2) p. 15.
(3) L. l. p. 585.
(4) L. l. p. 584.

curvantur, ita ut apex eorum cum reliquo diverticulo angulum efformet, quemadmodum reperierunt femel SCHLICHTINGIUS, bis SANDIFORTIUS; nos item, maiori minorive gradu, ter deprehendimus. Diverticuli cuiusdam, a MECKELIO defcripti, apex cum reliqua parte angulum conftituebat valde acutum, fimulque duplo minorem habebat capacitatem (1).

Subinde diverticula ad bafin anguftiora funt, quam in reliqua directione; ita MECKELIUS de diverticulo exponit, 4½ poll. longo, ad bafin ¾ poll., in reliquo decurfu ultra pollicem amplo: in alio etiam diverticulo eadem fere confpexit (2). GREDINGIUS obfervavit diverticulum conicum, cui velut capitulum infidebat, reliquo diverticulo multo amplius. SOEMMERINGIUS diverticulum invenit pyriforme: diverticulum, a DOEVERENO defcriptum, ad bafin colli inftar erat coarctatum, et dein in faccum ampliorem fefe explicabat. Notabilis tandem erat forma diverticuli, a TIEDEMANNO in Anencephalo obfervati, veficulam referentis pyriformem, humore albido flavescente repletam, et angufti canalis ope cum antico inteftini pariete fefe coniungentem. Cum ifto quodammodo convenit diverticulum, cuius defcriptionem tradidit PEYRILHE; hic fcil. in fene, medio in Hypogaftrio et partim quoque in regione Inguinali finiftra, faccum invenit ovatum, diametro perpendiculari 5, horizontali 4 poll., tunicarum crasfities minima duabus lineis, maxima autem pollici aequalis erat. Adhaerebat faccus ifte Peritonaeo, Veficae Urinariae fundo et canali inteftinali, quo loco Ieiunum in Ileum transibat; in Ileo autem fefe aperiebat orificio circulari, 9 lin. amplo, ope canalis fex lineas longi. Sacci ftructura cellularis erat, et quaevis cellula fubftantiam continebat, glandularum Maxillarium fimilem, in aliis nigram, in aliis grifeam (3).

Anguftia illa, ad nonnullorum diverticulorum bafin, in aliis quidem derivanda videtur ab inchoata hocce loco Canalis Omphalo-Inteftinalis conftrictione, in ulteriori progresfu cohibita; in aliis vero, quemadmodum in exemplo TIEDEMANNIANO et forfitan etiam PEYRILHIANO, a fuperftite ipsa Veficula Umbicali una cum Canali fuo Omphalo-Inteftinali, ita ut diverticuli collum angu-

(1) L. l.
(2) Ibid.
(3) SEDILLOT, *rec. period.* T. 22. p. 85. ex recens. MECKELII l. l. p. 590.

ſtum referat canalem Omphalo-Inteſtinalem, reliqua autem pars expanſa Veſiculam Umbilicalem.

Huius autem loci non eſſe videntur diverticula, a LITRIO, AMYANDO et ULHOORNIO in herniis inventa, licet in principio anguſtiora fuerint; hoc enim credimus probabiliter ortum fuiſſe a compreſſione, vel ipsius Annuli Abdominalis, in quo diverticuli baſis continebatur, vel perizomatis, quod ad ſrenandam herniam adhibuerant aegri.

Notari denique meretur diverticulum, de quo monet MECKELIUS; in infante ſcil. recenter nato, Ileum, 8 fere poll. a Coeco, toto ſuo ambitu expandebatur in ſaccum, 1 poll. longitudine et latitudine, 1½ poll. altitudine, ad cuius utrumque latus Meſenterium producebatur (1).

Cum hac ſpecie MECKELIANA proxime convenit diverticulum (ſi liceat hoc nomine uti), quod aliquando in Monſtro inveni bicorporeo humano, menſis circiter octavi. Ambo hi foetus, ſexus feminei, magnitudine totoque habitu admodum inter ſe convenientes, ad thoracem et abdominis partem dimidiam ſuperiorem coibant. Inteſtina Craſſa (ut reliqua, memoratu licet digniſſima, ad hunc tamen locum minus facientia, ſilentio transeam) nullo adhuc charactere a Tenuibus diverſa, in altero foetu 30 poll., in altero 36 poll. erant longa: illius inteſtinum Tenue, 22 poll. longum, in globum erat convolutum, et fine clauſo terminabatur; huius autem inteſtinum Tenue, in principio itidem in globum complicatum, ad 50 pollicum a Coeco diſtantiam, continuo expandebatur in ſaccum, anteriora verſus eminentem, 2½ poll. longum, 2 poll. altum, 1½ poll. latum, ad eiusque utrumque latus Meſenterium producebatur: ſacci margo ſive paries anterior a duabus plicis ſive inciſuris transverſis quaſi tripartitus erat; ſuperior harum inciſurarum adeo erat inſignis et profunda, ut ſuprema ſacci pars per hanc prorſus a reliquo ſacco ſepararetur, et tanquam peculiaris proceſſus conicus ſeſe offerret. Paululum ſupra huncce proceſſum ductus inſeritur Cyſticus. Inteſtinum Tenue, inde a ſacco, longitudine 10 pollicum decurrit, iamque expanditur in partem multo ampliorem, oblongam, linea recta adſcendentem, 5 poll. longam, ubique 2 poll. amplam, Ventriculum con-

(1) L. l. p. 582.

ſtituentem, qualis in plurimis Amphibiis esſe ſolet: hic aliquantum anguſtatus Diaphragma perforat, et ſtatim in ambos, admodum breves, transit Oeſophagos, qui cum Tracheis et Laryngibus, in poſtica parte apertis, unicum tubum conſtituunt.

In multis diverticulis, praecipue longioribus; fibrae muſculares, ad baſin licet conſpicuae, verſus apicem tenuiores evadunt, rariores atque debiliores, ita ut urgentibus faecibus haud debite reſiſtere posſint, unde in hac potisſimum parte expanduntur tunica Mucoſa et Peritonaealis, ſub forma tuberculorum, magis minusve eminentium, diverticula ſpuria conſtituentium, quae *vero* impoſita, diverticulum reddunt *mixtum*. Duo talia tubercula in fine diverticuli delinearunt RUYSCHIUS, LITRIUS et WEITBRECHTIUS; tria invenit FLEISCHMANNUS. E capitulo diverticuli, a GREDINGIO deſcripti, de quo paulo ante locuti ſumus, tuberculum quoque eminebat. In quatuor quaſi apices eminentes exibat diverticulum, quod deſcripsit ANONYMUS ſaepius citatus. Noſtrum diverticulum, ordine primum, verſus apicem in utroque latere tuberculum gerit, et quartum finitur apice inaequali, tuberculoſo. Loquitur MECKELIUS de diverticulo, ultra 2 poll. longo, ad finem diviſo in tria tubercula, duo minora et unum maius, 1 poll. longum; ad horum tuberculorum apices usque fibrae aderant muſculares et glandulae Brunnerianae. Teſtatur autem ſimul MECKELIUS, ſe in plurimis ſpeciebus animadvertisſe, iſta tubercula tunica muſculari esſe deſtituta. Ita memorat de diverticulo, fere 1½ poll. longo, cuius extremum erat amplius, tuberculoſum et plane pellucidum, cum deësſent fibrae muſculares; quo loco hae deſinebant, exigua aderat valvula circularis. In alio diverticulo tuberculum vidit, acuminatum, anguſtum, inaequale, ½ poll. longum, quod ad angulum fere rectum paullum infra diverticuli apicem exſurgebat. Idem praeterea duo invenit tubercula ad finem diverticuli e foetu ſemeſtri, uti quoque ex infante trimeſtri (1). Ex hisce ſufficienter apparet, in plurimis quidem exemplis haecce tubercula, ſpuriorum more diverticulorum, fuisſe formata e prolapsu tunicae mucoſae per muſcularem, tum quia potisſimum verſus apicem, ubi fibrae muſculares minus ſunt inſignes, aut prorſus deſunt,

(1) L. l. p. 589 et 590.

occurrunt, tum quia saepissime inaequalia deprehenduntur, tenuiora, pellucidiora, imo fibris muscularibus destituta; in rarioribus autem speciebus iam a prima adfuisse origine, cum et MECKELIUS in iis tunicam reperierit muscularem, et in foetu ea iam observaverit semestri.

In nonnullis exemplis a diverticuli apice progrediebatur filum quoddam, vel libere in abdominis cavo dependens, vel ad unum alterumve organon annexum: talem funiculum DOEVERENUS observavit, lineam circiter crassum, valde tenacem, substantia fere ligamenti Hepatis Rotundi, qui Coeci parti laterali sinistrae firmiter adnectebatur. SANDIFORTIUS in recenter nato item tenuem invenit funiculum, a diverticulo ad superiorem Mesenterii partem tendentem. OTTO in Hemiacephalo eiusmodi filum, a diverticulo libere dependens, repperit. In monstro bicorporeo, a KLINKOSCHIO descripto, a fine diverticuli usque ad umbilicum arteria Omphalo-Meseraica sese extendebat. MECKELIUS quoque in infante trimestri vasa Omphalo-Meseraica, a ven. et art. Mesenterica superiore prodeuntia, et iuxta diverticulum decurrentia, conspexit, initio aperta, dein vero in funiculum solidum, umbilico iunctum, abeuntia (1).

Talis funiculus, observantibus MECKELIO et KLINKOSCHIO, e vasis constans Omphalo-Meseraicis, iisque obliteratis in exemplo DOEVERIANO, egregie priorem diverticuli coniunctionem cum Vesicula Umbilicali indicat.

Apici denique diverticuli interdum insidere observatur corpusculum quoddam, externo adspectu habitus quodammodo glandulosi, quale semel invenit SCHULZIUS; semel item conspexit MECKELIUS, atque descripsit tanquam cicatricem irregularem (2). Tale corpusculum in nostro diverticulo, ordine primo, ab eius apice libere dependet, in septimo cum diverticuli mesenterio cohaeret, in tertio denique diverticuli vasa in illud abeunt. Talia corpuscula quasi reliquiae videntur solutionis diverticuli a ductu Omphalo-Intestinali.

---

(1) L. l. p. 575.
(2) L. l.

§ 9.

Diverticula ſunt vitia primae formationis.

Licet ex antecedentibus iam ſatis ſuperque conſtare posſit de iis, quae demonſtranda iam aggredimur, tamen cum in his omnis ulterioris disquiſitionis cardo vertatur, hancce partem accuratiori examini ſubiiciendam esſe putamus: demonſtrare itaque conabimur, diverticula esſe vitia a primo inteſtinorum ortu repetenda: de modo autem, quo ipsa haec tubi inteſtinalis formatio diverticulorum anſam dare posſit, in ſequenti huius commentationis parte disſerere in animo habemus.

Diverticula vera arcto vinculo cum ipsa formatione inteſtinorum cohaerere, perſuaſum nobis habemus, in cenſum adſcribentibus:

1°. Certum eorum et determinatum locum atque numerum; in omnibus enim obſervationibus allatis diverticula ſemper in Ilei parte inferiori erant poſita, nec unquam plura reperiebantur in eodem inteſtino. Et certo nulla durante vita cogitari potest cauſa, quae unice tantum in eundem inteſtini locum ageret; contra vero, omnia organa, a prima formatione iuſte agente producta, numero certo et loco determinato ſunt adſtricta, quod cum in noſtris quoque diverticulis obtineat, et haec primae formationis producta facile habebis.

2°. Structuram Ileo prorſus aequalem; utrumque enim tunicas, eiusdem crasſitiei, eiusdem coloris, eiusdem habitus, verbo, eodem plane modo conſtitutas, habet; vaſorum ramificatio in utroque eadem est; praeterea diverticula cryptis ſcatent muciparis; aliquando valvulis, aut proprio meſenterio ſunt praedita; imo ſaepe cum una alterave inteſtini parte, non interrupto tramite, decurrunt, ita ut nullum terminum inter utrumque invenias, ſed diverticulum tanquam iſtius inteſtini partis finem coecum conſideres.

Haec ſtructurae convenientia diverticulum inter et canalem inteſtinalem ſatis docet, diverticula nullo plane modo morbi alicuius haberi posſe effectus: hi enim ſemper aliquid imperfectum denotant, in diverticulis non obſervandum.

3°. Ob diverticulorum ſtructuram, ſedem et numerum enata de eorum origine a prima delineatione opinio maxime confirmatur, imo ad ſummam evidentiam evehitur ex eo, quod, tam in infantibus recenter natis, quam in foetibus immaturis ſanis, pluries diverticula obſervarunt varii auctores, uti SANDIFOR-

TIUS, LUDWIGIUS, ZWINGERUS, FLEISCHMANNUS, MECKELIUS, ne loquar de tota illa auctorum corona, qui in foetuum monstrosorum descriptione de diverticulis mentionem fecerunt.

§ 10.

Concursus cum aliis deformitatibus.

Diversi admodum generis sunt primae formationis vitia, cum quibus subinde diverticulum complicatum invenerunt varii auctores; diverticula enim conspexerunt in foetibus, in quibus deformitates aderant, a nisu formativo et *diminuto*, et *aucto*, et *alienato* productae; plerumque autem simul observata sunt cum iis vitiis, quae e diminuta virium productricium energia redundabant.

MECKELIUS (1) in acephalo totum canalem intestinalem 11 poll. longum invenit, quorum crasso 8½, tenui vero intestino 3½ poll. erant. Intestinum tenue in parte superiori terminabatur duabus appendicibus coecis, aequalis longitudinis et capacitatis; altera harum, cum intestino eadem directione decurrens, eius continuationem efficiebat, altera vero, ex intestini latere anteriori proveniens, et in cavo abdominali locum occupans, umbilico directe oppositum, diverticulum formabat.

Eadem fere ratione res sese habuit in quodam ex acephalis, quos descripsit TIEDEMANNUS; in hoc, uti omnia fere abdominis viscera, ita ventriculus quoque et intestini tenuis pars superior deërant; ileum autem, ubi umbilico erat oppositum, diverticulum habebat.

Acephalus, cuius anatomicam descriptionem dedit ISENFLAMMIUS, praeter alia plurima et ventriculo erat destitutus; intestinum tenue, superne clausum et libere in abdomine fluctuans, in medio ileo diverticulum offerebat.

Cum hisce etiam fere convenit MALACARNII observatio de acephalo humano, secundum quam in regione umbilicali intestina ortum sumserant a duobus apicibus clausis. Eandem conditionem et semel in agno acephalo se reperisse testatur idem (a).

---

(1) *Beyträge zur vergleich. Anat.* B. I. H. 2. Leipz. 1809. p. 146.

(a) Nuperrime mihi quoque contigit in agno acephalo similem facere observationem, cuius brevem descriptionem hic addere liceat. — In hoc monstro ne minimum quidem aderat capitis aut

Meryus in acephalo nec ventriculum, neque inteſtinum tenue detexit, ſed coecum, cum duobus processibus vermiformibus, ſuperiorem cavi abdominis partem occupaſſe narrat. Quando autem hanc obſervationem cum modo citatis comparamus, nullum certo dubium ſupereſt, quin alter ex hisce processibus vermiformibus diverticulum fuerit verum, praeſertim ſi conſideramus, proceſſum vermiformem in foetu breviorem eſſe et capaciorem, quam in corpore adulto, imo in illo ipſam eſſe coeci prolongationem, unde omnis fere differentia diverticulum inter et proceſſum vermiformem tollitur.

---

colli veſtigium, ſed cutis thoracis partem anticam tegebat; genitalia externa, anus et cauda deſiderabantur, neque ulla hisce locis in cute ſtructurae differentia obſervabatur; extremitates autem, tam anteriores, quam poſteriores, integrae erant. Partes, cavum abdominis includentes, in parte antica et media prorſus deërant, ut apertura adeſſet, per quam peritonaeum, tanquam ſaccus pellucidus, liquore limpido impletus, penetrabat. Aperto hocce ſacco, nullum fere de visceribus abdominalibus inveni; hepar, lien, renes ſuccenturiati, ren ſiniſter, deërant omnia. Ventriculus et inteſtini tenuis pars ſuperior itidem deſiderabantur: inteſtinum Colon et Coecum rite ſeſe habebant, Recti autem finis cum Veſicae Urinariae collo coibat. Inteſtinum Ileum in globum convolutum, ſpinaeque incumbens dorſali, ſupra in duos abibat apices clauſos, quorum alter inteſtini directione continuabat, alter vero ex inteſtini latere antico ad angulum rectum exſurgebat. Inter utramque arteriam Umbilicalem iacebat Urachus, ſatis amplus, ad umbilicum usque apertus, qui ſenſim nonnihil dilatatus Veſicam conſtituebat Urinariam, Inteſtini Recti fini inoſculantem. Ren dexter cum Uretere integer aderat; ad illius latus ſiniſtrum, in ſpina dorſi, corpuſculum ſeſe offerebat irregulare, ſtructura pancreati quodammodo analogum. Non ita longe a ſpina dorſi, in utroque latere, corpuſculum obvium erat pyriforme, peritonaeo involutum, teſticulum utrumque referens. In parte ſuperiori cavum abdominis per integrum diaphragma ſeparabatur a thoracis cavo; postquam et hoc aperuiſſem, cavitatem inveni, parietibus glabris circumdatam et humore limpido impletam, in qua autem nullum prorſus obſervabatur organon. Arteria umbilicalis ſiniſtra, postquam pelvin attigerat, recta via tranſibat in aortam, ad ſpinae dorſi latus ſiniſtrum poſitam; ab ea diſcedebant arteria cruralis et hypogaſtrica ſiniſtra, arteria renalis dextra, arteria meſenterica, quatuor in utroque latere valde exiguae arteriae lumbales, et coſtales nonnullae, tandemque in parte ſpinae dorſi ſuperiore ipſa aorta ad angulum obliquum ſeſe dividebat in utramque arteriam brachialem. Vena umbilicalis una cum arteria umbilicali ſiniſtra pelvin petebat, ibique ramum emittebat dextrorſum vergentem, in quem vena cruralis et hypogaſtrica dextra tranſibant; ipſa vena umbilicalis directo exibat in venam cavam, iuxta aortae latus dextrum decurrentem; quas haec arteriis emiſerat, venas illa accipiebat et tandem etiam in parte ſuperiori ad angulum obliquum ſeſe dividebat in utramque venam brachialem. Arteria umbilicalis dextra ad cavum pelvis deſcendebat, ibique ſeſe dividebat in arteriam hypogaſtricam et cruralem dextram. Nervus ſympathicus ad utrumque columnae vertebralis latus decurrens, in medio tractu plexum conſtituebat meſeraicum, in parte ſuperiori ganglion unum alterum-

Etiam POUIOL (1) in acephalo duos vidit processus, principia constituentes, a quibus in parte superiori intestinum oriebatur.

ROSENMULLERUS, testante ISENFLAMMIO, pluries in anencephalis diverticula invenit.

Diverticulum cum anencephalia pluribusque aliis vitiis coniunctum observavit OTTO.

TIEDEMANNUS diverticuli comites conspexit anencephaliam, fissuram palati et labii superioris, herniam umbilicalem et ad utramque manum appendicem, digitum sextum aemulantem.

THAMMIUS eius cum labio leporino, fissura palati, utero bicorni et sexto in utraque manu digito complicationem animadvertit.

MECKELIUS (2) semel cum diverticulo invenit fissuram palati et labii superioris duplicem, atque uterum bicornem; iterum herniam umbilicalem, septi cordis perforationem et spinam bifidam; in tertia denique specie (3), praeter memorata

---

que formabat, et in plexum abibat, cuius fibrillae cum systemate spinali cohaerebant. Medullae spinalis pars superior e canali vertebrali prominebat tanquam tuberculum pyriforme, glabrum, supra convexum, e cuius utroque latere duo nervuli (singuli uno tantum radice) ad extremitates anteriores accedebant; inferior autem medullae spinalis pars, intra ultimam vertebram lumbalem, in tuber abibat. Columna vertebralis, ad dextrum latus curvata, formam sigmoideam referebat et valde brevis erat, coalitis quippe vertebris dorsalibus; hae corporibus suis quasi tuber osseum, processibus autem spinosis cristam valde eminentem constituebant. Vertebrae Lumbales 3 superiores integrae aderant, interpositis cartilaginibus separatae, reliquae vero confluebant cum osse sacro, valde exiguo, canali haud instructo, in apicem acuminatum statim exeunte. Ossa coccygea desiderabantur. Utrique sacri lateri iuncta erant ossa Innominata, omnino quidem ad normam constituta, sed tam proxime sibimet adiacentia, ut nullum fere exsisteret Pelvis cavum. Ad utrumque thoracis latus 12 aderant costae, cum totidem cartilaginibus costalibus; illae proxime sibimet adiacebant, praecipue versus dorsum: 3 costae sinistrae superiores confluebant. Sternum e duplici constabat lamina ossea, dextra et sinistra, utraque aeque lata atque longa, extrorsum convexa, introrsum concava. Duae istae laminae, magnitudine et figura ab omni parte aequales, per interpositam angustam striam osseam erant separatae. Scapula dextra omnino claviculam referebat, atque, uti haec solet, curvata erat. Scapula sinistra solito angustior erat, nulla fere crista instructa, in medio foramine ovali pertusa. Reliqua extremitatum anteriorum ossa integra, posteriorum vero contorta erant.

(1) *Description anatom. d'un corps monstrueux* in Mémoire pour l'histoire des Sc. et des beaux Arts. Trévoux 1706 Juil. Art. 96. p. 1225.

(2) REIL *Archiv* B. 9. H. 3.

(3) *Handb. der Pathol. Anat.* B. I. p. 577.

vitia, intestini recti absentiam, imperfectam dimidiae corporis partis inferioris formam et impeditam cranii ossificationem.

DUPUYTREN (1) simul cum diverticulo in foetu repperit labium leporinum, palati, vesicae urinariae et penis fissuram, unius arteriae umbilicalis absentiam et diaphragma partim tantum obvium.

SCHULZIUS, praeter ingentem herniam umbilicalem, inter alia integrum hepar continentem, ureteres, quorum in dextro latere duo aderant, amplitudine insigniter auctos invenit, una cum diverticulo.

SANDIFORTIUS cum eo similem fere herniam, spinam bifidam, hepatis superficiei convexae divisionem in 3 lobos, renes deformes, unam tantum arteriam umbilicalem, urachum admodum dilatatum, crurum ac pedum contorsionem, plura denique alia minoris momenti vidit.

Nos diverticulum invenimus (de quo sub n°. 7), in foetu monstroso, cui erant insignis hydrocephalus, spina bifida, columnae vertebralis partem dimidiam inferiorem occupans, pedum et crurum contorsio: vertebrae praeterea lumbales coalitae erant, inferior et maior ossis sacri pars ossaque coccygis desiderabantur; in latere sinistro 11 tantum costae aderant, et huius lateris costa prima spinam gerebat, qualis in avibus esse solet, binae denique ultimae utriusque lateris costae confluebant. Et hae quidem sunt observationes, in quibus diverticula erant coniuncta cum vitiis, ab imminuta virium productricium energia repetendis. Sequentia autem invenimus exempla, in quibus diverticula simul cum deformitatibus, a nimia energia derivandis, aderant.

DE MELLE foetum bicorporeum et bicipitem descripsit, in quo ventriculus quidem erat duplex, utriusque tamen duodena mox sese coniungebant, unumque formabant canalem, qui dein iterum sese dividebat et ileum duplex constituebat, quorum quodque in suum transibat intestinum crassum; alterum ileum, statim infra bifurcationem, diverticulum exhibebat.

Cum hoc proxime convenit id, quod narrat KLINKOSCH de monstro bicorporeo monocephalo, in quo sc. ad ipsum angulum, ad quem bina Ilea coibant, ut simplicem constituerent canalem, diverticulum erat positum.

SIMMONS (2), in descriptione foetus intra foetum, narrat, se tam in foetu maiori, quam in parvulo, contento, diverticulum invenisse.

(1) *Bullet. de l'éc. de méd. an* XIII et XIV. p. 58. MECKEL *Path. Anat.* p. 577.

(2) Vid. MECKEL in REIL *Archiv* B. 9. H. 3.

Baillie (1) exemplum praebuit diverticuli coniuncti cum vitiis a nisu formativo abnormi productis: illud sc. invenit in foetu, cui aderat omnium thoracis et abdominis viscerum situs inversus, una cum partitione lienis in quinque lobos, uti in Cetaceis solet.

Vidimus itaque, plurima historiam praebuisse exempla, in quibus diverticulum cum variis primae formationis vitiis fuerit coniunctum; vidimus quoque, nonnulla esse vitia, cum quibus prae caeteris saepius complicatum inveniatur, quemadmodum v. c. cum acephalia, monstrositate ceteroquin rarissima; praeterea pluries simul observatum fuit cum anencephalia, fissura palati et labii superioris, hernia umbilicali, spina bifida, utero bicorni; quae omnia vitia satis denotant, naturam, in progressu suo prohibitam, ipsa organa in inferiore organisationis gradu reliquisse. Hanc autem singularum istarum deformitatum significationem hic demonstraturi non sumus, cum et hodie qua tales ab omnibus fere in Anatomia et Physiologia viris praeclaris agnoscantur, et talis consideratio nimis nos a proposito averteret. De una tamen aberratione hic pauca monenda sunt, de digito sc. sexto, quem THAMMIUS, deque eius rudimento, quod TIEDEMANNUS in utraque manu simul cum diverticulo observavere; haec enim conditio primo adspectu non ita facile genuinam suam indicat naturam, et vulgo quoque habetur nimiae energiae productum; ex accurate tamen de embryonibus institutis observationibus, praeëunte MECKELIO (2), concludendum nobis videtur, ad eandem eam esse referendam classem, ac deformitates commemoratae. In primis sc. embryonis periodis manus et pedes limbo cinguntur crasso, e quo dein digiti orituri sunt; limbus autem ille maiorem habet ambitum, quam digiti postea ex eo orti; si itaque horum formatio rite processura sit, limbus contrahatur necesse est, sin vero contractio illa non obtineat, eadem permanet crassities, quae dein nullo alio modo sese palam facere potest, nisi digito supervacaneo, magis minusve perfecto. Saepius haec observata diverticuli complicatio cum vitiis, quae ad monstrositates, quas dicunt, *per transitum* pertinent, facile ad conclusionem ducere posset, et ipsum diverticulum ad hancce classem pertinere, nisi simul in monstro bicorporeo, maioris certe energiae

---

(1) *Philos. Transact.* Vol. 78. p. 350—363.

(2) *Beyträge zur vergl. Anat.* B. 1. H. 1. p. 95.

producto, obſervatum fuisſet. Hic autem ea valet regula: naturam, quas in alteram partem nimis intenderet vires, eas ab altera detrahere; quae regula hic certo uſu venit iure merito, cum nullam inveneris duplicitatem monſtroſam, niſi ſimul hic illicve imperfectae organiſationis veſtigia praebentem. In antecedente § concludimus, diverticulum eſſe vitium *connatum*, hic, propter conſtantem fere eius concurſum cum monſtroſitatibus, quarum cauſa est evolutio impedita, diverticulum eſſe vitium *per transitum*, ſtatuimus.

PARS SECUNDA.

Descriptio formationis tubi intestinalis *in embryone, quatenus faciat ad originem diverticulorum illustrandam.*

§ 1.

Potiores anatomicorum huius aetatis theoriae de formatione tubi inteſtinalis *in mammalibus.*

Anno huius ſeculi ſexto de inteſtinorum formatione in mammalibus theoriam ingenioſisſimam propoſuit Cl. OKEN (1), quam breviter hic exponere animus est.

Inteſtina initio non in abdomine iacent, ſed e veſicula umbilicali enaſcuntur cum duplici canaliculo, anteriore ad ventriculum, poſteriore ad anum vergente. Veſicula umbilicalis, liquore dein deperdito, collabitur et inteſtina ſeſe retrahunt, unde inter veſiculam et inteſtina collum oritur anguſtius, cuius parietes in medio ſenſim ſe contrahunt, dein concreſcunt, donec tandem vinculum illud plane ſolvatur et vaſa tantum coniunctionem inter veſiculam et inteſtina ſuſtentent. Iam inteſtina una cum colli parte adhaerente in cavum abdominis retrahuntur; hic autem utriusque inteſtini directio, ante parallela, mutetur neceſſe est; inteſtinum anterius ſub angulo quodam in colli partem ſuperſtitem deſcendit, inque eam inſeri videtur; inteſtinum poſterius eandem cum collo directionem rectam, quam antea habuerat, retinet, ut hoc illius tantum prolongatio ſit. Per inteſtini ſuperioris in collum deſcenſum val-

(1) OKEN u. KIESER *Beyträge zur vergleichende Zoologie, Anatomie u. Phyſiologie*, Heft 1—2.

vula orta est coli, ipsum collum fit inteſtinum coecum, cuius apex dein in processſus vermiformis figuram anguſtatur.

Huic theoriae ſequentia opponuntur:

1°. Inteſtina initio non extra abdominis cavum iacent, ſed revera intra illud continentur, quemadmodum et ex analogia concludi potest, et directis obſervationibus confirmatur: poſtea demum funiculum umbilicalem intrant.

2°. Theſi iſti, ex qua mutatam in abdomine utriusque inteſtini directionem ſequi debet inteſtini anterioris deſcenſus in poſteriorem valvulaeque coli formatio, oppugnant obſervata interdum in homine inteſtini-coeci et valvulae coli abſentia, quae in multis adeo animalibus, licet vera veſicula umbilicali inſtructis, tanquam normalis conditio habenda est; inſignis praeterea inteſtini coeci in variis animalibus differentia, cum quod ad longitudinem, tum quod ad fabricam attinet; imo quod omnium certo contra hanc opinionem argumentorum maximum est, coecum iam formatum est, priusquam inteſtina in abdomen ſeſe retraxerint adhuc in funiculo umbilicali ſita, uti monet MECKELIUS (1); et ipse ſemper quoque obſervavi, quoties embryones mihi ex requiſita periodo ſecare contigerit. Poſtremo, ſi coecum esſet locus, quo inteſtina cum veſicula umbilicali iungerentur, illud certe in funiculo umbilicali locum occuparet veſiculae proximum, in angulo ſc. ad quem inteſtinum anterius in poſterius transit: ſemper vero coecum in ipso inteſtino poſteriori, haud procul ab annulo umbilicali, ſitum est.

Quae praeterea argumenta valent ad theoriam eam probandam, quam mox laudaturi ſumus, totidem etiam argumenta habeantur contra theoriam hancce Okenianam.

Ab hac autem multum discedit MECKELII theoria, anno 1808 propoſita (2), quamquam in eo utraque convenit, quod inteſtinorum fontem primamque originem veſiculam habeat umbilicalem. MECKELIANA vero theoria cum Analogiae, ex Inteſtinorum formatione in pullis petitae, innitatur, nonnulla de hac praemittenda ſunt, priusquam de illa dilucide ſatis exponere posſimus.

---

(1) *Handbuch der menschliche Anatomie*, B. IV. p. 302.

(2) *Beyträge zur vergl. Anat.* B. I. H. I. N°. 5.

Clar. LUCAEUS, quique eandem fententiam fequuntur, ftatuunt, inteftina principio in duas esfe divifa partes, quarum altera (inteftinum anale) ab ano verfus fuperiora, altera (inteftinum ftomachale) a ventriculo verfus inferiora oppofita directione increfceret, dum fe invicem attingant, finibus coeant, unumque conftituant canalem.

Argumenta, quae primariam inteftinorum in duas partes divifionem probarent, fequentia enumerantur:

1°. Non raro hic illiove in cavo inteftinali obfervatur atrefia, ex eo explicanda, quod partes primum feiunctae, dein ratione abnormi coalefcant.

2°. Acephalis, quibus fuperior corporis dimidia pars deest, et inteftinorum pars fuperior deest.

3°. Iuxta obfervationes WOLFIANAS in ovis incubatis talis etiam feparatio obtineret.

At vero inteftinorum atrefia nulli certo ac determinato loco est adftricta, nec femper uno tantum loco obfervatur, fed inteftinum interdum in plures, imo in quatuor vel quinque, partes divifum inventum est. Nimiis itaque varietatibus obnoxia videtur haecce aberratio, quam ut antecedentem normalem inteftinorum conditionem inde explicari posfe credamus.

Quod ad fecundum argumentum pertinet, vix illud quicquam demonftrare videtur: non enim facile quis, ut eiusdem acephali exemplo utar, ex eo, quod dimidia parte corporis fuperiore caret, efficeret, totum foetum initio e duabus conftitisfe partibus, fuperiore et inferiore, verfus fe invicem increfcentibus, tandemque in unum coëuntibus.

Poftremo loco, nusquam prorfus WOLFIUS, in tractatu illo egregio de formatione inteftinorum, de aliqua inteftinorum in duas partes divifione ullam fecit mentionem; dixit tantum vir ille (1): „fovea nempe cardiaca, ventriculi prima adumbratio, die ftatim primo, una cum embryone et prius ipso „corde, prodit. Sutura et fovea inferior, die fecundo finito, vel medio tertio die comparent." Quomodo autem ex hisce verbis inteftinorum divifio primaria in duas partes, verfus fe invicem increscentes, fequatur, non est, quod intelligam.

(1) *Nova Comment. Petropol.* T. XII. p. 460.

Ex omnibus hisce patere videtur, atresiam aut divisionem intestinorum fundamentum praebere admodum incertum, cui superstruatur theoria de eorum formatione.

§ 2.

De intestinorum formatione in pullis.

Ab incertis hisce et dubiis de formatione intestinorum in mammalibus, de quibus modo exposuimus, iam ad certa et omni fere dubio carentia transgrediamur, ad formationem intestinorum in pullis. Non mirum profecto, in hacce parte nos sequi C. F. WOLFIUM (1), scriptorem illum subtilissimum, qui hanc rem adeo quasi in pulverem secuit, ut vix quicquam adhuc desideres (2). Duce itaque hoc certissimo, breviter miracula illa explicare conabimur, quibus viam suam simplicissima ratione absolvat natura in efformandis novis partibus; totum enim intestinorum tractum e simplici planaque membrana, multarum simplicissimarumque caussarum ope, efformatum videmus. Quo melius hanc rem exponamus, necesse est, ut ab ovo, uti aiunt, incipiamus.

Ovum igitur recens e duobus constat humoribus, *Albumine* et *Vitello*; e duabus item membranis, *Membrana ovi propria* et *Membrana Vitellaria*; utraque *Testa* continet.

Albumen, humor viscidus, limpidus, albido flavescens, figura ovata, Vitellum circumdat, et ipse includitur a Membrana ovi propria, quae externa sua superficie ad Testam adhaeret.

Vitellus, in ovi centro situs, consistentia aliquantum spissiore, colore flavo, aurantiaco, figura globosa, intra Membranam suam Vitellariam comprehenditur, et per hanc ab Albumine separatur.

---

(1) *De formatione intestinorum.* Egregius hicce tractatus, in Comment. Nov. Petropol. Tom. XII. A°. 1768 iam editus, oblivioni fere traditus, a Cl. MECKELIO in lucem est revocatus, facta versione Germanica optima, cuius titulus est: C. F. WOLFF *über die Bildung des Darmkanals in bebruteten Hühnchen, übersetzt und mit einer einleitenden Abhandlung von* I. F. MECKEL. Halle 1812.

(2) Licet enim PANDERI nuperiores observationes, quod ad embryonis primordia attinet, a WOLFIANIS recedant, cum hisce tamen reapse satis conveniunt circa ulteriorem intestinorum formationem in pullis.

Ipsa Membrana Vitellaria quasi per annulum circularem, tenerum, albidum, *Zonam Circularem*, dividitur in duas inaequales partes dimidias, *Hemisphaeria* dictas, quae ratione magnitudinis fere sese habent, quemadmodum 80 ad 100.

In medio minori Hemisphaerio macula reperitur parva, rotunda, lactea, *Cicatricula* dicta.

Incubato aliquot horas ovo, in haece Cicatricula prima formationis incipiunt molimina; iam enim macula ista ambitu increscit, et mox locum offert rotundum, vasis insignem, *Aream Vasculosam*, in cuius centro ipse resident foetus.

Area haecce Vasculosa (1) e duplici constat membrana, proxime sibimet adiacente, e *Membrana Vitellaria Interiore* sive *Inferiore*, Vitello, et e *Membrana Vitellaria Exteriore* sive *Superiore*, Albumini adiacente. Exterior haec (illa scilicet Membrana Vitellaria, quam Vitellum includere notavimus, quae autem nunc *Exterior* vocatur, ut ab *Interiore*, sub incubatione formata, distinguatur) tenuis est, pellucida, vasisque expers: Interior autem Areae Vasculosae Membrana, quae una cum Embryone oritur, minus tenuis est et mollior, opaca praeterea et vasis mox ornata. Duae istae membranae in reliqua quidem Areae Vasculosae parte proxime sibimet adiacent, versus centrum autem ab embryone interposito solvuntur, et superior supra embryonem, inferior infra eum decurrit. Tota Area Vasculosa (quae revera unice tantum formatur a Membrana Interiore, cum haec, uti notavimus, sola vasis praedita sit) per ambitum suum terminatur vena, quae eam decursu circulari circumdat, et *Vena Terminalis* (2) dicitur.

Ipse foetus, in centro Areae Vasculosae, inter duas huius Membranas tali ratione interiacet, ut superficies corporis anterior sive abdominalis Membranae Interiori incumbat, superficies autem dorsalis sive posterior a Membrana Exteriori tegatur. Totus autem embryo primis hisce temporibus nil nisi striam linearem offert, cuius pars superior et minor, sed magis crassa, caput, inferior et longior spinam dorsalem efficit. Usque ad diem secundum finitum ex utroque spinae dorsalis latere angusta et tenera producitur fasciola (*laminas*

---

(1) Tab. II. fig. 1. ex ovo, 3½ dies incubato.

(2) Tab. II. fig. 1. *b*, *b*, *b*, *b*.

abdominales), quae extrorſum limbo craſſiuſculo terminatur, unde hoc tempore de toto trunco, extremitatibus adhuc orbato, nil adest, niſi planum oblongum, in antica ſua facie paululum tantum concavum, e ſpina dorſi et lamina utraque abdominali valde adhuc anguſta conſtans. Laminae abdominales ſequentibus periodis lateraliter extenduntur, antrorſum incurvantur (dextra ſiniſtrorſum, ſiniſtra dextrorſum ſeſe explicat), tandemque inter ſe coeunt et cavum thoracis et abdominis conſtituunt.

Membrana Interior (in qua foetum incumbere diximus) non continue infra Embryonem decurrit, ſed in medio ſuo, ubi Spinae Dorſi ſubiacet, aperturam habet oblongam, *Aperturam Amnii Spurii* (1), ita ut caput tantum Embryonis revera ipsi membranae incumbat, tota autem Spinae Dorſi facies anterior nuda et intecta maneat; hic enim Membrana Interior Aperturam ſuam habet, cuius margines affixi ſunt ad anticam ſpinae dorſi faciem, paululum infra caput (in regione ea, quae poſtea Cardiaca vocatur, de collo quippe aut thorace nullum adhuc veſtigium adest); ad ſpinae praeterea dorſalis utrumque latus; denique ad eius finem infimum caudam.

Mox autem Embryo in Membranam Inferiorem, quae in ambitu eius maiorem acquirit extenſionem, deſcendit, ſive, quod eodem redit, Membrana Inferior ſe flectit circum Embryonem, eumque involvit, ita ut foetus, qui antea inter utramque Membranam continebatur, iam fere unice a Membrana Interiore includatur. Iſta Membranae Interioris pars, quae ita Foetum circumdat, *Amnion Spurium* dicitur, quod, licet unam et continuam efficiat membranam, iuxta varias tamen, quas involvit, partes in quatuor partes dividitur; in partem ſuperiorem, *Vaginam capitis* (2), quae caput obducit; in ambas partes medias, *Partes Laterales* (3), quae utramque Laminam Abdominalem circumdant, et in partem inferiorem, *Involucrum caudae* (4), quae caudam comprehendit. Variae autem iſtae partes ſequenti ratione formantur; et quidem Vagina Capitis, cum membranae pars, quae ſub caput iacet, et ſpinae dorſi parti anticae et ſuperiori inſerta est, extenſionem maiorem nacta, circum caput ſe flectat, et

---

(1) Tab. II. fig. 2. *e*, *e*.
(2) Tab. II. fig. 3. *a*, *a*, *a*.
(3) Tab. II. fig. 3. *b*, *b*, *b*, *b*.
(4) Tab. II. fig. 3. *c*.

fupra occiput defcendat ad Regionem usque Lumbalem: hic autem ad angulum acutum fefe iterum reflectit et in communem Membranam Interiorem transit. Eadem ratione *Partes Laterales* formantur; Membranae enim Inferioris partes eae, quae infra Laminas Abdominales iacent et ad utrumque fpinae dorfi latus adhaerent, extenfione aucta, circum Laminas Abdominales fe flectunt, et in Foetus fuperficie dorfali lineam corporis medianam petunt; priusquam autem hanc attigerint, extrorfum fe reflectunt, et in communem Membranam Interiorem five Aream Vafculofam redeunt. Involucrum denique caudae ex eo oritur, quod pars membranae, fpinae dorfi parti infimae et anticae affixa, aucta extenfione, circum caudam fe flectat, et ad Regionem Lumbalem adfcendat; hic autem etiam ad angulum acutum fe reflectit, in univerfam Membranam Inferiorem abiens. Patet igitur ex hoc Amnii Spurii decurfu, totum Embryonem ab eo involvi, exceptis, in facie abdominali, vertebrarum margine anteriore, et in facie dorfali, Regione Lumbali; in dorfo enim prope Regionem Lumbalem diverfae eius partes in Aream Vafculofam iterum fe reflectunt, et in Abdomine ad latera demum fpinae dorfi incipiunt, propter Aperturam fuam.

Amnion igitur Spurium initio expofita ratione proxime ipsi Embryoni adiacet, mox tamen a lympha quadam exhalabili interpofita ab eo amovetur, et in bullam undique expanditur. Expanfio ifta in Vagina Capitis die iam fecundo fere medio fieri incipit, et ineunte die tertio identidem ad Partes Laterales et Involucrum caudae fefe extendit, et initio levior quidem est, fed dein maiore liquoris quantitate fenfim increscit, unde potisfimum conftrictio Aperturae Amnii Spurii producitur. Tali enim quafi inflatione, five expanfione in bullam, Amnion Spurium turgidum evadit, et faccum refert circum Embryonem volutum, huic tantum adhaerentem locis fupra notatis, fpinae fcil. dorfi parti fupremae, infimae, et utrique laterali.

Prouti Partes Laterales in facie abdominali identidem magis expanfae evadunt atque turgidae, ita fenfim ante fpinam dorfi propius ad fe invicem accedunt, unde pari pasfu Amnii Spurii Apertura continue decrescit, donec tandem, iuncta fibimet utraque Parte Laterali, prorfus evanuerit. Quemadmodum autem Amnii Spurii inflatio, ita quoque eius Aperturae conftrictio a parte fuperiore incipit, indeque fenfim verfus inferiora procedit.

Loco igitur Aperturae, in qua fpina dorfi nuda et intecta confpiciebatur, e fibimet appofita utraque Parte Laterali turgida, fulcus ortus est, ante verte-

bras positus, *Fistula Intestinalis* (1) dictus, qui ipsius intestini adumbrationem sistit; binae vero laminae, pone istum sulcum sibimet adiacentes, mesenterium constituunt.

Fistula Intestinalis in tres iterum discernitur partes, in *Foveam Cardiacam* (2), partem superiorem, quae a Vagina Capitis, in *Suturam Amnii Spurii* (3), partem mediam, quae a Partibus Lateralibus et in *Foveolam Inferiorem* (4), partem inferiorem, quae ab Involucro Caudae formatur. E Fovea Cardiaca mox oritur Ventriculus, e Sutura Amnii Spurii Intestinum Medium, et e Foveola Inferiore Intestinum Rectum, aut potius diversae hae intestini partes iam pro parte formatae sunt, quando Fistula Intestinalis sese offert: haec enim verum iam intestini parietem posteriorem constituit, maior autem pars dimidia anterior adhuc desideratur, unde intestinum forma sulci antrorsum aperti conspicitur.

Alia iam mutatio animadvertenda est; foetus scilicet, quem hucusque tanquam striam, recta linea Membranae Internae incumbentem, proposuimus, iam a die secundo antrorsum curvatur. Curvatio haec primum in capite sensim incipit, salvo adhuc recto reliqui foetus situ; postea vero et cauda antrorsum curvatur. Hanc foetus curvationem aequali passu sequitur Amnii Spurii curvatio. In fine quarti diei caput et cauda valde antrorsum sunt curvata, et ipsum dorsum curvatur, unde totus iam embryo convolutus cum Amnio suo Spurio, in quo continetur, figuram reniformem offert. Tali foetus curvatione iam efficitur, ut ipsa quoque Fistula Intestinalis, quae hactenus recta linea procedebat, admodum curvetur et semicirculum describat, unde Fovea Cardiaca et Foveola Inferior maxime ad se invicem appropinquent, et Fistulae Intestinalis vix quarta superfit pars pristinae suae longitudinis.

Denique circa diem quintum finitum vel diem sextum singularis obtinet mutatio, qua omnia fere, hucusque exposita, evanescunt; iam enim Fistula Intestinalis et ipsum Amnion Spurium pereunt, et eorum loco foetus, iam ex Amnio suo Spurio exclusus, cum integro conspicitur intestino, ad cuius medium

(1) Tab. II. fig. 3. *d—f.*
(2) Tab. II. fig. 3. *d.*
(3) Tab. II. fig. 3. *e*, *e.*
(4) Tab. II. fig. 3. *f.*

Membrana Vitellaria, ope ductus sui, adhaeret. Membrana quippe Areae Vasculosae Interior, Exteriori, ut supra notavimus, proxime adiacens, ab hac tantum discedit in ambitu foetus, et hunc identidem, inde a Regione Lumbali, exposita ratione, sacci instar circumdat ad eiusque spinam dorsi adhaeret, ante quam Fistulam Intestinalem constituit; praeterea iam ipse foetus admodum est convolutus, ita ut spatium valde exiguum occupet, unde admodum favetur mox oriturae eius denudationi ab Amnio Spurio. Iam enim, die circiter sexto, Membrana Interna ab Exteriore solvi incipit in ambitu foetus, indeque cito quaquaversum pergit, donec tota Interior Membrana ab Exteriore sit soluta propriumque saccum vitellarium constituat; soluta igitur Membrana Interiore ab Exteriore, Amnion Spurium, sive ista Membranae Interioris pars, quae foetum in formam sacci involvit, sese invertit, foetumque, ad exiguum spatium reductum, ex apertura sua in Dorso, in Regione Lumbali, obvia, excludit. Relaxatum Amnion Spurium, nunc ante Embryonis abdomen situm, se contrahit, unde paries intestini anterior, hucdum deficiens, et ductus, exigui admodum luminis, formatur, qui (*ductus vitellarius*) communicationem sistit inter Membranam Vitellariam et Ileum foetus. Amnii igitur Spurii inversione tubus intestinalis iam integre est constructus.

Vidimus itaque simplicissimam viam, qua intestina in avibus formantur; primo Membrana Interna, ad vertebrarum utrumque latus sese adnectens, Aperturam suam in medio habet; postea inflatione in bullam contrahitur haecce Apertura, et evadit sulcus sive intestini paries posterior; inversione demum Amnii Spurii producitur et paries intestini anterior, cum ductu Vitellario. Intestinum hoc, iam formatum, canaliculum simplicem constituit, ubique eiusdem capacitatis, a ventriculo ad anum tramite recto descendentem, cui in media fere parte, ope ductus sui, adhaeret Membrana Vitellaria. Mox quoque certo loco ex eius utroque latere producuntur duo Coeca, tanquam duo tubercula, quae sensim longitudine augentur. Intestinum ipsum, primum rectum constituens canaliculum, mox contrahitur in gyros. Membrana Vitellaria cum ductu suo in Ileum inserta, dein abdomen intrat, ad nativitatem usque restat, et in aliis avium speciebus sensim diminuitur, tandemque prorsus evanescit; in aliis vero tantum decrescit, et seu diverticulum remanet.

§ 3.

Comparatio veſiculae umbilicalis et membranae vitellariae.

De functione veſiculae umbilicalis, organi illius ſingularis, diu incerti haeſitarunt phyſiologi, imo et noſtra aetate inter viros doctos lis agitata est, aliis veſiculam hancce cum membrana vitellaria comparantibus, aliis hancce comparationem reſpuentibus. Ab utraque parte viri ſtant Anatomica laude celeberrimi: quomodocunque autem res iſta ſeſe habet, illud ſaltem conſtat, veſiculam umbilicalem vario reſpectu cum membrana vitellaria convenire, licet caeterum non negari posſit, in hac adeſſe characteres, in illa deſiderandos.

Veſicula Umbilicalis hominum, ſive Tunica Erythroides mammalium, organon est, quod; ex recentiorum obſervationibus, omnibus mammalium embryonibus tribui debet, pro diverſa tamen horum ſpecie perquam magnitudine differt, in genere in carnivoris maximum, in herbivoris minimum, et in omnivoris inter utrumque medium; in omnibus vero, quo minus embryon a primordiis abest, eo maius exſiſtit et perfectius, quin et in primo ortu ipso embryone maius et hoc prius obvium videtur. Plerumque figuram refert ſacciformem et veſiculam liquore quodam repletam conſtituit, ſemper inter chorion et amnion prope funiculi umbilicalis inſertionem ſitam, ſuperficiei foetus anteriori obverſam, cui eo propius adiacet, quo recentiori periodo obſervetur, in quam adeo primis forſitan temporibus transit, eiusque vaſa *omphalomeſeraica* cum embryonis arteria meſenterica ſuperiore et vena meſeraica cohaerent. Si itaque veſiculae huius umbilicalis convenientiam cum membrana vitellaria conſideramus, ad ſequentia facile momenta reduci illa potest:

1°. Utraque admodum vaſculoſa est, praeſertim ad internam ſuperficiem.

2°. Utraque vaſa ſua e vaſis meſeraicis embryonis accipit.

3°. Utraque cum peritonaeo cohaeret.

4°. Utraque per peritonaeum cum inteſtino tenui, per vaſa cum hepate coniungitur.

5°. Utraque Chorio et Amnio interiacet.

6°. Utraque ad faciem iacet embryonis abdominalem.

7°. Utraque liquore quodam repletur.

8°. Utraque embryoni eo magis finitima est, quo minus ab origine ſua recedat.

9°. Utraque organon efficit transitorium, quod aliquamdiu actione sua fungitur, dein volumine decrescit, tandemque vulgo prorsus evanescit.

Utriusque contra differentiae, sequentes excitantur ab EMMERTIO et HOCHSTETTERO, certissimis duobus observatoribus (1).

1°. In pullis vasa omphalomeseraica nullam cum aliis vasis anastomosin ineunt, ad externam membranae vitellariae superficiem rete vasculosum formant, et ad faciem eius internam in plicas decurrunt, parvis vitelli globulis tectas, arteria denique ex embryonis arteria coeliaca oritur. Contra, in equis, fortasse quoque in vespertilionibus, vasa omphalomeseraica anastomosi iunguntur vasis umbilicalibus, praeterea haud constituunt vas terminale, neque in plicas vesiculae umbilicalis decurrunt, arteriae tandem rami sunt ex arteria embryonis meseraica superiore.

2°. Membrana vitellaria deinceps in abdomen descendit; contra vesicula umbilicalis ab eo postea amovetur.

3°. Membrana vitellaria cum ipso intestino magis convenit, propter plicas, quibus in interna superficie instructa est, et propter cavitatis suae cum intestini cavo coniunctionem; vesicula autem umbilicalis interne nullas habet plicas, neque in intestinum transit.

4°. Vesiculae umbilicalis et foetus cohaerentia sensim decrescit; contra, membranae vitellariae et foetus vinculum sensim increscit, cum ductus vitellarius postea demum formetur.

5°. Membranae vitellariae functio etiam post nativitatem aliquamdiu permanet; vesiculae vero umbilicalis actio nativitate certe quidem tollitur.

6°. Vitellus a vesiculae umbilicalis liquore differt, non tantum origine et propriis suis conditionibus, sed et eo, quod semper impleat membranam vitellariam, post nativitatem perstet, et lactis apud mammalia vicibus fungatur, simul autem cum membrana vitellaria in nihilum abeat; contra vesiculae umbilicalis humor primis iam hebdomadibus evanescit.

7°. Vesicula umbilicalis maiori variationi in variis mammalium speciebus subiecta esse videtur, quam membrana vitellaria in diversis avium speciebus.

Plurima vero ex hisce dubiis facile solvi posse credimus; monendum autem

---

(1) REIL *Archiv* B. X. H. 1.

prius, non ſatis etiamnunc, tum in mammalium, tum in avium variis ſpeciebus, utriusque huius organi varias conditiones esſe cognitas, ut disquiſitionem comparationemque tam ſubtilem iam inſtituere queamus.

Contra *primum* argumentum afferre nobis liceat, unice tantum in equis et forſitan etiam in veſpertilionibus anaſtomoſin obtinere inter vaſa omphalomeſeraica et umbilicalia; hoc itaque reſpectu equus et veſpertilio ab avibus et reliquis mammalibus discrepant, nullo autem modo iſta conditio differentiam indicat inter veſiculam umbilicalem et membranam vitellariam; in reliquis enim mammalibus, uti in avibus, deſideratur talis anaſtomoſis. Quod ad ulteriorem vaſorum distributionem attinet, hanc facile concedimus esſe diverſam in membrana vitellaria et veſicula umbilicali, quamquam nihil inde iure concludi potest de utriusque indole diverſa. Soemmeringius quidem e distributione vaſorum membranam chorioïdeam diverſorum animalium dignovit; minime autem quis ſtatuet, diverſam hancce vaſorum distributionem in variis animalibus tantam producere differentiam, ut chorioïdea unius animalis prorſus aliud quid ſit, quam alterius; nemo enim, ſi verbi cauſa vaſorum distributio in chorioïdea hominis diverſa ſit a vaſorum distributione in chorioïdea bovis, inde efficiet, hanc non esſe chorioïdeam. Quod arteria ex arteria coeliaca prodeat, non maioris momenti esſe videtur; an quis teſticulum minus teſticulum diceret, ſi arteria ſpermatica non ex arteria aorta, ſed ex renali oriretur?

In *ſecundum:* Membranae vitellariae deſcenſus in abdomen certe nil aliud docet, niſi quod eius functio diutius permaneat, quam veſiculae umbilicalis; functione autem perſiſtente, ipsum quoque organon perſiſtat necesſe est. De hisce igitur mox dicemus ſub N°. 5.

In *tertium:* Membranam vitellariam per plicas, quas in interna habet ſuperficie, propius accedere ad ſtructuram inteſtini valvuloſam, quam veſiculam umbilicalem per ſuperficiem internam glabram, facile concludi potest; at vero concedendum ab altera parte, ſtructuram valvuloſam non efficere inteſtinorum characterem esſentialem, imo ipſisſimum Ileum (cum quo veſicula umbilicalis cohaeret) valvulis esſe privatum, et in toto regno animali canalem inteſtinalem multo frequentius valvulis orbatum, quam iis inſtructum occurrere. Concludimus itaque, quamquam nullae adſint plicae in veſiculae umbilicalis interna ſuperficie, facile tamen posſe exiſtere nexum inter eam et inteſtinum, et ſic quoque convenientiam inter eam et membranam vitellariam. De altero argumen-

to, veficulam fcil. umbilicalem non transire in inteftinum, mox pluribus agemus; hoc quidem loco talem transitum admodum probabilem habere liceat.

In *quartum:* Nexum inter membranam vitellariam et embryonem, crescente hoc, non augeri, fed fenfim diminui, in § antecedente iam vidimus; primis enim temporibus fere totus a membrana vitellaria includitur embryo, postquam autem amnion fpurium ab ea folvitur ductusque formatur vitellarius, multo minus evadit inter utrumque vinculum. Hic itaque pro differentia convenientiam invenimus inter veficulam umbilicalem et membranam vitellariam. Utraque prius proxime cohaeret cum embryone, dein autem ab eo amovetur.

In *quintum:* Hic ad totam oeconomiam, in avibus et mammalibus diverfam, refpiciendum esfe credimus; haec enim, quando in lucem funt edita, lacte fruuntur materno; aves autem hoc carent, quare natura primis temporibus pabulum illud naturale iis relinquit, e quo paullo ante totae exfurrexerant. Facile itaque convenire posfunt inter fe veficula umbilicalis et membrana vitellaria, licet haec diutius perfiftat et perfungatur quam illa. Utraque aliquamdiu functionem fuam exercet, tandem vero utraque fungi definit, ipsumque organon evanescit.

In *fextum:* Hoc argumento fignificari videtur, e vitello maius redundare emolumentum in foetum, quam e liquore veficulae umbilicalis; oftendi praeterea videtur, utrumque non prorfus esfe eundem: fed aves et mammalia itidem non prorfus eadem funt, ita ut liquor veficulae umbilicalis mammalibus idem esfe posfit, quod vitellus avibus; quamquam facile concedimus, vitello maiorem competere dignitatem, quam veficulae umbilicalis liquori.

In *feptimum:* Iftud argumentum non multum certo evincere videtur; ab altera enim parte animadvertendum, in avibus generatim ftructurâ paucisfimas tantum adesfe differentias, quas in mammalibus manu tam prodigâ largita est natura; et ab altera parte attendendum, adhuc unice fere obfervationes exiftere de ovis incubatis gallinaceis, ita ut hic de membranae vitellariae in variis avium fpeciebus discrepantia aut convenientia vix certi quid ftatui queat.

Ex omnibus hisce tuta nobis videtur conclufio, in multis quidem partibus membranam vitellariam et veficulam umbilicalem inter fe invicem differre; non autem ftatim hinc utriusque diverfam naturam et fignificationem confici debere; contra infignes, quas citavimus, utriusque fimilitudines, differentias iftas

perexiles ſaepe, nec ſatis demonſtratas, ſuperantes, ad hanc nos ducunt asſumtionem, membranam vitellariam et veſiculam umbilicalem organa esſe analoga. Non quidem utramque omnibus numeris aequalem habemus, ſed membranam vitellariam avibus idem esſe, quod veſicula umbilicalis mammalibus, utramque tamen iis cum modificationibus, quas clasſium diverſitas poſtulat. Si verum est, inteſtinum avium diverſum esſe a mammalium inteſtino, nonne organon quoque, quod utrumque producit, diverſum necesſario esſe debet? An avium oculum minus oculum diceremus, quoniam ſtructurâ non omnino convenit cum oculo humano? Oculus licet non unus idemque in avibus atque in homine, in utroque tamen ad idem ſpectat propoſitum naturae; ita quoque, quamvis membrana vitellaria non una eademque ſit cum veſicula umbilicali, attamen organa haecce analoga esſe, facile ex praemisſis concludi posſe nobis videtur.

§ 4.

Theoria MECKELIANA.

Quisquis naturam variasque eius partes attente obſervat, ordinem profecto mirabitur et nexum, quo omnia, uno quaſi vinculo, inter ſe copulantur: ab infima adeo ordientibus cuiuscumque regni ſpecie et ad ſupremam adſcendentibus, una nusquam interrupta nobis apparebit catena; omnia inſuper ad eundem ſpectare finem egregium, omnia eodem quaſi typo esſe inſignita, verbo totam naturam esſe unam, humani tantum imbecillitate ingenii in partes fere innumeras diviſam, mox animadvertimus. Nullum certo animal exſiſtit, nullum organon, in quo typum illum non dignoſcere posſit mentis humanae acumen: nusquam autem magis naturam ſecundum leges maxime ſimplices et unas agentem videmus, quam in formando novo corpore, imo, quod vulgo notum, ipse homo in ortu ſuo infimas regni animalis clasſes primum percurrens, ad eum identidem adſcendit in ſcala naturae gradum, ut, ad faſtigium tandem quum pervenerit, omnis illius, quod vivit, caput optimo iure dici mereatur. Si itaque conſideramus, ſemper ſecundum certas conſtitutasque leges naturam progredi, quando novas ſpecies producit, quis non ſtatim intelligit, in enucleanda organorum formatione, in qua re tot fuſca adhuc caligine teguntur, atque etiamnunc directas obſervationes flagitant, certisſimum maximeque ſidum nobis ſe

praebere ducem ipsissimum hunc naturae typum. Quodsi igitur, quae tradidimus de formatione intestinorum in pullis, applicamus ad illorum formationem in mammalibus, simplicissimam certo ingredimur viam, sed simul adhuc certissimam, viam dico, a magno stratam huius aevi Anatomico, MECKELIO, a magno itidem huius aevi Physiologo, TIEDEMANNO, ingressam.

Eadem itaque ratione in mammalibus oriuntur intestina e vesicula umbilicali, qua e membrana vitellaria ea oriri demonstravimus in avibus. Intestinum, vesiculae umbilicalis conversione formatum, primum sese offert tanquam canalis simplex, ante spinam dorsi positus, et recta via a ventriculo ad anum descendens, in medio fere ductu Omphalointestinali instructus, cuius ope cum vesicula umbilicali coniunctus est. Ipsa vesicula umbilicalis, foetus abdomini adhuc imposita, formato funiculo umbilicali, ad hoc tempus nondum obvio, ab illo sensim amovetur, unde eius ductus longitudine increscit simulque capacitate diminuitur, imo filum longum refert, tam subtile, ut in eo vix aliquid cavi observetur. Eodem tempore propter magnum hepatis volumen, totam fere abdominis cavitatem implens, canalis intestinalis a vertebris semovetur, et amplum funiculi umbilicalis principium, veram cavi abdominis partem, intrat; pars sc. eius superior a ventriculo obliqua via antrorsum divergit, aliquod spatium in funiculo umbilicali percurrit, tandemque ad angulum peracutum reflectit in partem inferiorem, obliqua directione retrorsum ad anum descendentem. Ab angulo eo, ad quem utraque intestini pars coït, filum abit tenuissimum, ductum constituens Omphalointestinalem, per funiculum ad vesiculam umbilicalem, inter Chorion et Amnion positam, accedens, una cum vasis Omphalomeseraicis, in vesiculam sese dividentibus; mox autem, increscente funiculi umbilicalis longitudine, filum illud tenuissimum, in longum productum, praesertim in media sua parte adeo angustatur, tamque tenue evadit, ut tandem hic eius continuatio solvatur, et pars eius ad intestinum, pars ad vesiculam umbilicalem remaneat, unde hoc tempore tantum per vasa Omphalomeseraica vesicula umbilicalis cum intestino cohaeret. Vesicula umbilicalis cum ductus parte adhaerente, liquore antea contento, citius tardiusve deperdito, collabitur, volumine decrescit, denique evanescit. Similiter ductus pars, intestino adhaerens, a suo inde fine ad intestinum usque sensim sese contrahit, tandemque in nihilum prorsus abit. Eadem illa deinceps etiam vasis accidunt. Priusquam autem haec omnia sunt peracta, ex intestini inferioris parte, in funiculo contenta,

ad aliquam diſtantiam ab angulo, in quem inteſtinum ſe flectit, tuberculum parvum pullulare incipit, quod, ſenſim prolongatum, inteſtinum Coecum conſtituit. Praeterea inteſtinum, in funiculo contentum, in gyros pedetentim contrahitur, et globum convolutum format, ante umbilicum poſitum: tandem globus ille in abdomen deſcendit, ibique ſenſim ſitum ſuum ſibique proprium acquirit.

Omnia haec directis facile demonſtrantur obſervationibus: inteſtina nempe mammalium eodem modo produci e veſicula umbilicali, atque inteſtina avium e membrana vitellaria, MECKELII docent experimenta, in cuniculis inſtituta; hic ſc. anatomicus (1), in cuniculi embryone 2 lin., Areae Vaſculoſae Membranam verſus anteriorem trunci faciem ſeſe contrahentem et huic affictam vidit; vaſa umbilicalia nondum aderant, vaſa tantum Omphalomeſeraica una cum Area Vaſculoſa corpus intrabant embryonis: in hoc embryone nullum adhuc canalis inteſtinalis veſtigium ſeſe offerebat: hicce itaque foetus conveniebat cum avium foetu e ſecundo aut tertio incubationis die.

Canalis inteſtinalis conditionem, in ipso eius principio, non ita multo post veſiculae umbilicalis converſionem, obſervarunt FLEISCHMANNUS et MECKELIUS. FLEISCHMANNUS (2) quidem, in embryone humano 2 lin., inteſtinum invenit a ventriculo ad pelvim deſcendens, tanquam filum rectum, haud interruptum, eiusdem ubique capacitatis: MECKELIUS autem (3) in cuniculorum foetibus ½ poll., inteſtinum admodum breve convolutumque minime repperit.

Veſiculae umbilicalis lentam ab embryonis corpore ſeceſſionem atque interitum ſequentes oſtendunt obſervationes. LOBSTEIN (4) in ovo humano, e 50 graviditatis die, veſiculam umbilicalem inferiori embryonis parti inſidentem invenit. MECKELIUS (5) in embryone, e 5° vel 6° hebdomade, 5 lin. longo, veſiculam umbilicalem, vix 2 lin. ab illo remotam, invenit, aeque extenſam ac totum embryonis corpus. In embryone (6), e 7° hebdomade, filum conſpexit, a veſicula umbili-

(1) *Einleitende Abhandl. von* C. F. WOLFF p. 28.
(2) FLEISCHMANN l. c. p. 66.
(3) L. c. p. 29.
(4) *Eſſai sur la nutr. du foetus.* Strasb. 1802. § 40. p. 43. pl. 1. ex rec. MECKELII *Pathol. Anat.* B. 1. p. 562.
(5) MECKEL l. l. p. 563. et *Beitr. zur vergl. u. menschl. Anat.* Hft. 1. Taf. 3. Fig. 5.
(6) L. l. *c. c.*

cali per funiculum ad embryonis abdomen adiens. In embryone, 5 fere lin. (1), inter Amnion et Allantoidem vesiculam umbilicalem invenit, e qua oriebatur ductus, eiusdem, quo illa, coloris flavidi, in funiculum umbilicalem transiens ceu filum admodum subtile, quod versus embryonem amplius iterum evadebat, atque intestino inserebatur eo loco, quo hoc ad angulum acutum a superiore parte in inferiorem se flectebat. Idem (2) in 4 foetibus, e 5° mense, in quibus intestinum se retraxerat in cavum abdominis, vasa Omphalomeseraica invenit tanquam filum longum, admodum subtile, ab umbilico ad mesenterium decurrens, simulque eodem loco, 1 sc. poll. supra coecum, ipso Ileo insidens tuberculum detexit parvum, coecum, lineam fere longum, ½ lin. capax, et prorsus diversum a processu vermiformi, simul obvio. In foetu maturo monstroso (3) eodem fere loco, si aetatem spectas, in tenui sc. intestino; 12 poll. supra intestinum crassum, ductum conspexit, 2 poll. longum, 1 lin. capacem, ad umbilicum usque decurrentem, ibique in finem clausum abeuntem, iuxta quem vasa omphalomeseraica tendebant. HUNTERUS (4) in hominum, MECKELIUS (5) in cuniculorum foetibus ductum illum, a vesicula umbilicali discedentem, eodem liquore, quo illa, repletum viderunt, quod liquidum sursum deorsum movere poterant.

Intestinorum situm in funiculo umbilicali primis periodis conditionem esse normalem, tantis hodie stabilitum est observationibus, ut, licet Cl. OSIANDER contrariam sententiam probare conatus sit, ulteriori illud demonstratione haud indigeat.

Non, uti OKENIUS statuit, intestinum coecum, sed Ilei partem inferiorem esse verum illum locum, quo vesicula umbilicalis et intestinum inter se iunguntur, itidem hodie extra omnem dubitationis aleam posuisse credimus MECKELII et EMMERTII observationes.

Series igitur observationum, quas citavimus, satis superque propositam rati-

---

(1) *Deutsch Archiv* B. I. H. 1. p. 19.

(2) *Pathol. Anat.* p. 565.

(3) REIL *Archiv* B. IX. H. 3.

(4) W. HUNTER *Anat. Beschr. des schwanger. Uterus.* uebers. von FRORIEP. Weimar 1802. p. 68.

(5) MECKEL *Vorrede vor* WOLFF p. 29.

onem formationis tubi inteſtinalis demonſtrare videretur, niſi ſummi in re anatomica viri, quales EMMERTIUS, HOCHSTETTERUS, CUVIERIUS (1), quod MECKELIUS habet ductum Omphalo-inteſtinalem, illud tantum haberent peritonaei quamdam prolongationem, ita ut veſicula umbilicalis revera in ipsum inteſtinum non transiret, cum

1°. Neque aer, nec liquor contentus, e veſicula umbilicali in inteſtinum protrudi queat, et

2°. Tam inſignis ſit differentia inter ſubſtantiam inteſtini albam, craſſam et veſiculae umbilicalis filique illius, quod utrumque organon coniungit, membranam tenuem, rubicundam.

Primo tamen argumento opponi potest, permagnam partium ſubtilitatem experimentum tale reddere quam difficillimum; accedit, quod non in omni periodo ductus ille a principio ad finem apertus est, unde experimentum hoc per ſe non ſemper bene cedit. Nec ſecundum etiam argumentum magna pollere vi credimus. Differentiae inter inteſtinum et veſiculam umbilicalem, quod ad utriusque habitum refert, postea demum oboriri potuere; illud enim ſenſim increscendo perfectum evadit, haec vero identidem decrescendo in nihilum abit; ſed quotuplex ſaepe non est discrimen inter diverſas unius eiusdemque ſyſtematis partes? Quam non differunt inter ſe variae cutis expanſiones, licet continue ſibi ſuccedant? Ita hic quoque disſimilitudo adeſſe potest inter inteſtinum et veſiculam umbilicalem, quod ad habitum, ſalva tamen utriusque mutua continuatione. Argumenta praeterea, quae talem unius cum altero coniunctionem probarent, ſequentia citantur (2):

1°. In avibus, amphibiis et piscibus cartilagineis membrana vitellaria, veſiculae umbilicali analoga, in omnibus foetus periodis, praeſertim vero in prioribus, tale cum inteſtino vinculum offert.

2°. Obſervarunt nonnunquam ductum Omphalo-inteſtinalem eodem, quo veſicula umbilicalis, impletum eſſe liquore, ſurſum deorſum mobili.

3°. Vaſa Omphalomeſeraica, in foetu ad quarti usque menſis initium ſem-

---

(1) *Mem. du Muſéum.* T. III.

(2) I. F. MECKEL, *Handb. der menschl. Anat.* B. IV. p. 296.

per obvia, omnino conveniunt cum vasis, quae in avibus iuxta ductum vitellarium ad vitellum abeunt.

4°. Intestina et vesicula umbilicalis principio sibimet proxime adiacent.

5°. Interdum in foetu maturo invenitur ductus quidam apertus, ab intestino ad umbilicum progrediens, quem vasa Omphalomeseraica semper comitantur.

Ex hisce argumentis atque ex observationum citatarum serie facile perspectum habemus, ductum Omphalo-intestinalem vesiculam umbilicalem et intestina coniungere in mammalibus, quemadmodum in avibus ductus vitellarius intestinum coniungit cum membrana vitellaria.

Iam vero, si hancce theoriam ad diverticulorum ortum applicamus, facillime et hunc ex illa eruere poterimus. Ductus enim Omphalo-intestinalis pars, intestino post solutionem a vesicula umbilicali adhaerens, a fine inde suo sensim ad intestinum usque contrahitur, tandemque evanescit; sin vero contractio illa et interitus insecuturus non acciderit, ductus ille remanet, cum reliquo intestino evolvitur, et postea varias illas proprietates fortuitas acquirit, de quibus supra in considerandis diverticulis vidimus. Diverticula huc revera redire, sequentia probant argumenta:

1°. *Eorum structura, reliquo intestino aequalis;* idem enim organon, quod hoc producit, et illa producit.

2°. *Eorum numerus semper simplex;* simplex enim semper quoque existit ductus Omphalo-intestinalis.

3°. *Constans eorum sedes in Ilei parte infima;* in quam constanter etiam inseritur ductus Omphalo-intestinalis.

4°. *Analogia;* in avibus enim diverticula sunt reliquiae ductus vitellarii, et, uti vidimus, si non semper, frequentius certe inveniuntur in avibus aquaticis, quam reliquis avium speciebus, quod cum illorum quoque convenit simpliciori organisatione. Inter mammalia diverticula saepissime imprimis occurrunt in sue, in quo vesicula etiam umbilicalis maior est et permanet diutius.

5°. *Diverticulum fine apertum:* interdum nempe ab infimo Ileo ad umbilicum decurrit ductus quidam apertus, una cum vasis Omphalomeseraicis,

quod certo recentiori etiam periodo ductum Omphalo-intestinalem substitisse indicat.

6°. *Vasa Omphalomeseraica, a diverticuli apice interdum dependentia*, qualia observarunt DOEVERENUS, SANDIFORTIUS, KLINKOSCHIUS, OTTO, MECKELIUS.

7°. *Diverticulum in foetu monstroso ab ipsa vesicula umbilicali formatum*, quod invenit TIEDEMANNUS.

EXPLICATIO FIGURARUM.

TABULA I.

Fig. 1. Diverticulum, Inteſtini Ilei parieti anteriori inſertum.

a. Ileum ſuperius.

b. Ileum inferius.

c. c. Diverticulum 9 poll. longum.

d. d. Diverticula ſpuria, vero impoſita.

e. Corpusculum glandulosum.

f. f. Vaſa ex Meſenterio prodeuntia.

Fig. 2. Diverticulum in Ileo prope Meſenterium ſitum.

a. Ileum inferius.

b. Ileum ſuperius.

c. Diverticulum longitudine 6 poll.

Fig. 3. Diverticulum, inter duplicem Ilei gyrum ſitum.

a. Ileum ſuperius.

b. Ileum inferius.

c. Diverticulum.

d. Vaſa.

e. Corpus glanduloſum.

Fig. 4. Diverticulum, prope Meſenterium Ileo inſertum.

a. Ileum ſuperius.

b. Ileum inferius.

c. Diverticulum 7 poll.

d. Diverticuli Meſenterium.

Fig. 5. Diverticulum, lateraliter Ileo infertum.

a. Inteftinum Ileum fuperius.

b. Diverticulum.

c. Ileum inferius.

d. Valvula Kerkringiana.

Fig. 6. Ilei Diverticulum exiguum, papillare.

a. a. Ileum.

b. Diverticulum.

c. Eius Mefenterium.

Fig. 7. Ilei Diverticulum e foetu maturo, monftrofo.

a. Ileum fuperius.

b. Ileum inferius.

c. c. Ilei Mefenterium.

d. Diverticulum 2 poll.

e. Eius Mefenterium.

f. Corpusculum glandulofum.

g. Inteftini paries Diverticulo oppofitus, incurvus.

EXPLICATIO FIGURARUM.

TABULA II.

Figurae, in hac tabula propofitae, e WOLFII tractatu laudato funt mutuatae.

Fig. I.

Areae vafculofae vivae fuperficies fuperior, ex ovo tres dies, 12 horas incubato.

a. a. a. a. Areae vafculofae fuperficies fuperior.

b. b. b. b. Vena Terminalis.

c. Embryo.

Fig. II.

Areola pellucida cum Embryone in fuperficie inferiore, ex ovo 54 horarum.

a. a. a. a. Areola pellucida.

b. b. Vagina capitis.

c. Embryonis pars fupra-cardiaca.

d. d. d. d. Partes laterales.

e. e. Apertura Amnii Spurii.

f. f. Medulla Spinalis.

g. g. g. g. Vertebrarum rudimenta.

Fig. III.

Pars Areae Vafculofae, quaë Embryonem continet; Amnio Spurio involutum, ex ovo 60 horarum.

a. a. a. Vagina capitis.

b. b. b. b. Partes laterales.

c. Involucrum caudae.

d. Fovea Cardiaca.

e. e. Sutura Amnii Spurii.

f. Foveola inferior.

Pl. I.




Fig. VI.





Fig. I.



Fig. III.



ANTONII HENRICI PAREAU,

HARDERVICENI,

THEOLOGIAE IN ACADEMIA, QUAE TRAIECTI AD RHENUM EST, STUDIOSI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM,

AB

ORDINE THEOLOGICO CLARISSIMO

PROPOSITAM:

Grammatice et critice explicetur Elegia Davidis in Saulum et Ionathanem, 2 Sam. I: 17 — 27, et cum aliorum Poëtarum, sive Hebraeorum, sive Gentilium antiquiorum, Orientalium, Graecorum, Septentrionalium in simili argumento versantium poëmatibus comparetur.

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

d. 21 m. Decembris MDCCCXXVI.

A

Haec decies repetita placebit.

HORATIUS.

EXORDIUM.

Inspicienti mihi, Viri Clarissimi, propositam a vobis quaestionem Theologicam, continuo incredibiliter placuit argumentum. Nam illa pulcerrima Davidis elegia in Saulum ac Ionathanem omni aevo merito est celebrata, cum ob poëticae facultatis, quae in illa dominatur, praestantiam, tum quia illustre constituit monumentum illius amicitiae, cuius in tam remota aetate simile exemplum reperias nullum. Quid igitur mirum, me, iuvenili quodam abreptum ardore; atque unice, quae pulcra, non vero quae ardua essent, percipientem, id statim iniisse consilium, ut vires experirer meas? Ast, postquam elegiam propius spectaveram simulque circumspexeram, quaenam carmina comparationi, cum illa instituendae, servire possent, cumque ad eas, quae inde profluebant, difficultates virium mearum tenuitatem exigerem; saepius in eo eram, ut totam rem mitterem, quam misissem utique, nisi ea spe me erexissem, fore ut, quamvis praemio, a Vobis V. V. C. C. proposito, destituerer, non tamen insigni illa destituerer utilitate, quam ex tam pulcri carminis tractatione me capturum confidebam.

Ut autem, quam optime possem, in re mea agenda procederem, primum Davidis Elegiam, quam poteram diligentissime, ipse tractavi; quae singulorum verborum esset vis, indagavi, eorumque sententiam ex ipsius Davidis mente eruere conatus sum; deinde vero omnes, quos inspicere licebat, interpretes consului; criticam autem, cum amplius spatium postularet, separatim collocandam esse existimavi, ab eaque initium faciendum. Cum vero quaedam essent, quae ad ipsam carminis intelligentiam pertinere possent censeri, quae tamen haud facile ipsi in-

terpretationi insererentur, huic praemisi observationes quasdam de Saulo ac Ionathane; de vinculo, quod cum his Davidi intercedebat; de sensibus, qui in carmine dominantur; de tempore, quo carmen compositum fuisse videatur, et de eius forma externa.

Ceterum ipsa rei indoles, Vestraque V. V. C. C., quam sustinetis, dignitas postulare mihi videbantur, ut in tractanda hac Codicis sacri parte longe diutius versarer, quam in eadem cum aliis quibusdam comparanda carminibus. In hac enim altera quaestionis parte id maxime spectari videbatur, ut ulterius etiam confici posset, quodnam pretium huic elegiae esset statuendum, tum etiam, ut quaedam ulterius inde illustrarentur, simulque pateret, doloris sensus, licet variis moderatos rebus circumstantibus, atque a variis significatos poëtis, plurima tamen habere, quae sibi invicem respondeant; quod luculentum sane praebeat indicium, eos in carminibus ipsam expressisse vim naturae.

In omnibus autem Vestram V. V. C. C. benevolentiam et in iudicando facilitatem etiam atque etiam imploro: sunt enim vires meae adeo exiguae, ac praeterea temporis angustiis ita fui circumscriptus, ut non ea, qua optaveram, diligentia argumentum tractare aut latinitatem curare potuerim; at vero Vestrae confidens humanitati, iudicium etiam Vestrum, de hisce iuvenilium laborum primitiis, quomodocunque tandem feratur, gratus percipiam.



PARS I.

CRITICA.

Antequam ad criticam loci tractationem accedam paucis indicare liceat, qualem hac in re tenuerim viam.

Et primum quidem varias lectiones, quas in Codicibus repererunt I. D. MICHAELIS, HOUBIGANT (1), KENNICOTT et DE ROSSI, omni, qua potui, assiduitate ad singula vocabula adieci. Cum vero Codicum bonitas atque aetas ad horum lectionis praestantiam diiudicandam saepius valeat, eorum catalogos, quos exhibuerunt KENNICOTT et DE ROSSI (2), consului et, quae de iis notatu digna adscripserant, ad unumquemque codicem annotavi, ut ita in memorandis variis lectionibus simul indicare possem, num Codd., qui hanc illamve lectionem habeant, in bonis sint annumerandi nec ne.

Quod autem attinet ad versiones antiquas, uberrimum illum critices fontem, has summa cura tractavi, quam in rem ipsas, non vero earum versiones Latinas, adii. — Sed iuvat hic etiam memorare, quomodo in hisce versatus sim, indicatis simul editionibus, quas adhibui.

Versionis LXX duae primariae exstant editiones, ea scilicet, quam paravit LAMB. BOS, quaeque ad Vaticanum Cod. est confecta, plurium simul editionum atque Codd. lectionibus variis indicatis; altera prodiit curâ I. I. BREITIN-

---

(1) In *Bibliis Hebr. cum notis crit. et versione Lat.* Lutetiae Parisiorum 1753.

(2) Catalogum hunc exhibuit KENNICOTT in *Dissert. gener. in V. T.* Tom. II. cuius a P. I. BRUNSIO iterata editione usus sum; DE ROSSI hunc item catalogum denuo edidit *in Var. Lect. V. T.* tom. I. ubi etiam nonnulla ulterius addidit. Ibidem suorum etiam Codd. Catalogum exhibuit.

GERI, ad Cod. Alexandrinum confecta, memoratis tamen ad calcem variis Vaticani Cod. lectionibus. Ad huius versionis Graecae criticam adhibui etiam fragmenta SYMMACHI et THEODOTIONIS, prouti reperiuntur in *Hexaplis Originis* ex editione D. BERNARDI DE MONTFAUCON, Lutet. Paris. 1714; praeterea etiam *Vulgatam antiquam*, quam dixerunt *Veterem Italam*, quae exstat in opere, quod edidit SABATIER, cui titulus, *Bibliorum Latinae versiones antiquae*, Parisiis 1751.

Ad ipsius porro textus Hebraici criticam usus sum versionibus *Syriaca*, *Peschito* dicta, *Chaldaica* IONATHANIS, *Graeca* AQUILAE et *Latina* HIERONYMI. AQUILAE fragmenta collegi ex MONTFAUCONII opere laud. HIERONYMI versionem hausi ex eius *Operibus*, editis a DOMINICO VALLARSIO edit. altera tom. IX. part. II. Venet. 1770; cuius viri verba de Codice, quo Samuelis et Regum libri continentur, hîc afferre liceat, quae scilicet nostram in rem plurimum valere videntur. » Codex hic," inquit, » tot tantisque germanis intactae versionis Hieronymianae notis est insignitus, tantaque gaudet antiquitate, ut ceteris codicibus praestet omnibus" (1). — Versiones autem *Syriacam* et *Chaldaicam* sive *Paraphrasticam* debeo *Polyglottis Londinensibus*. Cum versione Syriaca contuli etiam *Commentarium* S. EPHRAEMI SYRI, qualis exstat in huius Operibus omnibus sub auspiciis CLEMENTIS XII, Romae 1757. tom. I. Operum Syriac.

Superest, ut de versione *Arabica* dicamus, quam etiam ex *Polyglottis Londinensibus* collegi; cum vero mihi non constet, quis verus eius sit usus criticus, variorum virorum doctorum sententias in medium proferre liceat. — WALTHONUS (2) et EICHHORNIUS (3) eam in Samuelis libris ad LXX esse confectam existimant; IAHN vero (4) et BERTHOLDUS (5) ad recensionem *Hesychianam* conversam dicunt, quae tamen recensio non multum a versione Alexandrina discrepasse videtur (6). Alii vero aliter de ea existimarunt. Ita POCOCKIUS (7) universe de versione Arab. disserens, » diversis," ait, » atque inter se multum

---

(1) In Praefat. ad tom. IX. P. I. pag. 17 seqq. Cf. idem in nota (*a*) ad praefat. HIERONYMI in libros Sam. et Reg.

(2) In Prolegom. ad *Bibl. Polyglott.* pag. 96.

(3) *Einleitung in das A. T.* tom. II. pag. 301. Edit. 4.

(4) *Einleitung in die Bücher des A. Bundes* tom. I. pag. 209. Edit. 2.

(5) *Historisch Krit. Einleit. in sämmtliche Kanonische und Apokr. Schriften des A. und N. T.* tom. II. pag. 563.

(6) EICHHORN l. l. tom. I. pag. 508. IAHN l. l. pag. 170. BERTHOLD. l. l. pag. 54.

(7) In Praefat. ad Varr. lect. Arab. in Pentateucho, insertas tom. VI. *Polyglottorum Lond.*

» discrepantibus laciniis constat; hinc alii libri fontem Hebraicum, alii LXX versionem, sive ex ea immediate, sive (quod de plerisque forsan affirmandum) mediante Syriaca, derivati, referunt." — RICHARDUS SIMONIUS existimat, auctores versionum Arabicarum, quae ad LXX confectae dicuntur, versionem Syriacam, quae item ad LXX erat conversa, esse secutos, sed nonnunquam parum intelligenter illam versionem Syr. cum altera, quae ad textum Hebraicum erat confecta, commiscuisse; affirmat praeterea, illos auctores universe nimis libere convertisse (1). Hanc in rem plurima e variis libris profert exempla, in quibus etiam citat 1 Samuel. IV: 15 et VI: 19, in quo utroque loco Arabs, a Graeca versione et textu Hebraico recedens, in designando numero unice cum Syro convenit (2). — CARPZOVIUS versionem Arabicam existimat esse confectam vel ad LXX vel ad Syriacam, exceptis Pentateuchi, Iosuae et Iobi libris (3); quam in rem eadem Samuelis loca (4) aliaque permulta ex variis libris affert (5); e quibus patet, in versione Arabica saepius expressam esse Syriacam, sed simul etiam apparet, eiusdem auctorem haud raro indulsisse modo vertendi liberiori.

Cum vero POCOCKIUS, SIMONIUS et CARPZOVIUS nimis universe de versione Arabica disseruerint, ex iis ad nostrum locum certo concludere non ausim; praesertim quia EICHHORNIUS aliique, quos primum citavi, quique speciatim de his ipsis Samuelis libris egerunt, aliam tuentur sententiam. Videtur tamen nostro loco optime convenire SIMONII sententia, ex qua versio Arabica pluribus in locis ad Syriacam, quae textum Hebr. refert, fuerit confecta, ac saepius etiam liberius converterit. Et quod ad priorem huius sententiae partem attinet, haec eo forte magis nostro loco consentanea censeri possit, quia in aliis etiam, prioris saltem Samuelis libri, locis, eandem vertendi rationem notavit SIMONIUS. Quo autem minus de huius versionis praestantia atque usu mihi constaret, eo etiam diligentius illam attendendam esse existimavi.

Universe vero in tota hacce disquisitione hanc mihi scripsi legem, ut non tantum varias lectiones omnes sedulo annotarem, verum etiam, quantum per vires liceret, indicarem, unde haec illave lectio oriri potuerit; in versionibus autem

---

(1) In opere *Histoire crit. du V. T.* Ed. nova Amstelod. 1685. pag. 282. sqq.
(2) L. l. pag. 286.
(3) In *Critica Sacra V. T.* Edit. 2. Lipsiae 1784. pag. 645.
(4) L. l. pag. 647.
(5) Pag. 647 — 660.

semper fontes attendi, e quibus singularum auctores hausisse videntur. Minimas etiam diversitates non omittendas ideo putavi, quia hanc saepius praestant utilitatem, ut ex iis de maioribus discrepantiis iudicare possimus. — Neque tamen dubito, quin hic illic quaedam minus bene fuerint exposita et forte etiam omissa; ast, ut in reliquis omnibus, ita hac praesertim in disquisitione memineritis quaeso, V. V. C. C. opus esse iuvenis vixdum hoc stadium ingressi.

Vs. 17.

ויקנן Codd. K. 15 (1), in quibus boni complures, legunt addita litera ו, ויקונן; at, uti SCHROED. *Gramm.* R. LXXIX: 1: 1 annotavit, ו in verbis quiescentibus secunda radicali modo additur, modo eliditur. Et constanter in Codd., ubi hoc verbum occurrit, eadem scriptionis observatur diversitas; sic v. c. 2 Sam. III: 33, ubi ex recens. Mas. abest ו, alii Codd. eam addunt; Ezech. vero XXVII: 32. alibique, ubi vulgo adest ו, in pluribus Codd. omittitur. — Alia ratio est alterius discriminis, quod in Codd. 4 K. occurrit, in quibus pro הקינה legitur הקנה, quod *arundinem* sivi *calamum* denotat. Cum vero haec lectio neque commode explicari possit, neque ulla versione antiqua confirmetur, praestat utique, ut receptam lectionem retineamus; nisi forte vox illa utroque modo, cum י et sine י olim scripta fuerit; sic enim Ierem. VII: 29 unus Cod. K. et Ezech. II: 10, Codd. K. 23. hanc literam omittunt; at facile tamen librarius, cui ab alio quodam praelegebatur, talem errorem committere potuit: in aliis enim locis plurimis nulla in Codd. occurrit discrepantia.

Vs. 18.

ללמד *ut docerent*; Arabs vertit *ut discerent:* quamvis enim علم in V specie aeque *docere* ac *discere* significet, patet tamen ex adjuncto بنوا *filii*, eum hoc loco *discendi* notionem adhibuisse. Cum vero nulla alia versione antiqua haec interpretatio confirmetur, existimem, eum aliquatenus liberius convertisse, quia sensus eodem redit.

Pro בני unus Cod. K. habet את בני, alius לבני; quamvis vero uterque bonae

---

(1) Monendum est, me brevitatis studio Codices, quos contulerunt MICHAELIS, HOUBIGANT, KENNICOTT et DE ROSSI indicare solis literis initialibus *M. H. K.* et *R.*

notae sit et utraque constructio saepius adhibeatur, vel sic tamen lectio recepta retineri potest: ita v. c. Ierem. IX: 19 eadem ratione verbum construitur. Codicis, quem primum memoravi, lectionem secutum videtur exemplar regium Targum Chaldaicum, habet enim תי, notante s. CLERICO in *Var. Lect. Paraphrastae Chald.* insertis Vol. VI. *Bibl. Polyglot.*

Pro יהודה, quod proxime sequitur, in versionis LXX Codice Alexandrino habetur Ἰσραὴλ; apud Aquilam legi dicitur Ἰσραὴλ καὶ Ἰούδα, quam tamen lectionem illi recte esse tributam vix existimem. Unicuique enim, quam serviliter Aquila exprimere studuerit textum Hebr. (1) reputanti, mirum accidat necesse est, cur idem hoc loco istum miserit fontem, e quo ceteroquin, alium quemvis rivulum spernens, sua hauriebat omnia. Nisi forte quis statuat, eum ad manus habuisse Codicem quendam Hebr. qui ita legerit; quod tamen admodum improbabile est, tum quia in Codd. huc usque collatis nulla occurrit diversitas, tum maxime quia versiones antiquae omnes praeter Cod. Alexandrinum, de quo mox, vulgarem lectionem sequuntur. Cum vero Aquilae saepe nonnulla tribuantur, quae alii cuidam debentur, idemque illud in *Hexaplis* MONTFAUCONIUS commiserit vitium (2), praestat utique, ut hanc etiam lectionem aliunde fuisse petitam arbitremur. Sin vero coniecturae indulgere liceat, ad Symmachum eam referendam esse putem: hic enim, cum, ut versionem perspicuam daret, saepe liberius quodammodo converterit (3), facile etiam h. l., si forte Iudaeos pro Israëlitis universis positos fuisse crediderit, ita convertere potuit. Quidquid est, ad veram constituendam lectionem, non magnae, immo dubiae esse auctoritatis mihi videtur. — Quod autem ad alteram attinet lectionem, quae est in versionis LXX Cod. Alex. quamque defendere conatus est BREITINGERUS (4), ut nempe pro Ἰούδα, quod in exemplari Vatic. habetur, legatur Ἰσραὴλ, eam librarii vitio esse tribuendam, vix est quod dubitem. Mirum enim, unum tantummodo Cod. Alex. recte servasse Ἰσραὴλ, cum ceteri Codd. Mss. et impressi omnes vulgarem lectionem secuti sint, quod fassus etiam est BREITINGERUS. Quam facile autem librarius, oculis parumper aberrans, pro Ἰούδα scribere potuerit Ἰσραὴλ, unusquisque sponte videt, quandoquidem

---

(1) Vid. EICHHORNIUS I. 524 sqq.
(2) Idem. p. 504 et 530.
(3) Idem p. 534 sq.
(4) In Prolegom. ad *V. T.* ex vers. LXX. tom. II. cap. IV. §. 2.

mox ipsum illud Ἰσραὴλ sequitur, quod recte denuo vidit idem ille BREITINGERUS (1).

קשת *arcus*. Cod. Alex. recte habet τόξον, quod vocabulum ex Vatic. Cod. excidit. Arabs vero et Chaldaeus convertunt *iaculari arcu*; qualem interpretationem cum textus Hebr. admittat, vid. v. c. Ps. XXV: 4 (2), hinc mirum non est, Chaldaeum ita convertisse, quippe qui simul explicare soleat. Ex eo autem, quod Arabs hanc etiam interpretationem admiserit, confirmatur id, cuius paulo ante etiam indicium affuit, eum nonnunquam paulo liberius vertisse.

הנה unus Cod. K, qui una cum variis lectionibus multis multa etiam habet vitia, ut et Talmud Hieros. legunt הלאהיא, quod, cum in nulla versione antiqua expressum sit, forte desumtum fuit ex loco parallelo Iosuae X: 13, ubi haec formula adhibetur simulque sequitur כתובה. — Alius vero Codex K, qui insignes praebet lectiones varias, in margine habet הנה היא, quod item a Chald. est expressum atque glossema esse videtur. — Pro כתובה unus etiam Cod. K. habet כתיבה, quod facile fieri potuit, deleta inferiori parte literae ו. — Unus Codex K. aperto mendo pro ספר habet וספר. — Ephraëmus habet ܣܘܦܪܐ pro ܣܦܪܐ, quod occurrit in versione Syr. quae est in Polyglottis.

Iam pervenimus ad vocabulum a viris doctis varie tentatum; quapropter paulo enucleatius de illo agendum esse existimavi. Et primum quidem in textu Hebr. tum in nostro loco, tum in loco parallelo Iosuae X: 13 legitur הישר, neque in Codd. huc usque collatis ulla reperitur diversitas, nisi quod Ios. l. l. in uno Cod. K. ipsum illud vocabulum fuerit omissum. Versio Alex., quae omnium est antiquissima, nostro loco habet βιβλίου τοῦ εὐθοῦς, in loco autem Iosuae omisit, quod alius quis (3), quem MASIUS (4) dicit esse Theodotionem, ita supplevit: οὐχὶ τοῦτο γεγραμμένον ἐπὶ βιβλίου τοῦ εὐθοῦς; eadem vocabula omisit etiam versio Lat., *Vetus Itala* dicta, ad Graecam illam confecta. Codicem autem MS. Oxoniensem horum loco habere ait L. BOSCH οὐχ' αὐτὸ γέγραπται ἐπὶ βιβλίου τὸ εὑρεθὲν, quod quidem posterius vocabulum a textu Hebraico vix deduci potest; THEODORETUS autem *Quaest.* 14 *in*

(1) Quod autem BREITINGERUS suam in rem attulit, carminis rationem postulare, ut omnibus Israëlitis datum fuisse existimemus, hoc quam parum lectionis requirat diversitatem infra, ostendetur.

(2) Ubi Davides precatur, ut Deus ipsum doceat *semitas suas*, ut sc. eas in usum suum convertere posset.

(3) Ita enim citatur in MONTFAUCONII *Hexaplis*.

(4) In interpretatione ad h. l. quae habetur in *Bibl. Crit.* II. p. 282.

Iosuam habet βιβλίον τὸ εὐθὲς, quae utraque lectio forte repetenda est ex praecedenti τοῦ εὐθοῦς (1). Nec tamen ex hisce satis constare videtur, utrum revera LXX haec verba omiserint nec ne: notum enim est, quantas versio haecce, multis manibus trita, subierit corruptiones. Versio Arabica in Iosuae loco (2) vertit *liber recti*, in nostro tamen loco veram lectionem interiisse credam; ita enim ibi legitur: *ecce scriptum* (est) *in libro* اشير, *hic est liber Samuelis*, *explicatio eius* (est) *liber hymnorum* sive *carminum*. Unusquisque in hisce glossatorum rationem sponte sua animadvertit; quare hoc similive modo accidisse putem, ut initio ibi etiam lectum fuerit المستقيم *recti*, quod est in loco parallelo, et hinc alius quis in margine apposuerit » hic est liber Samuelis" (3); alter vero, ipsum textum Hebr. ad manus habens, eidem loco adiecerit اشير, quasi legerit השיר, addens simul huius vocabuli interpretationem *hic est liber canticorum*. Ideo autem المستقيم excidisse putavi, quia hac demum voce Samuelis librum indicari censere poterat Arabs. Quamvis autem primo intuitu existimarem, vocem اشير a Syro, qui eadem ratione vertit, uti mox videbimus, esse repetendam, hanc tamen sententiam misi, quandoquidem id, quod Syrus habet, nequaquam de libro canticorum possumus interpretari (4). Itaque librarius Arabs, notam marginalem in ipsum textum traducens, eamque nimis attendens, vocabulum, quo *rectus* designabatur, negligentius omisisse videtur. Versio Syriaca nostro loco habet ܐܫܝܪ, quod de vocabulo Syriaco commode explicari nequit; quare hinc facile jam colligas, eam ipsum vocabulum Hebr. השיר expressisse: sin vero Ephraëmum inspicimus, idem luculenter confirmatur; habet enim ܗܫܝܪ, quod in suae editionis Cod. legisse censendus est; quare, huius lectionis rationem non percipiens librarius, pro insueto ܗ in ipsa versione Syr. posuit literam ܐ. In Iosuae autem loco versio Syr. habet ܒܣܦܪܐ ܕܬܫܒܚܬܐ *in libro cantico-*

(1) De Theodoreti loco illud coniecit ABICHTIUS in *Dissert. de libro recti*, quae habetur in *Thesaur. Novo Theol. Philol.* inde a pag. 525.

(2) Hanc libri Iosuae versionem ad textum Hebr. confectam esse affirmant EICHHORN. II. 260. et BERTHOLD. *Einl.* II. 106. IAHN vero *Einl.* I. 209. hac de re videtur dubitare et in eiusdem libri *Compendio*, edito 1814. p. 67. eam confectam dicit ad vers. Alex. ex recensione Hesychii.

(3) Ita enim olim nonnullos, in primis Iudaeos, de hoc libro existimasse notum est; exemplum huius interpretationis attulit MARTIANAEUS in *Annot. Vallarsii Operi laudato adiectis* p. 29 sq.

(4) Arabem aeque ac Syrum secutos fuisse textum Hebr. autumat DATHE ad Iosuae locum; idem de Syro existimat SCHULTZ *Schol. ad V. T.* ad n. l.

rum, quacum consentit Ephraëmus (1). Chaldaeus habet in utroque loco *in libro legis* (2); Hieronymus autem in utroque loco *liber iustorum*.

Cum igitur diu dubius haererem, quid de tanta variarum non modo, sed earundem etiam versionum discrepantia esset statuendum, tandem ita de illa iudicandum esse existimavi, ut in quibusdam Codd. Hebr. olim lectum fuerit הישר i. e. liber *recti*, in aliis vero השיר i. e. liber *cantici* s. *canticorum*. Quod enim in Codd. Hebr. posterioris lectionis nullum occurrit indicium, hoc non tanti est momenti, ut sententiam meam prorsus refellat (3); quis enim affirmare ausit, nullum hodieque exstare codicem, in quo haec habeatur lectio; ast, quamvis hac de re constaret, vel sic quidem sententia mea non plane infringeretur: fieri enim potest, ut unius etiam versionis antiquae lectio reliquis Codd. et versionibus praevaleat (4), in primis, quia notum est, literas saepissime in Codd. Hebr. fuisse transpositas (5). Praeterea, cum iam ante Christum natum versionem Alexandrinam maximo honore prosequerentur Iudaei, hinc facile fieri potuit, ut, lectionem הישר, meliorem esse credentes, sensim sensimque unice admitterent, ac tandem, introducta recensione Masorethica, alteram lectionem השיר plane reiicerent; in primis quia ita etiam Aquila vertisse videtur. Quidquid est, non credam, recte posse dubitari, quin olim scriptum fuerit השיר; hinc enim non tantum facillime explicatur versio Syriaca in loco Iosuae, quae forte alii interpreti tribuenda est, quam qui Samuelis libros convertit (6), verum etiam inde unice explicari posse censeam rationem versionis Syriacae n. l., quae, uti luculentius etiam ex Ephraëmo patet, non convertit, sed libri titulum servavit; hinc tandem etiam explicanda nota marginalis in vers. Arabica.

Vs. 19.

Aquila, uti etiam editio Complut., initio addunt καὶ εἶπεν, Aldina καὶ εἶπε, uti

(1) Omittit tamen emphasin prioris nominis et hinc etiam ב posterioris.

(2) Librum enim הישר Iudaei plurimi explicant, quasi liber fuerit, in quo vel *virorum rectorum* mentio fiebat, vel *facinora recta* enarrabantur. Vid. i. c. WOLF *Biblioth. Hebr.* II. p. 220. et IARCHIUS in *Commentar.* ad utrumque locum. Cf. ABICHT. in *Dissert.* laud. p. 529—532, ubi variorum Iudaeorum opiniones recenset.

(3) Uti existimat Doct. STRONCK ad locum Ios. in Opere *Bijbelsch Huisb.* p. 281. Annot.

(4) Cf. IAHN *Einleitung.* I. 495. et cl. PAREAU *Instit. Interpr. V. T.* p. 313.

(5) Vid. IAHN l. l. tom. I. p. 469.

(6) Versionem enim hancce plures habere auctores censet EICHHORN. II. 133.

etiam vetus Itala. Quod si revera Aquila, uti in *Hexaplis* notatur, ita legerit, in Hebr. item additum fuisse ויאמר probabile esset, quod tamen neque in Codd. ullis exstat, neque in aliis versionibus antiquis. — הצבי unus Cod. K. habet aperto mendo בצבי. Versio Syr. et Arab. nomen Hebr. retinuerunt; Arab. tamen addidit particulam exclamantis يا, uti etiam vs. 21 et 24 init. Hieronymus, nomen de *splendore* sensu collectivo accipiens, vertit: *inclyti Israël* (1). Versio LXX. reddidit στήλωσον i. e. *erige columnam;* Aquila ἀκρίβασον. THEODORETUS ad h. l. et Cod. Complut. ἀκρίβασαι, i. e. *diligenter considera.* Hae lectiones fluxisse videntur ex eo, quod interpp. non satis vim substantivi Hebr., quo designetur *dorcas*, intelligentes, illud acceperint quasi scriptum esset הִצַּבִי (2), quod, cum puncta vocalia non ubique adscriberentur, facillime accidere poterat; nomina autem propria populorum saepissime construuntur ut singularia foeminina, coll. SCHROED. *Synt.* R. XXVIII. 3. Derivarunt igitur a נצב s. יצב, cuius utriusque verbi potestas primaria, coll. dialecto Arab. est *perstitit firmus fixusque*, *habuit firmitatem durantem in una sede;* נצב vero potissimum adhibetur de iis, quae *statu firmo se attollunt*, unde נציב *statua;* verbum autem יצב magis refertur ad *assiduitatem*, *perseverantiam*, qua vel loco vel rei sumus affixi (3), hinc qui habent στήλωσον ad נצב, qui verterunt ἀκρίβασαι vel ἀκρίβασον, ad יצב vocabulum illud retulisse videntur. Eadem, qua Graeci, ratione de illo vocabulo existimavit Chaldaeus, vertit enim: *constitistis Israël* (4).

על במותיך חלל *in montibus tuis confossus.* Syrus et Arabs converterunt *super colles tuos occisi*, Hieronymus *super montes tuos interfecti sunt*, qui adeo haec verba ad *Israëlitas* retulerunt; Ephraëmus haec usque ad versus finem ita habet: *quomodo ceciderunt fortes super colles tuos.* Versio Alexandrina ex Cod. Vatic.

---

(1) Male igitur BREITINGERUS l. l. affirmat, HIERONYMUM in vers. sua vocabulum accepisse non de nomine, sed de verbo. Forte versionem vulgatam ante oculos habuit.

(2) CAPELLUS *Crit. S.*, tom. II. p. 882. edit. SCHARFENBERGII, eos legisse existimat הצפי a צפה *speculatus est*, *consideravit.* Hunc refellit SCHARFENBERGIUS, eosque eadem, qua hodie, ratione legisse existimat, στήλωσον repetens a נצב, ἀκρίβασαι a יצב; BUXTORF vero *Anticr.* p. 778. ἀκρίβασαι derivandum esse ab החשבי a verbo חשב, στήλωσον vero etiam a נצב. Cf. SCHLEUSNERUS in *Novo Thesauro* voce ἀκριβάζω.

(3) Uti notavit A. SCHULTENSIUS ad Iob. I: 6.

(4) Aliam, sed, ut videtur, mendosam lectionem ex regio exemplari attulit S. CLERICUS l. l., ut legatur איתעתדון על ישראל.

habet *ὑπὲρ τῶν τεθνηκότων ἐπὶ τὰ ὕψη σοῦ τραυματιῶν*; ex Cod. Alexandr. *ἐπὶ τὰ ὕψη σου περὶ τεθνηκότων*; Aquila *περὶ τῶν τεθνηκότων σου τραυματιῶν*. Ex hisce *περὶ* (s. *ὑπὲρ*) *τῶν τεθνηκότων ἐπὶ τὰ ὕψη* (pro quo Symmachus et Theod. habent *ὕψηλα*) *σου*, veram LXX lectionem constituere videntur, et *τραυματιῶν* ex Aquila originem duxisse probabile est, qui legisse videtur על מתיך s. במתיך pro על במותיך (1); quod eo facilius fieri potuit, quia in Codd. K. 14, in quibus boni complures, legitur במתיך, ut adeo Aquila codicem habuisse censeatur, in quo vel unica litera ב, vel etiam praepositio על fuerit deleta. Quod vero ad hanc Codd. lectionem attinet, ex qua ו eliditur, quaeque etiam vs. 25. occurrit, haec discrepantia saepissime in Codd. obtinet, quod patet, dummodo varias lectiones inspiciamus Deut. XXXII: 13. Iesaiae XIV: 14. Amos. IV: 13. Paraphrasta Chald. hac in re vulgarem lectionem secutus esse videtur; ita autem eum convertendum esse puto: *constitistis Israël super*, sive *ad locum fortitudinum vestrarum. Proiecti estis, qui occideratis alios.*

In permultis Codd. K. litera ו vocabuli גבורים omittitur, quod quam solemne sit, patet vel ex eo, quod eadem etiam discrepantia occurrit vs. 21, 22, 25 et 27. Praeterea nostro et iisdem hisce locis, excepto vs. 22, in perpaucis Codd. K. legitur גיבורים, quae lectio ex eo orta fuisse videtur, quod recentiores Iudaei vocalem Chirek saepius per literam Iod exprimerent. Vetus Itala habet: *et ait: considera Israël pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati*, quae referenda mihi videntur ad hunc, non vero, uti fecit SABATIER, ad praecedentem versum; idemque censeo de vulgata nova, quae, uti mihi videtur, antiquam et Hieronymianam versionem simul admittens, ita convertit: *Considera Israël pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. Inclyti Israël, super montes tuos interfecti sunt; quomodo ceciderunt fortes?* cuius prior pars usque ad vocabulum *inclyti* ad vs. praecedentem referri solet.

Vs. 20.

אל תבשרו *ne annuncietis.* Huic particulae אל plurimi Codd. K. et R. in quibus egregiae multae lectiones, copulam ו *et* addunt, quam expresserunt item LXX, Syrus, Arabs et Hieronymus; Targum vero, quod in *Polyglottis Lond.* impressum est, eam non habet, at in uno Cod. MS. expressam adesse testatur DE ROSSI.

---

(3) Conf. SCHLEUSNERUS in *Opusc. Crit. ad vers. Graec. V. T. pertinentibus*, Lipsiae 1822 pag. 131.

Mihi copula illa quodammodo languere videtur, quare illam aliunde in hunc locum irrepsisse credam.

Pro בחוצת 4 Codd. K. habent בחצת, Schurek, ut videtur, in Kibbuts mutato, quod alibi etiam obtinet. Codd. 11. K. habent בחוצות et Codd. 16. K. בחצות. Recepta tamen lectio bene retineri potest. — Librarii vitio in uno Cod. K. מן, in alio בנות omissa sunt. — Pro הערלים unus Cod. K., plurimis vitiis scatens, habet הערילים.

Vs. 21.

Pro בגלבע 4 Codd. K. habent בגלבוע.

אל טל — עליכם *ne ros nec pluvia in vobis.* Ita etiam Syrus; Ephraëmus vero, haec transponens habet: *ne pluvia, ne ros, ne in vobis.* Codex Alex. μὴ καταβήτω (pro καταβάτω) δρόσος, μηδὲ ὑετὸς πεσόι ἐφ' ὑμᾶς; Edit. Complut. μὴ πέσοι ἐφ' ὑμᾶς δρόσος μήτε ὑετὸς, quae forte ex Theodotione desumta sunt, hunc enim ita habere testatur MONTFAUCONIUS; ex eodem forte verbum πέσοι in edit. Alexandr. irrepsit. Versio vulgata antiqua vertit: *ne ros, neque pluvia cadat super vos;* Hieronymus: *nec ros, nec pluvia veniant* (MS. *veniat*) *super vos*, uti etiam Vulgata Nova. — Haec ideo apposui, ut pateret, versiones hasce nonnunquam paulo liberiorem secutas fuisse vertendi rationem.

תרומות Codd. K. 42. denuo, omissa ו, scribunt תרמות; unus Cod. K. habet תרמת. Theodotion habet ὄρη θανάτου, quasi legerit הרי מות, uti recte animadvertit MONTFAUC. in *Hexaplis;* eundem secuta videtur Vulgata Antiqua, vertens *montes mortis.* In versione Syriaca est ܕܦܘܪ̈ܫܢ pp. *agri separati*, hinc *agri oblationum;* in Ephraëmo autem legitur ܕܦܘܪ̈ܣܢ, quod significaret *agros turpes, infames;* est forte vitium typographicum, in versione enim Latina habetur *agri oblationum.* Notandum praeterea, Arabem non LXX, sed Syrum denuo expressisse.

נגעל Syrus, Arabs et Chaldaeus habent *fractus est*; Ephraëmus autem, qui in versione citanda idem legit, in ulteriori interpretatione habet *abiectus* s. *deiectus est in terram.* MICHAELIS in *Suppl. ad Lex. Hebr.* p. 340, Ephraëmum in versione citanda aliud verbum legisse censet. At vero, num aliud dari possit verbum Hebraicum, quod, *frangendi* notione, permutari potuerit cum געל? Num forte illud etiam ex liberiori vertendi vel interpretandi ratione explicari possit?

Pro בלי *frustra*, unus Cod. K. isque praestans legit כלי, i. e. *supellex, instrumentum quodvis*, quod tamen vocabulum, licet etiam de *armis* accipiatur, nec sen-

sum admittit satis commodum, neque ulla versione antiqua confirmatur. Literas autem כ et ב saepissime permutari notum est (1). Unus etiam Codex literam omisit. Syrus, Ephraëmus, Arabs et Chaldaeus hanc particulam omiserunt. Chaldaeo nulla auctoritas hac in re tribui potest, quandoquidem magis explicat, quam quidem sedulo vertit. Neque etiam, quia Syrus, et, qui denuo eum hoc vs. secutus videtur, Arabs particulam omiserunt, inde multum detrimenti capiat lectionis receptae auctoritas; frequenter enim librariorum errore vocabulum aliquod excidit (2).

Pro משיח plures Codd. K. et R. habent משוח, quod sit participium passivum, quod legisse videntur Aquila, qui vertit *ἠλειμμένος*, itemque LXX *θυρεὸς Σαοὺλ οὐκ ἐχρίστη* (pro quo mendose edit. Alexandr. *ἐχρίσθη*), ut ita subintellexerint verbum היה; versio Syriaca, Ephraëmus et Arabs habent, *qui unctus fuit*, ac simili fere ratione verterunt etiam Hieronymus, Vulgata Antiqua et Nova.

Vs. 22.

Arabs hunc versum ita transtulit: *et impleta fuit ejus terra sanguine caesorum et adipe praevalidorum. Arcus Ionathanis non rediit retro, ensis Sauli non rediit vacuus.* Primorum huius versionis verborum, ut in textu Hebr., ita in reliquis etiam versionibus antiquis nullum occurrit indicium; sin autem priora vocabula usque ad مدم *sanguine* s. *a sanguine* interpolatori accenseri possint, deleto puncto ante vocabulum, quo *arcus* designatur, omnia essent plana eaque versio in construendi ratione conveniret partim cum Syr. vers. partim etiam cum LXX.

Pro מֵחֵלֶב in Codd. quibusdam M. reperitur מֵחֵלֶב, quod ad rem nihil facit, utroque enim modo scribi solet. Nonnulli autem Codd. K. et R. habent, ל mutata in ר, מחרב *a gladio* s. etiam *a bello*; at neque commode explicari hoc potest, neque ulla versione antiqua comprobatur. Quam facile autem eiusmodi error committi potuerit, superiori parte literae ל parumper deleta, non opus est ut moneam.

נשוג In 2 Codd. K. deëst ו, in permultis K. et R. habetur נסוג, quae scriptio magis est consueta; at vero eandem ob causam lectio recepta forte erit retinenda: haud facile enim librarius vulgarem scribendi rationem in minus consuetam conver-

(1) Vid. IAHN. *Einleit.* l. l. p. 471.
(2) Cf. idem p. 466.

terit. Ita etiam Cant. VII: 3, pro נסג, quod vulgo legitur, unus Cod. K. habet נשג. Codd. autem 2 K. n. l. legunt נסג. — In reliquis parum occurrit diversitatis; Graeci ריקם *frustra* tanquam adiectivum vertentes bis illud expresserunt.

Vs. 23.

והנעימם et, quod est in 32 Codd. K. et 2 H., והנעימים aeque de substantivo, ac de adiectivo accipi possunt; unus tamen Cod. H. ac 3 K. iique bonae notae habent והנעמים *amoenitates*, quod forte expressit Arabs vertendo اطياب *unguenta*, *praestantissima quaeque;* LXX vero, Vulgata Antiqua, Syrus, Hieronymus, Vulgata Nova et Targum adiective acceperunt. Hunc locum ita verterunt LXX: Σαοὺλ καὶ Ἰωνάθαν οἱ ἠγαπημένοι καὶ ὡραῖοι οὐ διακεχωρισμένοι, εὐπρεπεῖς ἐν τῇ ζωῇ αὐτῶν καὶ ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῶν οὐ διεχωρίσθησαν. Verba autem οὐ διακεχωρισμένοι εὐπρεπεῖς h. l. supervacanea sunt, neque in textu Hebraico aut alia versione antiqua sunt expressa, quapropter ea ex alio quodam interprete Graeco huc migrasse existimem; posterius certe vocabulum εὐπρεπεῖς abest in Ed. Complut. et Vulg. Ant. — Versio Latina in *Polyglottis* Arabicam ita effert: *benigni in vita et morte sua*, *nec sunt separati;* at vero particula فلم, quod per *nec* redditum est, verti etiam possit *utique non*, ita ut *in vita sua* ad praecedentia, *in morte sua* ad *separati* referatur.

מארית in 8 Codd. K. habetur ומאריות, quod expresserunt etiam LXX: sed Ed. Complut. omisit copulam, uti etiam Vulgata Ant. omiserunt item Chaldaeus, Hieronymus, quaeque eum secuta est Vulg. Nov. sed expresserunt praeterea Syrus et Arabs; verum copula h. l. languere videtur.

Vs. 24.

Pro אל plures Codd. K. et R. legunt על; verbum autem בכה utramque praepositionem admittit, ac praeterea hae praepositiones saepe etiam permutantur. המלבשכם permulti Codd. K. habent המלבישכם; utrumque admitti potest, coll. SCHROED. *Gram.* R. LXVIII. 5. Nonnulli Codd. M. K. et R. legunt המלבשכן quod item expresserunt Syrus et Arabs. Cum vero pronomina plur. aff. 2 et 3 pers. masc. gen. saepius pro foem. usurpentur, coll. SCHROED. *Synt.* R. XXXIV, lectio recepta, quam item secutus est Chaldaeus, forte retinenda. Nonnulli etiam Codd. K. habent המלבישכן.

Pro שני עם unus Cod. K. prima manu habere videtur in plur. שנים עם, quod

expresserunt LXX, Vulgata Ant. et Syrus; Ephraëmus vero singulari num. enuntiavit. Cum autem in hisce unice a puncto diacritico Ribbui haec lectionis Syriacae diversitas pendeat, facile librarii errore vel addi vel demi potuit; Sing. num. habent Arabs, Hieronymus, quaeque hunc secuta est Vulg. Nova. Vix autem credam, lectionem, in qua num. plur. adhibetur, satis firmatam posse censeri; quare codicis Hebr. lectionem ortam esse existimem ex omissione literae ע particulae עם, quae tamen particula deinceps etiam fuerit addita. Praeterea LXX עם ערנים verterunt μετὰ κόσμου ὑμῶν, qui adeo legisse videntur עדיכם (1). Quod facile oriri potuit, si primum quidem נ, librarii errore, fuerit transposita, deinceps vero ob affinitatem mutata fuerit in כ.

לבושכן Codd. nonnulli K. et R. habent pron. masc. gen. כם quod pron. expressit item Targum; unus Cod. K. legit, Schurek, ut videtur, in Kibbuts mutato, לבשכן, uti alibi saepius; alius K. habet לבושיכן in plur. num., quem expresserunt LXX (Cod. Complut. vero sing. num. habet), itemque Syrus, Arabs, Vulg. Ant. Hieronymus et Vulg. Nova; retineri tamen possit lectio recepta.

Vs. 25.

במותיך *in montibus tuis*, in Codd. 11. K. habetur במתך, uti iam ad vs. 19. observavimus; atque hinc Graeca versio, quae est in editione Ald. quamque habet etiam Cod. Coislin. apud MONTFAUC., orta esse videtur; legitur enim ibi εἰς θάνατω, quam lectionem forte etiam expressit Vulg. Ant. *in morte vulneratus est.*

חלל *confossus*, *vulneratus;* ita etiam LXX ex editione Alex., Theodotion et Hieronymus, hic tamen addidit verbum substantivum. Edit. Complut. habet ἐτραυματίσθης, quae lectio etiam in Cod. Coislin. citatur apud MONTFAUC. et FLAMINIUM NOBILIUM, in *addit.* ad *Polyglotta*, qui recte animadvertit, hanc versionem dummodo litera ς deleatur, respondere textui Hebr. In Cod. Vatic. legitur τραυματίαι, quae lectio permutatis ι et ς, facile oriri potuit. Num forte ex hac lectione deduci possit versio Syr. et Arab. quae habent *super colles tuos occisi?* Notum enim, progressu temporis, multa ex vers. LXX irrepsisse in vers. Syr. (2).

---

(1) Uti recte observat auctor operis, cui titulus, *Exegst. Handbuch des A. T.* ad h. l.

(2) Vid. EICHHORN. l. l. p. 137.

V. 26.

צַר לִי *dolet mihi.* Versiones omnes, praeter Chald. qui etiam tertiam personam habet, primâ pers. illud expresserunt. In quo rursus liberioris vertendi rationis videas indicium. — נעמתה unus Cod. K, antiquissimus ac praestans, in fine addidit ה, quae, etsi ferri possit, coll. SCHROED. *Gramm.* R. CLXV. p. 264 sq. non tamen requiritur; forte ea huc migravit ex vocabulo subsequenti נפלאתה, ut utrique verbo similiter adesset ה paragogica. — נפלאתה in 2 Codd. MSS. pluribusque impressis M. invenitur יפלאתה, qui error facile ex deleta inferiori parte literae נ oriri potuit; unus etiam Cod. M. habet, permutata paulisper punctatione, נִפְלְאַתָה, quae lectio omnino est praeferenda, coll. SCHROED. l. l. R. LXXXI. 2. In 2 Codd. K. omittitur ה paragog., in uno Cod. impresso abest item, sed praefigitur nomini sequenti אהבתך, quod, quamvis ferri possit, coll. SCHROED. l. l. R. CLVII. 4., non tamen requiritur nimisque mendum typographicum spirare videtur.

Pro לִי, quod subsequitur, unus Cod. K., isque bonae notae, habet לו, quod, cum h. l. vix admitti possit, librarii errore permutatum credam; saepius enim vitiose hae literae commutantur (1).

In Vulgata Nova haec adduntur: *sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam*; quae, cum neque in textu Hebr. neque in ulla versione antiqua reperiantur, recte glossema habentur. Num forte vel ab Ecclesiasticorum patrum quodam vel ex eorum interpretamentis repetenda sunt? Forte huc referri queant, quae AMBROSIUS de Davidis in Saulum animo attulit: » quae mater", inquit, » sic unicum defleret filium, quemadmodum hic deflevit inimicum (2)?" Sed maioris etiam momenti videntur, quae Ephraëmus ad h. l. notavit: » diligebat quippe eum (Ionathanem) super amorem, quo matres filios suos amare solent; perinde etiam amissum dolebat magis, quam mater unigeniti sui acerbo fato perculsa."

V. 27.

Pro גברים in duobus Codd. H. et 51. Codd. K. est גבורים; cum vero frequens

---

(1) Vid. IAHN. l. l. p. 471.

(2) In huius Opp. a Benedictinis editis. tom. II. p. 123.

videatur esse hac in re codicum diversitas, uti supra ad vs. 19. annotatum est, nescio, num assentiendum sit HOUBIGANTIO, qui receptam lectionem plane reiicit.

ויאבדו unus Cod. K. ואבדו, ut sit in praeterito. Quod ad explicationem attinet, eodem redit; existimem tamen illud librarii vitio esse tribuendum, quia facile litera י omitti potuit. Arabs verbum illud sing. num. effert.

מלחמה vasa *belli*. Unus Cod. K. habet praef. ה adjunctam, quae, quamvis admitti possit, non tamen requiritur. Aquila en Theodotion verterunt σκέυη ἐπιθυμητὰ, qui adeo legisse videntur מחמדה, uti recte explicat MONTFAUC., quod pp. significet vasa *rei desiderabilis*. Ex ea versione hausisse etiam videtur Vulg. Ant. vertens *arma concupiscenda*.

PARS II.

EXEGETICA.

CAPUT I.

OBSERVATIONES GENERALES.

§. 1. *De Saulo et Ionathane eorumque mutua coniunctione, et de vinculo, quod cum his Davidi intercedebat.*

Saepe fit, ut carmen recte intelligi nequeat, nisi eos, quorum in hoc mentio fiat, eorumque cum poëta coniunctionem cognoscamus. Haud aliter elegiae, quam tractandam sumsi, ratio postulare videbatur, ut primum de Saulo et Ionathane ac de mutuo, quod Davidi cum hisce intercedebat, vinculo paucis agerem. Sunt enim nonnulla, in horum virorum historia occurrentia, quae, ex mea quidem sententia, non satis recte a nonnullis explicata sint: quorum tamen explicatio valere possit, ut sensus, in hoc carmine obvii, melius percipiantur.

Et Sauli quidem, de hoc enim primo loco dicendum est, eae fuerunt animi dotes, quibus facile videatur, si privatus semper mansisset, bonus aliquis futurus fuisse civis; idem vero haud constanti firmoque praeditus animo, cum regiam adeptus esset dignitatem, splendidiorem illam vitae rationem et perniciosam adulatorum laudem perferre non potuit. Hinc factum, ut nobiliores, quos ex unctione perceperat, sensus (1) paulatim mitteret, ac tandem eo perveniret, ut ipsius etiam Iehovae mandata sperneret (2). Peccatorum igitur suorum conscientia cruciatus, a

(1) 1 Sam. X: 9.
(2) Ibidem XV: 9 sqq. coll. vs. 3.

Deo relictum se putans, atque timens, ne ex praedictione (1) aliquis ipsum regia dignitate privaret, homo miserabilis quotidie in peius ruebat. Cuius perversitatis tum alia exstant documenta, tum maxime eius in Davidem agendi ratio: quem enim antea bene habuerat, hunc paulo post regni appetentem existimans, primum insidiis petit, deinde vi et armis aggreditur. Idem vero Saulus, cum quis esset, qui ipsi, quantum perpetraret flagitium ante oculos poneret, pronus erat ad suam confitendam perversitatem (2). Praeterea, etiamsi universe moribus esset corruptis, habebat tamen, quibus, tanquam rex, populo suo placeret. Israëlitae enim ea etiam nunc erant indole, ut virtutem bellicam omnium haberent maximam; cumque praeterea multis periculosisque cingerentur hostibus, hoc etiam in causa fuisse videtur, cur aliquem sibi expeterent regem eundemque belli ducem (3). — Iam vero ea fortitudine omnino eminuit Saulus; hanc enim patefecit in prima, quam commisit, pugna (4); hac etiam factum, ut tot tantasque deinceps reportaret victorias (5); eadem tandem excelluit virtute in postremo, cui interfuit, cum Philistaeis bello. Quamvis enim, mulieri fatidicae fidem habens, sibi moriendum esse crederet, tamen in pugnam processit, et, quamdiu licuit, fortiter pugnavit; et vero, in quo, dummodo ex temporum moribus explicetur, fortitudo conspicua est, cum premeretur hostibus, se ipse interficere maluit, quam aut fugere, aut in potestatem hostium venire (6). Insuper etiam Saulus, ut gratiam apud populum iniret, impense huic favisse videtur, usque adeo, ut eam in rem iniuste nonnunquam in alios ageret (7).

At vero maiori longeque etiam nobiliori benevolentia fuit atque caritate in filium suum Ionathanem. De hoc enim, quod inter utrumque intercessit, vinculo nunc secundo loco est agendum. — Itaque cum Saulus, in regni initio, tria millia militum sibi seligeret, horum mille concessit iuveni huic fortissimo (8), unde luculenter patet, quantam in eo posuerit fiduciam. Hinc etiam, cum Davidem interficiendi iniisset consilium, Ionathanis precibus adeo fuit commotus, ut, iureiurando interposito, promitteret, se ei manus non esse illaturum, eumque statim etiam do-

---

(1) 1 Sam. XV: 23 sqq.
(2) XV: 24 sq. XXIV: 18.
(3) XII: 12.
(4) XI: 6 sqq.
(5) Vid. XIV: 31 sqq. et vs. 47 sqq.; XV: 7. XVII: 53.
(6) 1 Sam. XXXI: 4. Cf. omnino NIEMEYER, *Charakterkunde van den Bijbel*, tom. III. p. 137 sq.
(7) Cuius luculentum indicium exstat 2 Sam. XXI: 2.
(8) 1 Sam. XIII: 2.

mum reciperet suam, atque eadem, qua antea, complecteretur benevolentia (1). Quanta autem haec Sauli in filium fuerit propensio, patet praesertim in eo, quod ipse Ionathanes profiteretur, patrem suum rem nullam ipsum celare solere, sive magni illa esset momenti, seu parvi (2); quod sane in homine quam maxime suspicioso summum caritatis indicium habendum est.

Haec cum ita sint, patet, duo loca, quae, primo intuitu, cum hoc amicitiae sensu pugnare videantur, non nimis esse urgenda. Narratur nimirum, 1 Sam XIV: 38 sqq., Saulum in eo fuisse, ut filium suum interficeret; quod censetur a benevolo in filium animo plane esse alienum, in summis etiam rerum angustiis. Atqui in ipsa illa relatione occurrunt magnae caritatis indicia; ita vs. 39 Saulus, ut ostendat, quam firmum sibi sit consilium, iurat, mandati violatorem quemvis esse moriturum, si vel filius ipsius esset Ionathanes; in quo additamento paternae caritatis vocem audis; sic ipsum illud iusiurandum, quod iterum interponit Saulus, vs. 44, indicium mihi esse videtur animi graviter commoti, qui se haud parem esse sentit, ut perficiat, quod ante iurasset. Quare etiam Saulus populi precibus facile eo adigebatur, ut filium suum mitteret, coll. vs. 45. Praeferam itaque eorum sententiam, qui totam illam rem ex superstitiosa iurisiurandi, imprudenter interpositi, veneratione repetunt (3). — Alter, quem spectavi, locus est 1 Sam. XX: 30 sqq., ubi Saulus, acerbius in Ionathanem invectus, in hunc iaculum immisisse dicitur: at vero, unicuique Sauli indolem ac tristem et difficilem, in qua versabatur, conditionem consideranti, tale quid mirum accidere non potest: arbitrabatur enim, Ionathanem revera cum Davide contra ipsum coniurasse, conf. etiam XXII: 8.

Haec vero Sauli ira brevis fuisse videtur: etenim, quamvis non diserte memoretur, Ionathanem deinceps in gratiam cum patre rediisse, mihi tamen illud admodum videtur esse probabile. Hoc enim nisi statuatur, non video, quomodo explicari possit, Saulo filium suum comitem adfuisse in pugna contra Philistaeos (4), quamquam sine dubio noverat, ipsum inter hos degere Davidem (5). Praeterea idem etiam luculenter patet ex ipsius nostrae elegiae vs. 23, ubi affirmat poëta, hosce se invicem per totam ipsorum vitam caritate fuisse prosecutos. Neque mirum

---

(1) 1 Sam. XIX: 4—7. (2) 1 Sam. XX: 2.

(3) Similiter Iephta, Iudic. XI: 30 sqq., quod imprudens votum fecerat, tenendum sibi putavit, quamvis reluctaretur paterna caritas.

(4) 1 Sam. XXXI: 2. (5) XXVII: 4.

profecto, Saulum, et per hoc postremum vitae tempus, et per omnem aetatem adeo amasse filium suum: erat enim Ionathanes insigni praeditus fortitudine (1), quam tanto pretio habebat Saulus, ut hac etiam de causa Davidem diligeret et ad se reciperet (2). Quod si vero candidi iuvenis indolem eximiam attendimus, apparet, fieri aliter nequaquam potuisse, quin filium suum adamaret pater. Non enim adeo depravatus erat Saulus, ut, quam in aliis videret, virtutem sperneret; quod cum vel ex memorabilibus, quibus Davidis generositatem laudavit, dictis pateat (3), quanto illud maiori iure de eius in filium propensione affirmari possit? Ionathanes enim, virtutis studiosissimus, pietate in patrem erat summa. Itaque, quamvis mandatum paternum, ne milites, dum persequerentur hostes, aliquid commederent, imprudens censeret (4), tamen, cum criminis reus existimaretur, ipse insons mori malebat, quam iniusto patris decreto se opponere (5). Quid? quod ille, admirabili sane exemplo atque omnium imitatione dignissimo, nunquam, ne amici quidem causa, officio, quod patri praestandum esset, defuerit: Davidi generose dignitatem regiam cedebat; ast, qui eo ipso demonstrabat, se nihil sui commodi causa nimis censere arduum, quod non propter amicum susciperet; idem, in patris gratiam, desistebat ab eo, quod animus vehementer expetebat; namque in domum paternam redibat, quamvis amicum in desertis oberrantem comitari cuperet atque consolari (6).

Atque haec de Saulo ac Ionathane, de eorumque mutua benevolentia sufficiant. Videndum iam est de coniunctione Davidis cum Saulo et Ionathane. — Cum Davides rebus quibusque facile moveretur, ac vitiis et iniuriis, alii illatis, admodum indignaretur, mirum non est, eum nonnunquam optasse, ut a Saulo, crudelissimo suo inimico, a quo gravissimis malis insons afficiebatur, liberaretur (7). Idem tamen, quamvis probe nosceret, se, mortuo Saulo, Israëlitarum regem esse evasurum, tam longe aberat, ut aliquid contra regem moliretur, ut potius desiderium compesceret suum (8), ac Iehovam adeo invocaret, ut ipsum puniret, si Saulo mali quid cupiisset (9). Immo non nisi raro regem accusat, sed

---

(1) 1 Sam. XIII: 3. XIV: 6 sqq.
(2) XVIII: 2.
(3) XXIV: 18 sq. cf. XXVI: 21.
(4) XIV: 29.
(5) XIV: 43.
(6) XXIII: 17 sq.
(7) Ps. VII: 3. XVII: 12 sq. XXV: 8. 1 Sam. XXVI: 10.
(8) Ps. CXXXI: 1, 2.
(9) Ps. VII: 4 sq. cff. etiam Pss. XVII: 2 sqq.; XXVI: 1 sqq.; CXXXIX: 2.

fere semper in perfidos aulicos ac regis assentatores invehitur in eosque culpam transfert omnem (1). Scilicet, uti Orientales universe maxima in viros principes feruntur reverentia, ita Israëlitae suos reges longe etiam maiori honore prosequi debebant, quippe qui ab ipso Iehova iis praeficerentur, huiusque adeo essent vicarii. Itaque haec persuasio, regem esse hominem Iehovae sacrosanctum, apud Davidem valebat quam plurimum, adeo quidem, ut hac ipsa vindictae cupidinem constanter reprimeret et Saulo bis generosissime parceret (2). Et haec quidem primaria fuisse videtur causa, ob quam Davides magnam erga Saulum observantiam per omnem vitam demonstravit. Profuisse etiam aliquatenus videtur ipsa Sauli indoles, non omnino perversa, utpote qui, quando ad se redibat, saepe humanus esset atque in Davidem benevolus. Tandem vero accessit etiam summa Davidis in Ionathanem, Sauli filium, amicitia, ipsius animum facillime componens ad reverentiam, simillimam illi pietati, qua erga patrem erat amicus. — Sed hoc melius etiam percipietur, quando mutuam hancce eorum amicitiam paulo propius spectaverimus.

Prouti in aliis rebus plurimis Israëlitae, divina usi institutione, prae suae aetatis gentibus longe multumque excelluerunt, ita eadem puriorum illorum divinitus excitatorum sensuum notionumque vis et efficacitas enituit in Ionathanis et Davidis amicitia; quod nisi teneatur, quomodo haec in hominibus Orientalibus tamque remota aetate explicari possit, non video. Ipse etiam historicus sacer, cui Samuelis libros debemus, maximopere illa delectatus fuisse videtur; diutius enim in hac eorum amicitia memoranda versatur, quam ceteroquin in istiusmodi rebus circumstantibus morari solet. Et origo quidem huius amicitiae, quam et ille diligenter enarrat, haec erat: Davides, Iehovae confidens, Goliathum devicerat, virum adeo terribilem, ut nemo cum illo pugnare ausus esset; quare, simul atque ad regem pervenisset victor, Ionathanes eum diligere coepit, ut animam ipse suam (3). Nimirum procul dubio antea etiam Davidem cognoverat, cum hic musices vi Sauli morbum propulsaret (4): sed vero, cum tantam in Davide cerneret fortitudinem cum pietate coniunctam, flagranti eius amore incenditur; scilicet simillimam ille fortitudinem, cum pari erga Iehovam veneratione coniunctam, olim et ipse demonstraverat (5); nihil autem est, quod ad se rem ullam tam alliciat, quam ad amicitiam similitudo (6). Immo

(1) Ps. XXVII: 12. LVI: 3. LXIV: 2—6. CIX: 2 sqq. CXL: 3 sq. alibique.
(2) Uti recte monuit NIEMEYER l. l. p. 170.
(3) 1 Sam. XVIII: 1. (4) XVI: 18—23. (5) XIV: 6 sqq.
(6) CICERO *de Amic.* c. 14.

vero, quam sui similitudinem amicus solet in animo diligere, hanc et in ipsa corporis forma expressam contemplari gestit. Sic alii memorantur amici, qui aut arma, aut insignia, aut vestitum amicis induerunt (1); sic et Ionathanes suum amico pallium, suam vestem, immo et gladium suum et arcum, et vero suum amico Davidi cingulum tradidit (2); ut hic plane esse videretur alter idem. — Uti autem hac in re egregiam indolem prodidit Ionathanes, quippe qui Davidis fortitudini non inviderit, sed illa adeo fuerit delectatus, ut ipsum adamaret; ita posterioribus praesertim temporibus animi sui magnitudinem omni sua patefecit praestantia. Nam, prouti » frater in rebus adversis nascitur (3)" sive, ut Salomonis dictum verbis Ennii illustrem, prouti » amicus certus in re incerta cernitur," sic Ionathanes, quo maioribus in periculis versatur Davides, eo etiam maiori eum amplectitur caritate atque cura benevola. Ita statim ac mala quaedam amico imminere perspicit, horum eum certiorem reddit (4), ut effugiendi illi sit opportunitas, atque tum demum ad patrem redit et pro eo intercedit, cum cognovit, eum in loco quodam versari, ubi a Sauli insidiis tutus degere possit (5); cumque data quadam opportunitate idem ageret, et pater mortem ipsi minaretur, hanc non sibi timet; sed, ex eo colligens, quantopere Davidi iratus esset Saulus, tanta afficitur tristitia tantoque de amici sorte premitur metu, ut per totum diem cibo abstineat (6). Quod si vero Ionathanem cum Davide amicitiae foedus ineuntem adspicimus, apparet nobis magnanimus ille amicus, qui, licet regis filius natu maximus atque adeo Sauli successor habitus (7), Davidi tamen dignitatem regiam, ad quam eum unctum esse noverat, lubenter cedit, unumque hoc ab illo petit, ut ipsius posteros bene tractet (8), atque ipse ab amico rege secundus evadat (9); quare etiam dilectissimum virum a Saulo valde metuentem ad fiduciam in Deo ponendam cohortatur, affirmans, eum in

---

(1) Simile exemplum invenias apud HOMER. Il. VI: 230. Aliud etiam de Timure retulit GIBBONUS, *Histor. of the Decline and Fall of the Rom. Emp.* cap. LXV initio.

(2) 1 Sam. XVII: 4. cf. cl. V. D. PALM in Opere cui titulus; *Salomo*, IV: 752.

(3) Proverb. XVII: 17. *Fratrem* enim ibi designare *amicum verum* patet ex parallelismi ratione, praecedit enim: « amicus quovis tempore amat." Solent autem nomina, quibus amicus et frater designantur, permutari, coll. cl. V. D. PALM l. l. p. 746.

(4) 1 Sam. XIX: 2. XX: 9. (5) XIX: 2 sqq. (6) XX: 33 sq.

(7) Coll. 1 Sam. XIV: 49 et XX: 31.

(8) Quod iusiurandum utrum deinceps violaverit Davides, non satis patere ex 2 Sam. XIX: 24 sqq., neque minus etiam ex XXI: 5 sqq. mihi cum multis videtur.

(9) 1 Sam. XX: 14 sqq.

patris sui potestatem non venturum, sed certo Israëlitarum regem esse evasurum (1).

Quae cum fuerit summa Ionathanis in Davidem caritas, nullum dubium esse potest, quin hic, qui ea semper fuit indole, quae ad amicitias conciliandas valeat quam maxime (2), Ionathanem etiam vicissim tenerrimo prosecutus fuerit amore. Praeterea illa amicitia hanc etiam vim in Davidis animum habuisse censenda est, ut, quod supra iam animadverti, Saulum, utpote Ionathanis patrem, maiori quadam coleret reverentia, quam cuius ceteroquin capax fuisset vir, malis sibi illatis vehementer commoveri solitus. Nam quomodo Ionathanes, filius in patrem pius, Davidem adeo amare potuisset, si hic Saulum inexpiabili habuisset odio?

Sic ergo et Sauli paterna in Ionathanem caritas atque in populum benevolentia, et Ionathanis in patrem pietas, et Davidis erga regem amicique sui patrem reverentia, et vero arctissimum illud inter duos egregios iuvenes amicitiae vinculum effecerunt, ut horum triumvirorum historia sit admodum memorabilis; effecerunt vero etiam, ut eximiis quibusque sensibus abundaret carmen, quod in Sauli et Ionathanis mortem cecinit Davides.

§. 2. *Quinam in carmine dominentur sensus.*

Apud Hebraeos non tantum, sed et apud alias ex antiquitate gentes usitatum fuisse, ut mortem virorum principum, eorum maxime, qui in pugna ceciderant, vel orationibus vel carminibus publice recitandis lugerent, quibus eorum laudes extollerent, satis omnino constat (3). Non est igitur quod miremur, Davidem hanc consuetudinem avide arripuisse, partim ut, quod animus cupiebat, palam dolorem et desiderium significaret suum, quo tristitiae quaereret levamen, partim ut suo ipse exemplo incitaret Israëlitas, ut Saulum regem, miserabili fato caesum, grata memoria colerent, utque ad huius et Ionathanis fortitudinem, oculis quasi exhibitam,

(1) 1 Sam. XXIII: 16 sq.

(2) Uti patuit vel ex eo, quod in vitae conditionibus asperrimis nunquam ei defuerint amici fidi, veluti cum a Saulo profugus per deserta vagaretur 2 Sam. XXIII: 13 sqq. coll. 1 Chron. XI: 15 sqq. XII: 18; et cum propter Absalomi coniurationem aufugere cogeretur 2 Sam. XV: 18 sqq. coll. XVI: 16 sq. et XVII: 7—13.

(3) De Hebraeis infra dicendi erit opportunitas; de Aegyptiis retulit DIOD. SIC. L. I. C. 72, 92; de Graecis idem XI. 33; et de Graecis ac Romanis DION. HALIC. L. V. C. 17. ibique CASAUB. Ex Septentrionalibus OSSIANUM nominasse sufficit.

ipsi ardore pari viribusque coniunctis pro patria pugnare discerent. — Quamvis autem utrumque virum laudibus cumulet vates, ac subinde impetu poëtico altius se efferat, hic tamen honos Davidi est tribuendus, cum quod sibi hac in elegia semper constet, ita ut talem plane se exhibeat, qualem se antea fuisse animatum factis probaverat, tum quod nihil praeter veritatem iis tribuat, quorum laudes celebrandas in se susceperat. Nam cum Saulus et Ionathanes in pugna contra Philistaeos fortiter pugnantes cecidissent, atque semper se praestitissent viros bellicosos, hanc eorum fortitudinem eximiam, quam summo pretio habebant et ipse et Israëlitae omnes, exquisitis verbis celebrat, vs. 22 et 23[b]; unde, etiam ab hac parte, utriusque, *sed* praesertim Ionathanis, mortem ex animo deplorat, vs. 19, 25, 27; ac tandem, quod in patre et filio iure maximum habetur, mutuam eorum caritatem extollit, vs. 23[a]. Et haec quidem in utroque viro coniunctim effert. At vero cum in publicum usum composuerit carmen Davides, apposite ac vere hortari poterat, ut Sauli etiam tanquam regis mortem lugerent Israëlitae, vs. 21 fine et vs. 24; sed, quod vix aut ne vix quidem carminis publice cantandi ratio ferebat, poëta nominatim etiam suam erga Ionathanem amicitiam commemorat, vs. 26, quod, si defensione egeat, ex ardenti amici desiderio est defendendum.

Observandum autem est, quam praeclare cum Saulo egerit Davides, quippe qui ne minimam quidem malorum, quae ipsi intulerat rex, mentionem faciat, sed omnia, quae in huius laudem dici possent, commemoret. Idem tamen, assentatoris atque simulatoris nomen abhorrens, Saulum, unice tanquam regem eumque fortissimum et populo filioque suo benevolum laudat. Ab altera vero parte Ionathanem amicum desideratissimum quam potest frequentissime nominat, atque huius in se amicitiam exquisitis verbis, ex intimo animi vehementer commoti dolore profluentibus, extollit.

Prouti autem Davides in omnibus suis carminibus animi sensa egregie atque ex vero expressit (1); ita etiam per totam hancce elegiam quaedam affectuum, gravissimum dolorem spirantium, naturalis cernitur ratio, non poëseos artem, sed vim naturae exprimens. Est enim totum hocce carmen quam maxime abruptum; ita inde ab initio poëta

. . . . in medias res
Non secus ac notas auditorem rapit . . . (1)

---

(1) Cf. cl. MUNTINGHE in Praef. ad *Psalmorum versionem Belg.* ed. altera p. 36.
(2) Quod in carminis laudem affert HORATIUS, *Ep. ad Pisones*, vs. 148 sq.

atque universe affectus vehementiores tam celeriter lenioribus succedunt, ut omnia videantur esse perturbata, quae tamen si propius spectentur, animi vehementer commoti naturae prorsus sunt consentanea (1); quod in ipsa carminis interpretatione luculentius patebit.

Quamvis autem haec ita sint, fuerunt tamen, qui perstringerent Davidem, quod una cum amico Ionathane celebraverit etiam Saulum, qui ipsum plurimis gravissimisque affecerat malis. At vero longissime sane abest, ut poëta pares utrique concesserit laudes; praeterea, quod omnino tenendum est, carmen non in suum, sed in popularium ac publicum usum condidit; quibus aliud etiam, ex mea quidem sententia, addendum est, quod ex iis, quae deinde tractanda sunt, ulterius patebit, positum in eo, quod carmen hocce tale, quale nunc superest, non statim post virorum mortem compositum fuerit, sed nonnullis demum annis postea.

Quidquid est, videntur Israëlitae elegiam hancce summo habuisse pretio: hoc enim cum iam per se verisimile sit propter honorem, carminibus Davidicis tribui solitum, egregie confirmatur, cum ex elegiae commemoratione, ab historico facta, tum in primis ex eo, quod, uti deinceps animadvertetur, ipsius nostri carminis versus 20 opportunitatem praebuit proverbii, communi vitae usui servientis. Nec mirum. Sive enim ad eximiam poëseos vim attendatur, sive naturalis spectetur affectuum impetus, seu tandem nobiles animadvertantur animi sensus, tuto affirmare licet, esse hoc carmen inter alia plurima maxime praestans eiusque auctorem cum egregiam facultatem poëticam, tum indolem patefecisse praeclaram omnique laude dignam.

§. 3. *De tempore, quo carmen compositum fuisse videatur.*

Quandoquidem satis inter omnes constat, historicos sacros a iusto temporis ordine nonnunquam recessisse, eo maior censenda est difficultas definiendi temporis, quo nostrum compositum fuerit carmen, quia illud ex peculiari libro desumtum esse traditur. Videndum itaque primum, quibusnam temporibus illud componi non facile potuerit, ut ita coniici possit, quo tempore revera conditum fuisse videatur.

Ex orationis contextu censeri possit Davides Elegiam cecinisse, cum etiam nunc in Philistaeorum regione degeret; atqui totum carmen adeo est elaboratum, eiusque pe-

(1) Quod de aliis multis Davidis carminibus observat MUNTINGHE l. l. p. 40 et 43.

riodorum poëtica conformatio aliquid habet adeo exquisitum, ut vix credam, Davidem illud in maximo illo doloris aestu ita fundere potuisse (1). Praeterea filiis Iudae i. e. tribui Iudaicae datum fuisse, ut publice cantaretur, traditur vs. 18, quod non potuisset, quamdiu ab illa nondum rex creatus esset Davides. At ne eo quidem tempore, quo rex primum creatus fuit, carmen compositum fuisse mihi videtur; erant enim ea tempora adeo turbulenta, ut vix aut ne vix quidem solenne illud festum funebre institui potuerit; ipsique illi anni, quibus Davides Hebrone erat rex populi in varias partes distracti, omnium tristissimi ei fuisse videntur (2). Neque vero aliquem offendat, carmen *Iudae* datum fuisse tradi; cum enim haec tribus primaria haberetur, facile hac universus *populus Israëliticus* significari potuit (3). Ac revera mihi quidem probabile est, Davidem carmen illud tum demum in publicum edidisse, cum totius populi rex esset creatus. Hoc enim ipsa rei indoles postulare videtur, quandoquidem Saulus ex tribu Beniaminitica oriundus fuerat ac populo universo praepositus; quapropter non recte uni tribui Iudae fuisset datum (4). Praeterea erat illud omnino utile: nam, etiamsi omnes tribus, mortuo Isbosetho, eum regem creassent (5), multi tamen etiam nunc supererant, qui Sauli partibus favebant, uti et ipsa rei indoles ferebat et ex posterioribus maxime temporibus in Simeo (6) patuit; quare hi non poterant non carmine isto incitari, ut benevolentiori in Davidem essent animo; quod tamen non ita accipi velim, quasi existimem, Davidem unice eo fuisse impulsum, ut sibi prospiceret; quamquam enim inimici memoriam dedecore afficere potuisset, vel sic tamen non tantum ei parcere maluit, verum etiam laudare; quare, ut AMBROSII verbis utar, » et honestas utili- » tati praelata est, et utilitas secuta est honestatem (7)." Tandem vero, quod meae sententiae imprimis favere videtur, Davides in ipso nostro carmine vs. 24 non alloquitur filias *Iudaicas*, sed *Israëliticas*.

Hisce igitur rationibus inductus sum, ut existimarem, elegiam hancce, ea, qua

---

(1) Quod animadvertit jam SOFFRANES *Commentar. in Davidem*, p. 224.

(2) Uti recte observat cl. V. D. PALM in Opere *Eenige liederen van David*, p. 135.

(3) Vid. RELANDI *Palaest. Illust.* L. I. p. 32. cui assentitur cl. PAREAU *Ant. Hebr.* p. 45. cf. MUNTINGHE l. l. p. 55.

(4) Uti recte animadvertit iam BREITINGERUS *Prolegom.* c. IV. §. 2. *ad V. T. vers.* LXX. tom. II.

(5) 2 Sam. V: 1 sqq.

(6) XVI: 5 sqq.

(7) *De Offic. Ministr.* l. III. c. IX. §. 60. in eius operibus cura *Benedict.* tom. II. p. 123.

hodieque superest forma, tum demum esse editam, cum Davides Israëlitis omnibus rex esset praefectus. Quod si autem ulterius etiam coniicere liceat, credam equidem, lessum huncce funebrem octavo anno, postquam caesi fuerant Saulus et Ionathanes fuisse cantatum, quia per septem annos et sex menses Hebrone regnavit Davides (1), et quia in usu fuisse videtur, ut quotannis nobilis cuiusque sive mulieris, seu viri exsequias celebrarent Iudaei (2).

Ex hac sententia etiam lux nova ipsi carminis indoli accedere mihi videtur: namque cum Davides antea optasset, ut a Saulo liberaretur, ac deinde Deo gratias ageret, se ab eo esse liberatum (3), mirum accidat, eundem, statim atque huius mortem audivisset, eum laudare potuisse; praeterea, num censeri possit Davides amicissimum Ionathanem tunc temporis una cum Saulo potuisse celebrare, nec potius singulare aliquod carmen in iucundissimae amicitiae memoriam condidisse? At vero, cum, Israëlitarum rex creatus, voti compos esset factus, malorum, quae perpessus fuerat, recordatione non amplius tam vehementer afficiebatur, ut non toto ex animo populum incitare posset ad ea in Saulo laudanda, quibus revera excelluerat; idem autem, cum etiam nunc tanto Ionathanis teneretur desiderio, carminis, in popularium usum compositi, proposito primario non poterat, quin huius amici adiungeret laudes eximias ac maiores etiam, quam quas Saulo tribuerat.

Sed, dicat forte aliquis, carmen hocce affectus spirat nimis vividos, quam ut existimari queat, tamdiu post horum virorum mortem esse compositum. Ast num poëta ardenti praeditus ingenio, qualis erat Davides, animo praesentia sibi sistere non possit ea, quae ante aliquot annos peracta sunt? Quid? Ossianus nonne poëta dicendus est eximius, nonne in primis sublimitate est conspicuus, nonne in eius carminibus vehementiores affectuum impetus frequentes occurrunt? Nemo facile negaverit. Condidit tamen idem ille Ossianus pleraque carmina tum demum, cum senex oberraret, omnesque fere heroës, quos in carminibus celebrabat, iam dudum essent mortui (4). Scilicet, ut ipse profitebatur, animus eius praeteritis recolendis facinoribus occupatus, eodem, quo iuvenis, afficiebatur gau-

(1) Coll. 2 Sam. V: 5.

(2) Memoratur illud diserto de Iephtae filia Iud. XI: 40, atque huc forte etiam respicitur 2 Chron. XXXV: 25.

(3) Ps. CXXXVIII.

(4) Vid. e. g. Pugna Lorae, Comlath et Cuthona, Temora, Berrathon. Cf. *Discours prélim.* p. 13 et 31, qui occurrit in *nova versione Gallica carminum Ossiani aliorumque Bardorum*, Paris 1810.

dio (1), eodem amore cantandi denuo incitabatur, et vehementissimo cordis impulsu commotum se sentiebat (2).

Quamvis igitur existimem, nihil detrahi de elegiae Davidicae praestantia, si quis statuat, eam octavo demum post Sauli et Ionathanis mortem anno esse compositam, vel sic media quaedam via mihi eligenda esse videtur, qua censeatur Davides in primo doloris aestu carmen composuisse, sed deinde illi eam indidisse formam, qua hodieque superest. Nam cum haec esset Davidi indoles, ut, quos ex fortuna sive prospera, seu adversa perceperat sensus, carmine effundere gestiret (3), mirum videri possit, eundem huic naturali impulsui restitisse, postquam immanem illam ex carissimi capitis morte infelici fecerat iacturam. Neque etiam a Davidis poëtae ingenio alienum esse aliquis putet, carmina quaedam mutatis nonnullis alii cuidam occasioni adaptare, nam » eadem carmina nonnunquam ab eo fuerunt » revisa novisque occasionibus denuo edita: sic ex Ps. CV et XCVI alia occasione » novum fecit canticum publicoque cultui sacravit, uti liquet ex 1 Chron. XVI: » 8 sqq. (4)." Simile quid apparet etiam in 2 Sam. XXII et Ps. XVIII, ubi idem carmen, sed ab ipso poëta immutatum occurrit (5). Quae quidem res tam parum nocuit carminum praestantiae, ut viri doctis inter se dissentiant, quaenam sint praeferenda.

Haec omnia reputanti mihi optime videbatur convenire et poëtae nostri agendi modo, in aliis etiam carminibus conspicuo, et ipsi carminis indoli, ut statuatur Davides carmen hocce primum quidem condidisse, vel statim post acceptum cladis nuntium, vel saltem cum etiam nunc recens eius memoria totum poëtae animum teneret occupatum: sed deinceps, data opportunitate, illud paululum ita immutasse, ut rite in usum publicum adhiberi posset.

Ita quidem unice superari posse existimem difficultates, quae nobis, eam in rem inquirentibus, caeteroquin ex ipsa Davidis conditione oboriantur. Facile praeterea exinde explicatur et mentio Israëlitidum, in ipso carmine facta, et conspicuus in eodem Davidis erga Saulum animus, qui nimis alioquin videri possit benevolus. Hinc tandem etiam apparet, qui factum, ut in hacce elegia Davides plane ad rei

(1) *Calthon et Colmal* initio.
(2) *Bellum Inisthonae* initio.
(3) Cf. MUNTINGHE l. l. p. 36.
(4) Sunt verba J. J. SCHULTENSII in *Sylloge Dissertatt.* I. p. 412.
(5) Vid. idem l. l. p. 397 sqq. et REDDINGIUS *de Psalmis bis editis*. p. 12 sqq. et p. 4.

veritatem exprimere potuerit fervidos vehementesque animi motus, dolorem gravissimum eumque recens illatum spirantes.

§. 4. *De externa carminis forma.*

Quemadmodum haec peculiaris cernitur poëtarum Hebraeorum ratio, ut singulos versus in duas pluresve partes dividant, quae sibi invicem respondeant, sic in nostra etiam elegia mirus quidam parallelismi, qui dicitur, delectus elucet, ita quidem, ut non desint versus, in quibus alia aliis respondeant, contrariis contraria, sententiam acutam reddentia; complures vero adsint, in quibus eadem res variis repetitur vocibus, atque a poëta, rei illius cogitatione pleno, iterum iterumque inculcatur; denique ut reliquorum membra varia, licet varias res complectentia, ita sint composita, ut in ipsa orationis forma quaedam aequalitas servetur, et sonis ipsis iucunda, et eleganti poëseos artificio placens. Praeterea, ut iudicis acutissimi et hac in re versatissimi LOWTHI verbis utar, » periodus intercalaris singularem habet rationem: non enim, » ut plerumque fit, eadem omnino forma iisdemque vocibus perpetuo interponitur, » sed paulum immutata cumque iucunda et dictionis et ordinis variatione tribus vicibus facta; inchoat enim carmen et concludit et semel intermedio ponitur. — » Est etiam aliud, quod tamen coniectura solum innititur. Videtur mihi hic threnus singulare aliquid habere in versuum mensuris; liberiorem nimirum usum et » varietatem metrorum, ita ut non aut illis longiusculis solis aut brevioribus maxi- » meque usitatis unice constet, sed ex utrisque inter se permistis et artificiose tem- » peratis; ut parallelismi acumini, et concinnitati, fusum illud ac leniter profluens » styli elegiaci genus aliquatenus moderetur: quod idem in nonnullis Psalmis videre » mihi videor. Sane in harum periodorum poëtica conformatione quiddam valde » exquisitum factumque apparet (1)."

Quod autem attinet ad rationem, qua carmen cantatum fuerit, existimem, Israëlitas illud per choros cecinisse (2), quod etiam multum ei attulisse pulcritudinis censendum est iis temporibus, quibus canebatur. Haud enim improbabiliter statuitur, carmina, quae usui publico inserviebant, saepissime per choros efferri solita fuisse,

(1) *De S. Poësi H.* ed. 2. ex recens. I. D. MICHAELIDIS, Göttingae 1770. Prael. XXIII. pag. 480; quam editionem ubivis secutus sum, nisi aliam diserte commenorem.

(2) Patet ex auctore Dissert. ad 2 Sam. *Probe eines Kritischen Versuchs* in *Memorab. von* PAULUS VIII. p. 81, Germanum quendam, quem dicit auctor *Pseudonymum Otmar*, iam probasse, elegiam hancce per choros fuisse cantatam, sed vero huius viri sententiam inspicere mihi non licuit.

quod cum de pluribus carminibus sacris constet (1), et imprimis valeat de iis, quae in memoriam reportatae victoriae canebantur, uti infra ad vs. 20 notabitur; quid mirum, eundem morem etiam obtinuisse in carminibus funebribus? Immo cum diserte memorentur cantatores et cantatrices, Iosiae mortem lugentes (2), nullum dubium mihi quidem esse videtur, quin interdum saltem mortuorum laudes per choros celebraverint Israëlitae. Quare eo magis talis ratio in nostro carmine admittenda videtur, quandoquidem ipsum Davidem magnopere choris delectatum fuisse satis constat (3). Sed vero ipsa etiam carminis indoles illud postulare videtur: adest enim versus intercalaris, qui ter occurrit, vs. 19, 25 et 27, et praeterea varii atque a se invicem longe diversi sensus rationi chororum egregie conveniunt, quod, ni fallor, sponte patebit ex distributione, quam postea in carminis versione exhibebo; qua in re Davidi etiam partes quasdam tribuendas esse existimavi: qui enim alia quadam opportunitate ante cantantium turbam ibat atque saltabat (4), quique ad Abneri sepulcrum flebile carmen canebat (5), hic profecto una cum aliis censendus est Ionathanis etiam, amicissimi iuvenis, mortem deplorasse eiusque laudes celebrasse. Quare Davidi eos versus tribui, qui maximam doloris spirant vehementiam, vs. 21, vs. 23ª et vs. 26, virorum autem choro vs. 22 et 23ᵇ, qui versantur in heroum laudibus bellicis celebrandis; mulieribus partes magis querulas, vs. 20, 24, ac tandem universo choro periodum intercalarem, in qua totius carminis versatur cardo (6).

Quodsi hoc carmen ita fuerit cantatum, unusquisque facile intelligat, debuisse id in Israëlitas vim habere maximam. Hi enim, rebus in sensus incurrentibus imprimis moveri soliti, non poterant non graviter affici animo, cum multos viros et mulieres ipsumque adeo regem audirent atque adspicerent, acerbum dolorem inter canendum voce, vultu totoque corporis habitu exprimentes, et, dum se invicem identidem excipiebant, in iisdem doloris sensibus exprimendis consentientes atque concordantes.

---

(1) Vid. HERDER *over de Hebr. Poëzy* III. 40. et LOWTH l. l. p. 361 sq.

(2) 2 Chron. XXXV. 25; ac saepe etiam memorantur praeficae, uti Ierem. IX. 17. Ezech. XXXII. 16.

(3) Davidem enim in aliis etiam carminibus choros induxisse, luculenter patet ex Ps. XXIV et LXVIII.

(4) 2 Sam. VI. 14 sqq. (5) 2 Sam. III. 32.

(6) HERDER. l. l. tom. IV. pag. 107 sq. et auctor Dissertationis de altero Samuelis libro laudatus, pag. 82 sq. etiam in choros carmen diviserunt; HERDERUS vero unice versus intercalares choro cantandos dedit, alter autem non satis id egisse mihi videbatur, ut partes sibi responderent.

CAPUT II.

INTERPRETATIO LOCI 2 SAM. I. 17—27.

Antequam de ipsius carminis interpretatione videamus, agendum est de huius Capitis versibus 17 et 18, in quibus memoratur et occasio, qua incitatus fuit Davides, ut elegiam funderet, et liber, quo olim ea continebatur, et civium ad eam ediscendam cohortatio.

Vs. 17.

ויקנן est verbum in specie Pihlel, quae, coll. SCHROED. *Gramm.* R. LXXIX. p. 112, in verbis secunda ו poni solet pro Pihhel. Vim autem huius speciei ita expressit J. J. GROENEWOUD in *Lex. Hebr.*, ut sit: *lessum funebrem*, *concinne compositum*, *lamentatus est.* Et omnino solet non de vulgari lamentatione adhiberi, sed de ea, quae cum carmine est coniuncta, v. c. 2 Sam. III. 33. 2 Chron. XXXV. 25. Ezech. XXXII. 16. — קינה coll. dial. Arab. et Syr. pp. dictum fuisse videtur de unoquoque carmine, sed superest unice significatione *carminis funebris* (1). — Vocabulorum vim ita exprimendam esse existimo: *Et lamentatus est Davides*, *fundendo naeniam hancce in Saulum et Ionathanem eius filium.*

Vs. 18.

ויאמר *et dixit*, sive potius *et praecepit*, qua significatione etiam Arabicum امر invaluit, quamque expressit HIERONYMUS. — ללמד *ut docerent;* haec enim est vis praep. ל coll. SCHROED. *Synt.* R. LXXXVII. 3. 1. Quam autem aptum sit h. l. verbum, patet ex eo, quod non tantum Deut. XXXI. 19 et Ps. LX. 1. adhibeatur de carminibus, quae in usum publicum converterentur, verum etiam quod 1 Chron. XXV. 7. in passiva spec. usurpetur de iis, qui carmina memoriae mandata per choros, adhibitis instrumentis musicis, in publicos usus canere didicerant. — *Filios Iudae* dici pro *Iudaeis* notum est, sic etiam *filii Israëlis* dicuntur

(1) Cff. ALB. SCHULTENSIUS ad Iobum, p. 58. et MICHAELIS in *Supplem. ad Lex. Hebr.* in voce.

Israëlitae in loco Deut. laud., uti etiam *filiae Israëlis* memorantur in huius carminis vs. 24.

קשת *arcus.* In hoc vocabulo explicando interpp. multum a se invicem discesserunt; quare praecipuas saltem sententias breviter recensere liceat. Praeeuntibus versionibus Arab. et Chald. plurimi converterunt: *et dixit s. praecepit*, *ut filios Iudae* ARCU UTI *docerent;* accipientes illud vel universe de exercitatione militari, vel peculiariter de arte sagittandi, quippe qua excelluerint Philistaei, coll. 1 Sam. XXXI. 3. Existimant nimirum, carmen, cuius mentio fit, fuisse militare, ne animos desponderent Israëlitae, utque ita magis in res militares incumberent; sed CALOVIUS ad h. l. animadvertit (1), hoc carmine eorum animos multo facilius deprimi potuisse, cum in memoriam sibi revocarent, fortissimos etiam viros armis Philistaeorum occubuisse. Alii vero, in quibus KOOLHAAS (2) eumque secutus doct. STRONCK (3), existimant, Davidem initio quidem carmen recitasse, sed statim postea, cum ipsi esset annunciatum, hostium sagittarios reportasse victoriam, Iudaeos adhortatum fuisse, ut tractarent arcum. Quod enim sub finem vs. 18 et sqq. post hanc demum mandati relationem ipsum carmen memoretur, id fieri per additamentum historicum. Ex horum igitur sententia vertendum erit: *atque deinde iubebat, doceri filios Iudae arcum tractare.* Verum, quamvis, ut supra vidimus, carmen illud non eo tempore compositum fuisse probabile sit, habet tamen ea sententia praeterea aliquid adeo contorti, ut non videam, quomodo cum orationis contextu componi queat. Vellem, attulissent tam abruptae verborum constructionis simile exemplum. Cum vero universe mandatum de arte sagittandi ab hoc loco alienum sit, plures aliam quaerendam esse interpretationem, recte animadverterunt; et hinc factum, ut I. D. MICHAELIS (4) קשת explicaverit, coll. dial. Arab. de *metro*, s *carmine metrico*; neque tamen huius sententiae rationes attulit. In Veteri autem Testamento haec significatio non occurrit, ac, quamvis nomen قياس usurpetur de *mensura*, probandum tamen esset, illud etiam dici de *mensura poëtica* (5). Praeterea requireretur vel praef. particula de-

---

(1) In *Bibl. T. V. illustratis* ed. altera anno 1719.

(2) In *Observatt. Philol. Exeget. in Libros hist. V. T.* p. 316 sqq.

(3) In opere, cui titulus: *Bijbelsch Huisboek* in Animadv. ad h. l.

(4) In *Annot. ad Lowth* l. l. *Praelect.* XXIII. pag. 476. Antea PYLUS iam coniecerat, designari forte instrumentum musicum, uti in *Bibliis*, auctore CHAIS Gallice editis, habetur. Idem etiam tanquam aliorum sententiam commemoravit iam SOFRANES in *Commentario in Davidem*, in quo opere ordinem librorum Samuelis secutus est. Editus est hic liber Lugduni 1643.

(5) Quod iam animadversum est in annot. ad LOWTH. l. l.

monstrat. ה, vel pron. הזאת, ut peculiare hocce carmen indicaretur.

Longe igitur praestat eorum sententia, ex qua nomen illud consueta notione *arcus* vertatur, et accipiatur de ipsius *carminis titulo*, desumto vel ex commemoratione cladis, ab hostium *sagittariis* acceptae, coll. 1 Sam. XXXI. 3, vel ex *arcu* Ionathanis, de quo mentio fit vs. 22. Ac posterius quidem unice admittendum esse existimem. Haec nimirum est consuetudo, Orientalibus imprimis propria, ut vel integrum aliquem librum, vel aliquam eius partem sive maiorem seu minorem, ac praesertim carmen aliquod a re quadam denominent, cuius mentio singularis ibi facta sit. Hinc non tantum singula fere Corani capita, verum etiam horum multae partes minores, quas versus appellare solemus, suum acceperunt nomen ab una voce, auctori memoratu digna visa (1). In carminibus autem imprimis idem locum habere, notavit IONESIUS (2). Et vero in ipso Cod. sacro plura eiusmodi exempla repererunt viri docti; sic inscriptio Ps. XXII, XLV, LVI, LX, LXXX, hoc luculenter ostendit (3); quo forte etiam referendum Ies. XXI. 1 (4). Similiter Marci XII. 26 habetur: *nonne legistis in libro Mosis* ἐπὶ τῆς βάτου h. e. in eo loco, in quo mentio fit *rubi*; respicitur enim ad Exod. III. 4 sqq. — Ex hac igitur simplici et scriptoribus sacris usitata ratione, vocabulum illud *arcus* optime explicetur. Neque enim huic sententiae repugnat, aeque carmen inscribi potuisse חרב *gladius*, quia hic in eodem vs. 22 memoratur (5). Sufficit enim, rationes reddi posse, quibus inductus fuerit poëta, ut ita carmen inscriberet, neque opus est dicere, quidni alium titulum posuerit. Praeterea, cum totum hocce carmen Ionathanem magis spectet, quam Saulum, convenientius omnino erat illud denominari ab aliqua re, quae ad Ionathanem referretur; minime autem improbabile est, eum arcu imprimis fuisse delectatum, uti recte annotavit cl. V. D. PALM ad h. l. (6).

---

(1) Hac de re egit SALE in *Praefatione ad Corani versionem Angl.*, quae singulatim prodiit, Gallice conversa, sub titulo *Observatt. Hist et Crit. sur le Mahométisme*, Génève 1751. pag. 108 sqq.

(2) *Commentarius Poës. Asiat.* p. 269 sq. Ed. *Eichhornii*. Cf. ROSENMULLERUS ad Editionem *Lowthi* p. 573.

(3) Vid. HARMER. *Observatt. de Oriente*, tom. III. p. 196 sqq. vers. Belg. Expressit item cl. MUNTINGHE in *Psalm. versione*. Cf. cl. V. D. PALM in Opere: *Eenige liederen van David*, p. 62.

(4) Quod ostendit cl. V. D. PALM in Opere cui titulus: *Iesaïas*, tom. II. p. 6.

(5) Uti existimat W. GREEN *Poëtical Parts of the O. T.* Cambridge 1781. p. 72; qui, totum illud mandatum minime requiri censens, locum spurium esse opinatur.

(6) Variae sententiae collectae sunt in *Bibliis Crit.* in POLI *Synopsi Crit.*; in CHAIS, *la S. Bible*; in SOPRANIS *Commentar.* laud.; et in Opere German. cui titulus *Exeg. Handb. des A.T. für Prediger*. Lipsiae 1797. duobus Tomis, complectentibus libros histor. inde a libro Ios. usque ad lib. Samuelis. Peculiarem etiam de h. l. Dissert. scripsit KOHLREIFIUS, quam tamen inspicere mihi non licuit.

הנה rel. Vertitur a plurimis: *ecce scriptum est*, absolute; potest tamen quoque referri ad ipsam naeniam, vel etiam ad proxime antecedens nomen *arcus;* praeferam sententiam, qua subintelligatur הקינה *naenia.*

Sed ad graviora accedamus; sequitur enim mentio libri הישר, de cuius et indole et praesertim inscriptione tot virorum doctorum ekstant sententiae, ut diu haesitaverim, quamnam mihi eligerem; sed praecipuas tantum memorare liceat.

Liber hicce tum h. l. tum Iosuae X. 13. memoratur et merito in deperditis habetur; sententia enim Iudaeorum, ex qua vel Genesis, vel alius Pentateuchi liber, vel denique ipse Samuelis liber significetur, iam dudum est explosa. Maxima vero sententiarum diversitas sita est in inscriptionis interpretatione. — Multis censetur *liber recti*, quo sensu accipi potest, quasi *rectus* fuerit cognomen illius, qui haec carmina collegerit (1); at vero tunc addi non solet part. ה, coll. SCHROED. *Gramm.* R. CLVII. 1; praeterquam quod haec ratio videri possit nimis esse coniecturalis. — Plurimi, ex usu haud infrequenti (2), collectivo sensu accipiunt de *libro rectorum*, quasi in eo continerentur carmina in honorem hominum rectorum s. iustorum composita. At vero, quae occurrunt et apud Iosuam et h. l. non sunt eiusmodi, ut videantur in tali libro fuisse collecta. Alii *rectos* dictos fuisse opinati *demortuos*, interpretantur de libro, in quo carmina haberentur lugubria, quibus horum laudes praedicarentur (3). Sed vero, si vel per vocabuli potestatem ita explicari possit, quomodo carmen, in Iosuae loco memoratum, de elegia, in honorem mortui herois composita, accipi possit, non video.

Longe aptior, ratione habita argumenti, eorum est interpretatio, ex qua vertatur *liber virorum fortium*, ut liber fuerit, quo virorum fortium res gestae, carmine celebratae, continerentur. In hanc sententiam illud accepit cl. V. D. PALM in opere notissimo, quod *Salomonis* nomine insignitur (4). Existimat nimirum vir celeberrimus, ita nomen ישר accipi posse Num. XXIII. 10 et Proverb. XV. 19. Non tamen ausim ex hisce locis concludere, hanc significationem revera in vocabulo illo obtinuisse, quia alio etiam modo explicari posse videntur. — Proverbiorum enim loco optime vox accipitur ex propria vocabuli vi, ut significentur ii, *qui recta via*

(1) Vid. cl. V. D. PALM ad Ios. locum.

(2) Vid. GLASSIUS *Philol. Sacr.* pag. 55. Ed. *Dathii.*

(3) Quam sententiam propugnat ABICHTIUS in *Dissert. de libro recti*, quae reperitur in *Thesauro Nov. Theol. Philol. V. T.* p 526.

(4) Tom. III. p, 343.

ad propositum suum ita tendunt, ut nullis impedimentis cohibeantur, qui adeo acute opponantur *pigris* (1); ac Numerorum loco notio contextae orationi aptissima videtur ea, qua significentur *fortunati*, coll. dial. Arabica (2).

Longe itaque simpliciorem et convenientiorem esse sententiam existimem, ex qua vertatur *liber canticorum*. Nam quidquid tandem de Iosuae loco, ubi huius etiam libri mentio fit, censeatur, hoc satis hodieque videtur constare, ibi aeque ac n. l. occurrere carmen. — Rationes autem, quibus haec eorum sententia propugnari possit, magna gaudent probabilitate. Quamvis enim haec cantici notio alibi non superait in voce ישר; sed in שיר; vel sic tamen saepe fit, ut verba, primam radicalem י habentia, significationem aliquam mutuentur ab iis, quae mediam habent ו et י, praesertim quando eadem est utrisque notio primaria (3). Atque hoc ipsum obtinet in verbis ישר, שור et שיר; his enim una eademque inest prima significatio *complanandi*; hinc rarior notio tum *viae*, *qua quis tendit*, tum *felicitatis*, et consueta notio *aequi* ac *iusti* in ישר; sed hinc etiam est notio *cantici*, ad iustam et aequabilem rationem musicam dirigendi in שור et שיר. Haec igitur *cantici* significatio facile antiquitus etiam in verbo ישר obtinere potuit; quare censetur postea adeo in desuetudinem abiisse, ut in uno vetustissimi cuiusdam libri titulo superstes manserit (4). Ex hac praeterea explicatione repetunt etiam versionem Syriacam ad Iosuae locum, ubi est *in libro Canticorum*.

Habet haec explicatio complura, quibus se commendat, ac, nisi aliud quid suppeteret, in illa acquiescendum esse crederem; sed vero, ut, quod sentio, ingenue fatear, placet mihi multo magis altera lectio, ut pro הישר legatur השיר; hoc enim olim in codd. quibusdam lectum fuisse, antea probasse mihi videor. Quamvis enim modo memorata explicatio admitti possit, ea tamen non ita est comparata, ut probari queat, *cantici* significationem revera obtinuisse in voce ישר. Quod si vero posterior lectio השיר recipitur, plana sunt omnia. » Vocabulum enim שיר pri-

(1) Cf. cl. MUNTINGHE ad h. l.

(2) Vid. cl. MUNTINGHE in Opere Belg. *Geschied. der Menschh.* T. II. Annotatt. p. 128. cf. omnino cl. DE GEER, in *Dissertat. de Bileamo*, p. 66.

(3) Cf. I. D. MICHAELIS *Overweging der middelen, waarvan men zich bedient om de Hebr. taal te verstaan* opus ex Germ. ling. conversum, p. 65, 68.

(4) Variae sententiae collectae reperiuntur in ABICHTII *Dissertat.* laud.; et in GEBBLERI *Disputat. de Libro iustorum* praeside TRIGLANDIO defensa, Lugd. Bat. 1693, qui existimat, librum ita contracte dici pro ספר ישראל, quasi significentur *acta Israëlis*. Vid. etiam I. C. WOLF *Bibliotheca Hebr.* P. II. pag. 209. sqq.; *Bibl. Crit.*; POLI *Synops.*; CHAIS *Bible* et auctor libri Germanici *Handb. des A. T.* ad utrumque locum.

» mum quidem significat carmen, voce tantum, nullis instrumentis musicis comi» tantibus, canendum, dein vero de omnis generis carminibus usurpatur (1)." Ita si interpreteris, non necesse est, ut ab obsoleta vocis ישר significatione praesidium petatur, ad explicandam versionem Syr. in Iosuae loco; sic unice explicatur haec et Arab. versio in h. l., quae ipsum vocabulum Hebr. השיר retinuerint; sic tandem facile percipimus, quare EPHRAEMUS *Syrus*, postquam hunc librum n. l. adduxerat, addiderit: » h. e. in eo volumine, in quo habentur carmina ordine » suo exposita." — Nec video, quid huic sententiae obstet particula demonstr. ה, quae praefigitur (2). Eadem enim ratione etiam citatur ספר הברית *liber foederis*. Quare Israëlitae ita excitasse videntur titulos librorum, omnibus notorum (3).

Ac profecto, quid convenientius esse existimemus, quam quod Hebraei, poëseos studiosissimi, a remotissimis inde temporibus carmina celebriora in unum librum collegerint, qui tamen lapsu temporis, imprimis cum Psalmorum collectio invaluisset, perierit. Sic etiam librum peculiarem habuerunt, in quo carmina continebantur lugubria (4). Neque omni probabilitatis specie carere videtur sententia, ex qua Ps. XC et forte etiam Ps. XCI ex hoc nostro libro desumti fuerint (5); et quid impedit, quominus alia etiam carmina, in antiquioribus libris historicis allegata, ex eodem fonte fluxisse censeamus?

Totum igitur huncce versum ita interpretandum esse existimo: *Et praecepit, ut filios Iudae carmen, arcus titulo insignitum, canere docerent; ecce scriptum est illud in Libro canticorum.*

---

(1) Sunt verba cl. T. A. CLARISSE *de Psalmis Hammaäloth*, p. 2.

(2) Uti existimat MICHAELIS *ad Lowthum* l. l. pag. 475.

(3) Hanc lectionem praetulit etiam SCHULZIUS in *Scholiis* ad Iosuae locum, ubi tamen male suam in rem provocat ad *Michaëlidem* l. l. p. 470—476.

(4) 2 Chron. XXXV. 25.

(5) Vid. cl. PAREAU *Instit. Interp. V. T.* p. 458 et 460.

CARMINIS VERSIO.

Universus Chorus.

VS. 19.
Tune, dorcadi inter Israëlitas simillime, in collibus ipse tuis es proiectus!
Eheu! ceciderunt heroës!

Chorus Mulierum.

VS. 20.
Ne nuncietis Gathae,
Ne laetum afferatis nuncium in plateis Ascalonis:
Ut ne laetentur filiae Philistaeorum,
Neve prae gaudio exsultent filiae incircumcisorum istorum!

Davides.

VS. 21.
O montes Gilboae! ne ros, neve pluvia in vos delabantur,
Neque in vos, o agri excelsi!
Nam ibi deiectus est clypeus heroum,
Clypeus Sauli, frustra uncti oleo.

Chorus Virorum.

VS. 22.
A sanguine confossorum, ab adipe heroum
Arcus Ionathanis non factus est devius,
Nec Sauli gladius rediit vacuus.

Davides.

VS. 23.
Saulus et Ionathanes, se invicem adamantes,
Sibique invicem in vita sua suavissimi,
In morte etiam sua non sunt divulsi.

Chorus Virorum.

Aquilis erant leviores,
Leonibus fortiores.

Chorus Mulierum.

vs. 24.
Filiae Israëlis! Saulum deflete,
Qui vos vestiebat coccino, vestris illis deliciis,
Qui imponebat ornamenta aurea vestimentis vestris.

Universus Chorus.

vs. 25.
Eheu! ceciderunt heroës in medio illo praelio!
Ionathanes in collibus ipse tuis es proiectus!

Davides.

vs. 26.
Angor tui causa, frater mi Ionathanes!
Eras mihi dilectus admodum!
Longo intervallo apud me antecedebat tui amor amorem mulierum.

Universus Chorus.

vs. 27.
Eheu! ceciderunt heroës,
Et perierunt arma bellica!

Vs. 19.

Ad ipsum accedimus carmen. Est pulcerrimus jam hic ipse primus versus. Davides in animo habet amatissimi Ionathanis imaginem, eique adiunctam Sauli regis speciem; hosque cogitat solos. Quare, neutrum nominans, ita canere incipit, quasi omnes sciant, quinam sint illi, quorum mortem acerbam luget poëta. Est hoc naturae humanae consentaneum. Poëtae Arabes saepissime carmen suum eodem inchoantur modo: » Vidi illam," inquiunt, cogitantque puellam (1), non vero nominant, quippe eam in mente habentes solam. Vel, si ex historia malis, quam ex poëta-

(1) *Excerpt. Hamas.* pag. 340. vs. 2.; vid. etiam ibidem p. 416; similiter Davides Ps. VII. 2.

rum fictione peti exemplum, idque ad luctus magnitudinem simillimum, Maria Magdalena, Iesu dilectissimi magistri sepulcro adstat, cadaver eius quaerit frustra; Ecce, adest de repente horti, ut illa quidem opinabatur, dominus, rogans, quemnam quaerat. » Domine, inquit, si eum tu abstulisti, dic ubi reposueris, ut eum auferam (1)." Non nominat Iesum; scilicet quem illa unum ante oculos constanter habebat; hunc existimat omnium pariter menti adesse praesentem. — Similiter Davides, veluti oculis ipse suis intuetur Ionathanem, videt eum in montibus Gilboae confossum; adspicit et eius patrem; iacentem heroëm utrumque moestus contemplari sibi videtur: quare, » o dorcas," inquit, Ionathanem cogitans; et mox de utroque: » Eheu! ceciderunt heroës!"

In prioris huius versus parte mirum est, quantum a se invicem discrepent interpretes. — De versione Graeca antea vidimus (2), neque est, quod diu in illa refutanda moremur. Quomodo enim in initio carminis, in quo unice affectus dominantur, ferri possit adhortatio ista languida, ut Israëlitae vel cippum erigant regi, vel attente considerent, quantam passi fuerint cladem (3)? Longe igitur praestat, ut vocabulum הצבי non de verbo, sed de nomine interpretemur; qua in re plerosque mecum habeo assentientes. Duplici tamen modo illud accipi solet, ut significet, vel *decus*, vel *dorcadem*. Et in priori quidem notione saepius occurrit, vid. v. c. Ies. XIII. 19 et Ierem. III. 19., praebetque sensum ab hoc loco non alienum, ut scil. significetur vel Ionathanes vel Saulus vel etiam uterque, qui ornamentum fuerint totius populi Israëlitici (4). Sed vero maiorem vim, ac sensum poëtae Orientali longe convenientiorem eorum mihi videtur praebere sententia, ex qua nomen accipiatur de dorcade.

Orientales nimirum in more habere solent, ut aliquid denominent ab eo, cui illud comparatur, praesertim quando homines quacunque tandem in re cum animalibus componunt; unde homo dicitur esse leo, lupus, hircus rel. (5). Prae-

(1) Ioh. XX: 15. (2) pag. 13.

(3) Hac similive ratione illam interpretationem tueri conati sunt THEODORETUS ad h. l. Quaest. V. PROCOPIUS GAZAEUS; SOPRANES l. l. et BREITINGERUS l. l.

(4) Ita iam HIERONYMUS vertit: *inclyti Israëlis*, Eandem sententiam propugnant imprimis VITRINGA in *Obss. S.* Tom. I. p. 180; L. CAPPELLUS, cuius *Commentar. ac notas crit. in V. T.* edidit *I. Cappellus Lud. fil.* 1689; HOUBIGANT, alii.

(5) Quod luculenter ostendit cl. PAREAU in *Comment. Iobaea* p. 343 sqq., ubi ex allegatis ARISTOPHANIS atque HORATII locis patet, hanc consuetudinem ne Graecis quidem et Romanis prorsus fuisse alienam.

terea eorum poëtae, dictionem sententiosam amantes, et fere captantes, in comparationibus solent esse breviores, adeo ut non tantum saepissime una eaque brevi enunciatione, verum etiam nonnunquam uno vocabulo integra eorum absolvatur comparatio (1). — Haec si attendimus, videmus, comparationem, ex qua heros *Israëlis dorcas* dicitur, non nimis esse abruptam. At vero habet praeterea, quo ea se commendet quam maxime. Dorcas enim, in locis montanis degere solita, et pedum volocitate et saliendi facultate stupenda quadrupedes superat omnes. — Cum vero antiquis temporibus, in locis maxime montanis, viro forti utilissima ac fere necessaria esset in currendo celeritas; hinc Orientalium non tantum poëtae, sed historici etiam, ut summam in heroë laudarent virtutem bellicam, eum *dorcadis* nomine celebrabant, existimantes nimirum, hanc imaginem non tantum esse convenientissimam, sed etiam admodum honorificam. Ita poëta noster Deum celebrat, qui ipsi dorcadum praebuerat velocitatem (2). — Similes imagines de cervo et capreolo quam saepissime in Ossiano obviae sunt; ita Cuthullines appropinquantem videns Rosae filium: » An venis tu, inquit, ut capreolus a Galmare, ut caprea a descensu clivorum (3)." Ita de Sithalline et Ardane, qui secum pugnantes ceciderant ambo, dicitur: » Tanquam duo cervi sylvarum, cadunt duo illi heroës (4)." — Praeterea, quemadmodum in gentibus, minus etiam nunc excultis, cernitur naturae vis et innatus aliquis pulcri sensus, cuius apud Ossianum etiam multa invenias exempla (5), ita pariter Israëlitae in heroibus suis non tantum requirebant fortitudinem, verum etiam eximiam eorum laudare solebant pulcritudinem (6). Iam vero hoc item nomine imago est exquisita. Dorcas enim et toto corporis habitu et maxime oculorum gratia omnium est pulcerrima. Hinc comparatio, a dorcade petita, saepius adhibetur, ad designandam pulcritudinem ho-

---

(1) Vid. LOWTH l. l. *Prael.* XII. p. 246 sqq.

(2) Ps. XVIII: 34. Vid. etiam 2 Sam. II. 18. 1 Chron. XII. 8. cf. item Cantic. II. 8. Eadem ratione Arabes etiam suos heroës cum dorcadibus comparare, patet vel ex cl. WILLMETTI *Lexico* voce ظبا.

(3) *Fingal* I. (4) ibidem.

(5) Ita v. c. Fingalis pulcritudo, cum fortitudine et velocitate coniuncta, describitur, in *Comala*: «An erat ille candidus, instar nivis promontoriorum, instar arcus imbris, super fluctu lucentis? an erat eius capillus, sicut nebula in monte, se obliquans blandam sub sole super tumulo? an erat ille sicut tonitru caelorum? aeque velox ac cervi desertarum vallium magnarum?"

(6) Quod patet vel ex 1 Sam. X. 23 sq. et XVI. 12, 18.

minis praeclaram (1). — At, dicat forte aliquis, dorcas est timida. Non nego; ita enim, tum alibi, tum Iesaiae XIII. 14 describitur. Sed vero tali in comparatione non anxie est circumspiciendum, num hoc illudve in imaginis adiunctis a re, quacum componitur, sit diversum. Omnia enim, si prorsus conveniunt, comparationis ornatus perit (2). Itaque haec obiectio nihil contra nostram sententiam valere videtur.

In hanc explicationem eximie etiam quadrant ea, quae subsequuntur; quod enim dicitur dorcas in montibus interfecta, hoc quantum afferat ad imaginis pulcritudinem, quisque videt. Significari autem h. l. montem Gilboae, patet ex vs. 21. coll. 1 Sam. XXXI. 1. Sed praeterea attendenda est vis peculiaris in verbo חלל; dicitur enim proprie tum de *profanato ad omnem iniuriam*, *rapinam*, *venationem*, *caedem*, tum etiam de *proiecto in praedam avibus* (3). Quaeritur autem, quemnam h. l. significare voluerit poëta. Versio Syriaca et Arabica ita verterunt, ut populum Israëliticum universum cum dorcade comparaverint. At vero unicuique ea inspicienti, quae memorantur 1 Sam. XXXI, patebit, hanc comparationem minime convenire Israëlitis fugacibus. Alii paulo rectius referunt ad Saulum. Sed mihi tum ob totius carminis indolem, quae in initio magis postulare videtur amicissimi Ionathanis commemorationem, tum maxime ob vs. 25, hunc significari, probabile est. Erat nempe Ionathanes eo tempore iuvenis etiam nunc, heros fortissimus, universo populo gratus (4), atque adeo inter Israëlitas vere dorcadis instar eminere dicendus, imprimis quia ipse eius amicus Davides loquitur; hic enim ob oculos sibi ponebat amicum suum, iuvenem forma praestantem ac bellica excellentem virtute, qui et ad imperandum militibus et ad debellandos hostes promtissimus aderat ubivis, sed qui iam in iisdem illis montibus proiectus erat in rapinam hostibus, prouti dorcas, pulcerrima atque dilecta in loco, quo paulo ante velocitate sua omnibus admirationem movebat, iam proiecta iacebat in praedam avibus.

איך *quomodo*, est interiectio *deplorantis* (5), quod recte, ad h. l. vidit MICHAELIS, qui interpretatur: *quomodo fieri potuit!* Vellem, eodem modo accepisset

---

(1) Vid. Cant. II. 17. IV. 5. VII. 3. Hinc etiam factum, ut Arabes saepius puellas cum istis animalibus comparare soleant v. c. IBN DOR. vs. 218; AMRALK. MOALL. vs. 32 sq. vid. doct. L. G. PAREAU *Spec. de Tograio*, pag. 115.

(2) Cf. omnino LOWTH l. l. pag. 237 sqq. Ceterum de dorcade vid. BOCHARTI *Hieroz*. P. I. pag. 899 et 925. coll. ROSENMULLER *Anhang zu Arvieux*, *Sitten der Beduinen Araber*, p. 225 sqq.

(3) ALB. SCHULTENSIUS *ad Iob*. XXIV. 12. et ad *Proverb*. VII. 26.

(4) 1 Sam. XIV. 45.

(5) Cf. NOLDII *Concordant*. *Particul*. in voce.

vs. 25 et 27, idque potius, quam ut ibi eandem particulam censuisset interiectionem *admirantis*. — נפלו verbum נפל, uti Graecorum πίπτειν et Latinorum *cadere*, saepius dicitur de eo, qui sternitur, interficitur, praesertim in pugna (1); qui similis verbi usus Ossiano etiam est usitatissimus. — גבורים *heroës*, *bellatores invicti* a verbo גבר pp. *compactus fuit nervis*. — Disputatur autem, quinam h. l. significentur heroës. Equidem existimem, respici in nostro carmine unice ad Saulum et Ionathanem. Hoc postulare videtur ipsa scriptoris sacri admonitio vs. 17, ubi elegia in *Saulum* et *Ionathanem* composita fuisse memoratur. Nimis praeterea turpiter fugisse ac cecidisse videntur Israëlitae, quam ut *fortes* h. l. universe de iis intelligi queant. Sed argumentum praecipuum ex interna carminis indole petendum est; ita disertis verbis memorantur tantummodo Saulus et Ionathanes, horumque fortitudo de industria coniunctim memoratur vs. 22. Neque ullum certum indicium occurrit, quo universus populus significetur. —

Versatur totius argumenti cardo in iis, quae hoc versu continentur. Est enim carminis propositum, ut lugeatur Sauli et praesertim Ionathanis obitus; unde etiam ter hic versus, paucis immutatis, occurrit. Ionathanem autem, prae omnibus sibi carum, primum luget poëta, cumque hunc et fortitudine et amabilitate ceteris Israëlitis praestare omnibus, ipse censeat, omnes pariter hunc celebrare, tanquam Israëlis dorcadem, sibi habet persuasum. Sed vero, memorato Ionathane, statim filio adiungit patrem, quocum ille fuerat coniunctissimus, atque adeo ambos simul ob virtutem bellicam celebrat, et voce lugenti: Eheu! inquit, fierine ergo potuit, ut tanti illi ceciderint heroës!

Vs. 20.

Davidis luctui de Sauli et Ionathanis morte accedebat etiam indignatio quaedam, immoderato excitata Philistaeorum gaudio. Quare poëta, cum cogitatione se ad tristissimum illud tempus conferret, quod eum fecisse ex tota carminis indole patet, Israëlitas hortabatur, ut celarent hostes de victoria, quam ipsi reportaverant. Solet enim homo, magno ductus affectuum impetu, ea optare, quae postulat vehemens animi cupiditas, etiam si nullo modo perfici queant. — Ideo autem hunc

(1) Vid. v. c. Ios. VIII. 24. Iud. c. VIII. 10. Ierem. LI. 4. Cf. SCHULTENS. *Orig. Hebr.* p. 273. Edit. 2.

versum mulierum choro tribuendum censui, quia hisce optime convenire videtur mentio mulierum, suae gentis laudes celebrantium.

Cernitur in hoc versu exquisitus denuo vocum delectus, quare has primum accuratius attendamus. — Verbum נגד adhibetur pp. de iis, *quae eminent ante oculos, quae manifesta sunt*, hinc, in Hiphil, *manifestum fecit*, *enarravit* (1). — Cum vero tale nuntium, quale hic memoratur, hostibus gratum non occidere non posset, hinc verbum בשׂר optime huic loco convenit; est enim coll. dial. Arab. pp. *radit*, *politus fuit*, inde *reniduit*, *hilaris fuit*, et in Pihhel, quae species h. l. occurrit, *laeto nuncio exhilaravit et annunciavit* (2), atque adeo respondet Graecorum verbo εὐαγγελίζειν, quod habet etiam versio Alexandrina, et expresserunt Syrus, Arabs et Chaldaeus. — חוץ est proprie *locus in quo discurritur*, inde *platea*, nomen ergo huic loco aptissimum, quo significetur *locus celeber*. — Verbum שׂמח pp. est, coll. dial. Arab. *enodis*, *laevis fuit;* unde *laetus fuit*, quasi dicas, *sine nodo et asperitate ulla cordis*, *tristitia constricti*, uti ait SCHULTENSIUS (4). Maior etiam vis inest verbo עלץ *quassit*, *iactitavit corpus* vel *pedes* s. *prae metu*, s. uti n. l. *prae gaudio*, unde etiam *exsultavit* (5). — Sic igitur in ipsis iam vocabulis cernitur gradatio, homini, affectuum vehementia ducto, optime conveniens et congrua.

Urbes vero, quarum h. l. mentio fit, sunt e quinque primariis Philistaeorum oppidis (6), et, uti plures recte observarunt, dicuntur pro gente Philistaeorum universa.

Erat autem in more positum, ut gentes Orientales victoriam reportatam carmine celebrarent, adhibito choro imprimis mulierum (7). Quae carmina quam mordacia nonnunquam fuerint, patet vel ex Deborae carmine triumphali (8). — *Filiae* autem, quae hic memorantur, dicuntur pro mulieribus universe. Etenim erat

---

(1) Vid. A. SCHULTENS. ad Prov. VIII. 6.
(2) SCHEIDIUS in *Lexico*.
(3) A. SCHULTENS ad Prov. VIII. 26.
(4) ad *Har. Concess.* II. p. 100. cf. ad V. p. 127. et ad Proverb. XV. 13.
(5) De hoc verbo idem egit in *Origin. Hebr.* pag. 250 — 252.
(6) Vid. HAMELSVELD. *Aardrijksk. des Bijbels*, V. p. 431 sqq. et 477 sqq.
(7) Vid. Exod. XV. 1 — 21. Num. XXI. 27 sqq. Iud. XI. 34. 1 Sam. XVIII. 6 sq. coll. XXI. 11 et Ps LXVIII. 12.
(8) Iud. V. maxime sub finem. Ceterum de hoc usu conf. VRIEMOET *ad Dicta Classica V. T.* tom. III. p. 286 sq.

hic receptus loquendi scribendique mos, ut *filiae* et *filii* alicuius civitatis aut gentis dicerentur pro ipsis civibus; quae consuetudo repetenda est ex patriarchica gentium conditione, qua principatum tenebant patres, subiecti erant eorum posteri. Quare hic usus ubivis etiam in Ossiano apparet (1).

Sed attendamus imprimis vim peculiarem, quae est in Philistaeorum cognominatione, ex qua appellantur *praeputiati* s. *incircumcisi* הערלים, quam vim ut maiorem etiam redderet poëta, addidit ה demonstrativam, quae adeo respondeat Latinorum particulae *iste*, coll. SCHROED. *Gramm.* R. CLVII. 4. Etenim cum foederis, divinitus sanciti, signum externum esset circumcisio, Israëlitae circumcisorum nomine gloriari merito poterant. Quare etiam huius beneficii praestantiam tum alii agnoscebant permulti, tum maxime Davides; hic nempe et patriae amore ferebatur summo, et bonis quibusque eos affici firmiter credebat, qui Iehovam cognoscebant ac venerabantur (2). Hinc huius Dei cultum publicum aestimabat quam plurimum (3), eiusdemque leges, in mediis etiam aerumnis, delicias vocabat suas (4). Sed hoc foedere huiusque Dei cognitione destituti erant Philistaei. *Hi* autem, ea de causa *incircumcisi* dicendi, victoriis, de Israëlitica gente reportatis, vehementer exsultare solebant; inde scilicet satis luculenter patere existimantes, Iehovam diis, quos ipsi colebant, longe esse inferiorem. Davides igitur, cui ex animo erat persuasum, quam minori pretio populi essent habendi, qui a veri Dei cognitione erant alieni, talem ignominiam, Iehovae et populo suo illatam, tolerare haudquaquam poterat. Hinc, in ipsa iuventute, ad Israëlitarum castra procedens, cum videret Goliathum, Philistaeorum longe fortissimum, dira quaeque in Israëlitas proferentem, eosque singulos ad pugnam provocantem, indignabundus exclamabat: » quis ille praeputiatus, qui Dei vivi aciem probro afficiat (5)!" hinc etiam, sumta funda, contra hostem istum procedit, ac clara voce profitetur: » Iehovam ipsi esse auxiliaturum, ut totus orbis perciperet, qualem habeant Is» raëlitae Deum (6)." Sed legendus est totus ille locus eximius, nec dubito, quin sponte unicuique appareat, hanc Philistaeorum denominationem ibi esse repetendam ex intima persuasione de praestantia illius religionis, quam ipse profitebatur

---

(1) Quod animadvertit iam R. KIST in comparatione Ossiani cum poëtis Hebraeis, quae est in eius Opere, cui titulus; *Verhand. en Redevoer.* vid. pag. 60.

(2) Vid. Ps. XXV. 3, 10, 12—14. et XXXVI. 8—11.

(3) Ps. XXII. 23 sqq. XXVI. 6. XXVII. 4. XLII. 5.

(4) Ps. CXIX. 92.

(5) 1 Sam. XVII. 26 et 36.

(6) ibid. vs. 46.

Davides et quam despiciebant Philistaei (1). Iam vero iidem sensus in nostro etiam loco dominari mihi videntur. Ionathanes enim; iuvenis ille fortissimus, qui Philistaeis maximam saepe intulerat cladem, quique praeterea omnem in Iehova posuerat fiduciam; hic igitur in pugna contra Philistaeos ceciderat: ipse etiam Saulus, Iehovae unctus, ab hostibus circumventus atque vulneratus, se interfecerat. Hac ergo victoria merito gloriabantur Philistaei. Israëlitis autem, quotquot patriam avitamque amabant religionem, gravius accidere poterat nihil, quam quod populus, longe sibi postponendus, prae gaudio exsultaret ac Iehovae ignominiam inferre conaretur ob mortem illius regis, quem ipsis suo rogatu praefecerat Iehova (2).

Apparent autem in toto hoc versu affectus, Davidi imprimis proprii. Semper enim aegerrime tulerat, se malis quibusvis affici ab hominibus impiis et veri Dei cultum spernentibus (3); at vero omnium ipsi videbatur gravissimum et vix ferendum, si iidem illi viri pravi malis, ipsi illatis, gauderent (4).

Quid igitur miremus, Davidem, qui, ut probabile est, haud ignorabat, Philistaeos victoria de Saulo ac Ionathane vehementer fuisse gavisos (5), quique ipsum illud tristissimi temporis momentum praesens sibi sistebat, in summo, quem inde percipiebat, doloris aestu optasse, ut ne quis huius cladis nuncium, hostibus adeo gratum futurum, ferret in loca Philistaeorum maxime frequentata; quasi scilicet opprobrium illud etiam nunc averti potuisset! — Similiter Ossianus, post Fingalis obitum canens, ac Cuthullinem, heroica morte prostratum, celebrans, ipsamque illam mortem sibi repraesentans, optat: » utinam nullus id (Cuthullinis sc. ceterorumque heroum obitum) Selmae annuntiet! Utinam sylvosa Morven illud non » audiat! Ne Fingal lugeat, omnesque filii desertorum lacrimentur (6)!" Quamvis tale quid Fingalem, qui cum Cuthulline arcte fuerat coniunctus, nemo unquam celare potuisset, idemque illud, mortuo iam Fingale, nullius momenti esse posset censeri.

---

(1) Ita etiam Ies. LII. 1. hostis appellatur *praeputiatus* et *impurus* atque opponitur *urbi sanctae*. Sic ipsi quoque Iudaei translate dicuntur *praeputiati corde*, vid. Levit. XXVI. 41. Act. VII. 51. — Ipse etiam Davidis amicus Ionathanes Philistaeos vocaverat *praeputiatos* 1 Sam. XIV. 6.

(2) Cum n. l. LOWTHUS, p. 476. recte contulit Thren. I. 21.

(3) Ps. LXIV. LXXXVI. 14 sqq. CXXXIX. 19 sqq.

(4) Ps. XIII. 5. XXX. 2. XXXV. 16, 19, 25 sqq.

(5) Cum enim 1 Sam. XXXI. 9. et 1 Chron. X. 9. memoretur, Philistaeos per omnem regionem misisse victoriae nuncios, illud Davidem vix aut ne vix quidem fugere potuit.

(6) In *morte Cuthullinis*, fere in fine.

Hoc unum insuper observare liceat, istam Davidis dictionem deinceps abiisse in proverbium, quo unus alterum adhortaretur, ne malorum, quae passus fuerat, hostes certiores faceret; uti patet ex Michae I. 10. (1).

Vs. 21.

Prouti homo, totius corporis oppressus doloribus, et his diutius ferendis imparem se sentiens, arripit, quodcunque sibi prope adsit (2); ita etiam Davides, cum perspiceret, quam inane fecisset votum, ac Philistaeorum profusam laetitiam sibi ante oculos poneret, animi confectus aegritudine, ac locum, dilectissimi Ionathanis et regis Sauli caede horridum, praesentem sibi sistens, in hunc invehitur, eique diras imprecatur omnium gravissimas.

Vix autem opus est, ut moneam, quantam vim hic versus habere debuerit in auditorum animum, cum Davidem ipsum adspicerent, vehementem animi commotionem voce, oculis totoque corporis habitu exprimentem.

הרי בגלבע *montes in Gilboa* i. e. *Gilboae*; est in statu constructo vox prior, uti saepius in simili oratione (3). Erat autem Gilboa quidam tractus montanus (4), in quo cladem, cuius opportunitate carmen hoc compositum fuit, passi fuerant Israëlitae (5).

Fuerunt autem in antiquioribus, qui vehementissimam hanc Davidis in montes Gilboae imprecationem de maledicto prophetico explicarent, atque adeo eam eventu non caruisse existimarent (6). Hos autem refutavit testis oculatus BROCHARDUS monachus, qui affirmat, se vidisse, anno 1283, in hunc montem cecidisse et rorem et pluviam (7). Sed vero, etiamsi tale argumentum non exstaret, vel sic

---

(1) Vid. BACHIENE *Heilige Geogr.* III. p. 637, 656; HAMELSVELD l. l. et cl. V. D. PALM ad eum Michae locum.

(2) Sunt fere verba THEODORETI *Quaest.* VI. in 2 Reg., quem verbotenus secutus est PROCOPIUS ad h. l.

(3) Vid. SCHROED. *Synt.* Reg. XIII. 1. et GLASSIUS l. l. p. 81.

(4) De quo egit HAMELSVELD. l. l. I. p. 822 sqq.

(5) 1 Sam. XXXI. 1.

(6) Ita imprimis AMBROSIUS l. l.; neque ab hac sententia alienus fuisse videtur SOFRANES. ad h. l. qui etiam p. 226. alios hanc in rem citat.

(7) *Naauwkeurige Beschrijving van de plaatsen des H. Lands.* C. VII. p. 440, quod opus occurrit in libro: *Kanaan door* F. HALMA 1717.

tamen haec sententia ab rei indole atque a poëtica phantasia adeo videtur esse aliena, ut vix aut ne vix quidem admitti possit. Aliam igitur explicationem proposuit MICHAELIS (1), quam multi secuti sunt. Existimat nimirum, Davidem haec dixisse, ut vindictae studium significaret, quod expleverit etiam, cum deinceps Philistaeos, debellasset. Quare h. l. respici putat ad dicendi rationem, Arabibus consuetam, ex qua *alicuius sanguis rore non conspergi* diceretur, cum quis huius mortui vindictam in se susciperet; quasi scil. Arabes velo aliove tegumento mortui consanguinei cadaver obtexerint, ne ros in illud caderet, donec vindicta esset sumta. Hanc in rem attulit 2 Sam. XXI. 10 sq.; sed vero locus hicce facillime ita explicatur, ut censeatur Rizpa istud velum tetendisse in usum suum, ut sibi tentorium esset, in quo degens interdiu aves, noctu fera animalia a cadaveribus arcere posset, atque ipsa simul et a solis ardore et a noctis frigore esset tuta (2). At vero vir doctus non legisse videtur, quae ALB. SCHULTENSIUS protulit in *Epist prima ad Menkenium* (3), ex qua satis omnino patet, longe alia illis dictis significasse Arabes. Ibi enim vir summus docuit, vim illius formulae hanc esse, ut alicuius *sanguis rorans* s. *roratus* s. *rorare factus* dicatur, *sanguis roris instar supra terram vibrans*, *oculos feriens* et *diritate caedis conterrens*, *qui* adeo *clamat* quasi *ad coelum et vindictam deposcat a cognatis*. Est scil. propria notio verbi طلّ et טלל in *motu micante* s. *vibratione*, quae procul oculum feriat; a qua prima notione est etiam in IV specie *imminuit* (4). Ex hac item formula originem duxit fabula, ex qua arbitrabantur Arabes gentiles, cum quis occisus esset, nec vindicta de eo esset sumta, exire de eius capite avem, similem buboni, clamitantem: potandum date, potandum date mihi; cum autem vindicatus esset sanguis, silere (5). Quod si res ita explicetur, uti explicanda est, patet profecto, hanc ad nostrum locum minime posse referri. Sed, etiamsi Michaëlidis de hac formula sententiam sequaris, vel sic ad nostri loci explicationem non valere videtur. Ac primum quidem in formula Arabica memoratur tantum *ros*, in nostro loco etiam mentio fit *pluviae*; coniuncta autem roris pluviaeque commemoratio, in agros de-

(1) Quem vide in *Praefat. ad Gramm. Arab.* p. 101. annot. VI. et imprimis *ad Lowthum* p. 478 sq.

(2) Cf. cl. V. D. PALM ad eum locum.

(3) Pag. 82—89, ubi rationes reddidit sententiae, quam verbulo tantum indicaverat in annot. ad *Hamasae Excerpta*, p. 417.

(4) Uti monet cl. WILLMET in *Lex. Arab.* h. v.

(5) Uti ait idem SCHULTENS. ad *Hamas. Exc.* p. 558.

cidentium, facit, ut de fertilitate agrorum cogitemus, de qua in Arabica illa formula nullum est indicium. Praeterea ipsa rei indoles sententiae Michaëlidis repugnat. Istiusmodi enim bellum, cuius hic mentio est, in quo populus cum populo congreditur, atque utrimque plures cecidisse censendi sunt, sanguinis vindictae, pp. ita dictae, causam praebere non potuit. Nec tamen ignoro, nonnullos viros Orientales hoc nomine interdum praetexere potuisse et revera praetexuisse inexpiabile odium atque inimicitiam in alios. Huius enim insigne praebuit exemplum Ioabus (1); sed vero a tali specie, perfidum hominis prodente animum, Davides abhorrebat quam maxime; summopere enim eum hoc Ioabi facinore fuisse indignatum, ipse eius gravissimus dolor luculenter patefecit (2); quem caveamus, ut simulatum fuisse existimemus, quandoquidem istius facinoris maxima cum indignatione meminerat adhuc, cum iam in eo esset, ut diem obiret supremum (3).

Cum igitur formula haecce Arabica, sanguinis vindictae propria, ad n. I. non recte referri posse videatur, eorum longe probabilior est sententia, quae ante Michaëlidem invaluerat, ex qua censeatur Davides, summo abreptus dolore atque indignatione, et poëtico ductus impetu, monti, in quo occubuerant Saulus et Ionathanes, dirissima quaeque fuisse imprecatus. Quare ita rem mihi propono. — Homo, fervido praeditus ingenio, cum gravi afficitur dolore in hominem sive aliud quodvis, quod sibi obviam fiat, invehi solet, ac, licet in illo nulla fere appareat cum doloris causa similitudo, vel sic tamen illud arripit, et, si vires desint, in id dira quaeque verba immittit, hanc nimirum unicam cognoscens luctus medicinam. — Quare poëtae, affectiones quascunque in carminibus depingere soliti, istiusmodi etiam animi affectiones egregie expresserunt. Inde apud VIRGILIUM Aeneas, cum uxor morte illi esset ablata, de se ipse testatur:

Quem non incusavi amens hominumque deorumque (4)?

Sic idem poëta de nympha, cuius mortuus erat filius Daphnis,

---

(1) 2 Sam. III. 27, 30.

(2) Ibidem vs. 28 sqq.

(3) 1 Regum II. 5. Ceterum hanc Michaëlidis sententiam nullo niti argumento, sed ab illo confictam esse, ait ROSENMULLERUS, in notis ad suam Lowthi editionem p. 575, qui tamen ex alia verbi طلّ significatione, qua designat *frustratus fuit*, *defraudavit*, *prohibuit aliquem suo iure*, formulam vertendam esse existimat: *occisus*, *cuius sanguis non defraudabitur*, id est, non inultus relinquetur; at vero utrum haec sententia Schultensianae sit praeferenda, vehementer dubitem.

(4) *Aen.* II. 745.

Atque deos atque astra vocat crudelia mater (1).

Ita etiam HORATIUS ob decessionem Virgilii, qui mari Athenas erat profecturus, dolore et angore ductus, invehitur in eum, qui primus truci pelago fragilem commiserat ratem, immo universum etiam genus humanum hanc ob rem temeritatis atque impietatis accusat (2). — Nec tantum animantia petunt, verum etiam res sensibus plane vitaque destitutas. Sic apud TIBULLUM Sulpicia timens, ne Cerintho suo, qui venatum abierat, mali quid accidisset, exclamat: » O pereant sylvae (3)!" — Idem illud eo magis poëtae Hebraeo consentaneum censeri debet, quo magis prae aliis gentibus Orientales imprimis rebus omnibus motum et actionem tribuere soleant. Nemo utique ignorat vehementem illam Iobi in natalem diem imprecationem (4). Neque aliunde repetendum est, Abimelechum sale consevisse dirutam urbem Sichem, in perpetuae scilicet vastitatis indicium (5). Ita etiam Iacobitae, quod hoc loco imprimis est animadvertendum, in Aegypto, Nestorio mortuo insultasse narrantur eiusque sepulcrum lapidibus obruisse, dicentes: » pluvia non descendat super illud (6)!"

Neque vero existimet aliquis, eiusmodi quid a Davide fuisse alienum. Ita enim, postquam ab hominibus omnibus celebrandum esse Iehovam cecinerat, haec addit:

Laetentur coeli, et terra ducat choreas;
Fremat mare, et quidquid in eo est;
Exsultent agri, et quidquid continent;
Ipsae etiam laetentur omnes arbores (7)!

Sic, cum arca Iehovae accederet, poëta ad Sionis portas se convertens, ut altius se efferant, hortatur (8). Eadem etiam ratione mons altissimus Basan invidere dicitur Sioni, qui altitudine illi cedebat, sed arca Iehovae gloriabatur (9).

---

(1) *Eclog.* V. 23.

(2) *Odarum* I. 3. Conf. PROPERT. I. 17. 13 sq. TIBULLUS I. 10. 1 sq. II. 4. 27 sq. ANACREON, XLVI. 8.

(3) IV. 3. 6.

(4) Iob. III. 3 — 10. Cf. Ierem. XX. 14 — 16. Ad Iobi locum vid. A. SCHULTENSIUS.

(5) Iudic. IX. 45, ad q. l. cf. CLERICUS, item BOCHARTUS l. l. I. p. 872. Conf. etiam Ios. VI. 26. ad q. l. vid. omnino GROTIUS, qui huius consuetudinis in Graecis etiam scriptoribus exempla attulit.

(6) Vid. GREGORII ABULPHARAG. *Chronicon Syriac.* ex Edit. *Brunsii* p. 140. De cuius loci versione vid. MAYER *Beyträge zu einer rigtigen Uebers. der Syr. Chron.* et conf. MICHAELIS *N. Orient. und Exeg. Bibl.* VII. p. 13, ex quo hunc locum desumsi.

(7) Ps. XCVI. 11 sq. (8) Ps. XXIV. 7, 9. (9) Ps. LXVIII. 16.

Ac iam satis superque patere videtur, quid h. l. significaverit Davides. Ob oculos sibi ponit montem Gilboae, dilectissimi amici Ionathanis et regis Sauli sanguine conspersum atque madentem: locus igitur hicce omnium ipsi est tristissimus, atque in hunc cladis culpam confert omnem; utque in aeternum huius culpae notam habeat inustam, eiusque adspectu omnes, aeque atque ipse, indignentur, horridum ei et ab omni fertilitatis flore destitutum adspectum exoptat. — A pluvia enim et rore maximam partem pendebat Palaestinae fertilitas; immo statis illis pluviarum temporibus haec regio ipsi praecellebat Aegypto (1): sicca autem anni tempestate pluviae defectum partim compensabat magna roris nocturni copia (2). Hinc etiam a pluvia ac rore frequentissimae petuntur comparationes; ita ut horum abundantia designentur res maxime optabiles et beneficia adeo divinitus concessa (3), eorundem autem defectus poena habeatur gravissima (4). — Apparet itaque, quam vehemens sit imprecatio ista, ut nec pluvia nec ros in montem deciderent, i. e. ut locus omni destitueretur cura Dei benefica atque adeo ad sterilitatem adigeretur summam. Cuiusmodi imprecatio convenit Davidis ingenio; quippe qui tanto ferretur affectuum impetu, ut non tantum contra omnes, qui iniuste agebant, vel ipsum quibuscunque tandem malis afficiebant, ira exardesceret gravissima, eamque palam declararet (5), verum etiam ut eandem affectus vehementiam, quo doloris atque indignationis sibi quaereret levamen, in carminibus suis vivide exprimeret, ac diras quasque huius doloris auctoribus imprecaretur (6).

Ceterum sensu supplendum est, post vocabulum עליכם *in vos*, verbum ירד *descendat* (7) vel simile quid, uti est in versione Graeca, Vulgata Antiq. et Hieronymi, aut simpliciter verbum substantivum, quod est in versione Chaldaica; ad rem nihil facit: sensus enim est perspicuus, atque haec verbi omissio convenit animo vehementer commoto. — Sed ad reliqua pergamus.

שדי תרומות vertitur a plerisque recentioribus *agri oblationum* vel *primitiarum*,

---

(1) Deut. XI. 10.
(2) Cant. V. 2. coll. cl. PAREAU *Ant. Hebr.* p. 63.
(3) Vid Gen. XXVII. 28. Deut. XXXII. 2. XXXIII. 13. 1 Reg. VIII. 36. Sic ipse etiam Davides Ps. LXVIII. 10. LXXII. 6. CIV. 13.
(4) Deut XI. 17. 1 Reg. VIII. 35.
(5) 1 Sam. XXV. 13. 2 Sam. III. 28 sq. et XII. 5 sq.
(6) Ps. VII. 7. LV. 10, 24. LIX. 6, 12 sqq. CXXXIX. 19, 21. CXL.
(7) Uti statuit WALTHER *Ellipses Hebr.* cura *Pratje*. p. 94.

praeeuntibus veteribus versionibus omnibus; eorum autem interpretum alii, intellecto verbo subst. ac particulam negativam ex priori membro repetentes, verterunt *ne sint agri primitiarum* (1); plures etiam, *nec ros*, *nec pluvia in vos* ex praecedentibus huc referentes, ita reddiderunt: *nec ros*, *nec pluvia in vos decidant*, *o agri primitiarum* (2)! Quod ad loci sententiam attinet, utrique hanc eius vim esse existimant, qua agri illi dicantur evasuri adeo steriles, ut non amplius ex iis primitiae Deo offerri possent. At vero nullum ab iis suam in rem exemplum huic loco satis aptum prolatum reperi; neque etiam percipio, quare ita agri cognominarentur; peculiare enim quid ita designari videretur, atqui primitiae sive partes selectae de frugibus terrae elaboratis et de prima ovium lana, ab omnibus omnino erant offerendae (3); unde patet, hac denominatione non posse per se designari steriles agros, uti censet HOUBIGANTIUS; quod si vero, uti idem statuit, h. l. *agri* censeantur opponi *montibus*, tota loci vis perit; unum enim Davides significat eum locum, in quo Saulus et Ionathanes occubuerant. Huius interpretationis difficultatem percepisse etiam videtur MICHAELIS; aliam enim proposuit, ut agri *sacri* significentur (4), quos colere nefas esse censerent Israëlitae; ast, uti iam observavit DATHIUS, vocabula Hebraica hanc interpretationem non admittunt. Longe igitur praestabilior et huic loco unice conveniens eorum mihi esse videtur sententia, secundum quam, ex prima vocis תרומות notione, vertatur *agri*; pp. *elationum*, i. e. *excelsi*, *alti* (5); saepissime enim nomen rectum pro adiectivo ponitur (6). Ex hac igitur explicatione iidem h. l. significantur montes, quos paulo ante memoraverat poëta. Quod omnino poëseos Hebr. indoli maxime congruum censeri debet; frequentissime enim poëtae Hebraei, propositam quamcunque sententiam aliis verbis, idem fere significantibus, repetunt, quod *parallelismus synonymus* vocari solet (7). Ne vero quis existimet, membrum hocce ideo

---

(1) Ita HIERONYMUS et, uti videtur, LOWTHUS ac DATHIUS; VATABLUS paulo aliter, *ne sint in vobis agri oblationum*.

(2) SOPRANES, MARIANA, MUNSTERUS, CLARIUS, HOUBIGANT ad h. l. ROSENMULLERUS l. l. p. 574. alii.

(3) Numer XV. 17 sqq. XVIII. 11 sqq. Deut. XVIII. 4 sq.

(4) Tum ad Lowthum p. 478. tum in versione sua.

(5) Ita etiam CLERICUS, LUD. CAPPELLUS, GREEN, GLASSIUS l. l. p. 27. et FENDELENBURG in *Repertor. fur Bibl. und Morgenl. Litterat.* XII. p. 238, qui recte cum n. l. contulit Iud. V. 18.

(6) Vid. SCHROED. *Synt.* R. VII. 1. et GLASSIUS l. l. p. 25 sqq.

(7) De quo vid. LOWTH. p 365 sqq.

redundare; immo magna in illo cernitur vis; haec enim latet jam in particula ו, quae saepe apponitur ad maiorem vim indicandam, ac respondet adeo Latinorum particulae *inquam* (1); vocabulum etiam שׂדה h. l. est exquisitum; usurpatur enim proprie de campo *irriguo*; quare egregie h. l. dicitur campus, qui antea satis superque irrigabatur, atque inde fertilitatem repetebat suam, nunc et rore et pluvia destitui, ita ut plane sterilis evadere debeat. Constat praeterea, agros, quo magis sint elati, eo etiam magis indigere pluvia et rore. Verum etiamsi hic verborum delectus non adesset, et vocabula acciperentur, quasi iis eadem prorsus, ac prioribus vis inesset, vel sic tamen unusquisque facile sentit, maximam ex horum verborum repetitione huic loco vim accedere. — Vix autem opus est, ut moneam, vocabula *ne ros nec pluvia in vos delabantur* ex priori membro esse repetenda, praesertim, quia hoc saepissime in istiusmodi parallelismis locum habet (2).

Ex iis, quae iam sequuntur, patet, quid tandem effecerit, ut Davides tanta in montes exardesceret ira. Nam, postquam indignationem suam verbis effudisset, ad id ipsum mentem cogitationemque convertit, quod tantae ipsi fuerat indignationis causa, atque: Sane, inquit, sint devoti montes isti, in quibus iacent occisorum arma proiecta.

Verbum געל varie explicuerunt viri docti, mihi vero eorum sententia videtur esse simplicissima, qui illud accipiunt notione *provolvendi*, *abiiciendi* s. *deiiciendi in terram*, ex primaria *volvendi* significatione (3), ita ut sensus sit: una cum heroibus istis eorum clypei ceciderunt s. in terram sunt deiecti, idque magna vi. Neque vero existimem, h. l. *abominationis* s. *fastidii* significationem, quae in hoc verbo obtinere solet, esse premendam; quod si vero haec nostro etiam loco subesse statuatur, non ita profecto est accipienda, quasi poëta significare voluerit, heroës abiecisse clypeos suos, ut ita facilius effugere possent, quod omnino turpe esset habendum; haec interpretum quorundam explicatio plane a totius carminis indole abhorret (4). — Notum autem est idemque alia etiam opportunitate monendum, veteres valde luxisse armorum iacturam, quippe quibus victores uti solerent, ut perenne atque illustre sibi conderent victoriae reportatae monumentum.

---

(1) Vid. NOLDIUS *Concordant. Particul.* pag. 290. coll. eius annotatione 1206 p. 875.

(2) Vid. LOWTH. l. l. pag. 373.

(3) Haec enim verbi deductio, in SCHEIDII *Lexico*, mihi simplicissima esse videtur. Ita iam EPHRAEMUS explicuit: *Clypeus eius in terram deiectus est*; haec enim notio est in verbo ܦܠ, quod ibi occurrit, vid. SCHAAFII *Lex. Syr.* h. v.

(4) Quare miror, CLERICUM etiam ab hac sententia non fuisse alienum.

Aliam explicationem proposuerunt nonnulli, in quibus etiam MICHAELIS, ex qua verbum נעל, coll. Arab. جعل, significet *posuit*, *deposuit*. At vero quamvis, quod ad sententiam attinet, eadem, quae modo indicata est, ratione locum interpretentur, adeo tamen languida haec verbi significatio esse videtur, ut ipse etiam MICHAELIS, ad meliorem intelligentiam, verbum *procumbere* addiderit (1), quo sane melius eius vim nativam expressit, quam ipso verbo *ponendi*. — Alii explicant, quasi clypei cum ignomina *ab hostibus* fuerint *abiecti*: sed tantum aberat, ut hostes abiicerent et dispergerent virorum fortium arma, ut potius sedulo ea colligerent.

Vocabula, quae sequuntur, בלי משיח בשמן cum per se verti possint, vel *frustra unctus oleo*, ut ad *clypeum* referantur, vel *frustra uncti oleo*, ut *Saulum* respiciant, a variis interpp. varie etiam sunt exposita. Solebant nimirum Hebraei clypeos suos, e ligno confectos et corio obductos, ne fatiscerent, inungere oleo, coll. Ies. XXI. 5. Sed vero, quidquid tandem huius sententiae fautores in medium protulerint, locus tamen, ita explicatus, languere videtur. Nonnulli etiam, cum non perspicerent vim particulae בלי *frustra*, huic lectioni, unius codicis auctoritate, praetulerunt כלי *arma*; atqui, cum iam bis *clypei* mentio facta fuerit, quomodo hic vocabulum, quo *arma* significentur, ferri possit, nondum video. Rectius igitur alii haec verba ad Saulum retulerunt, qui adeo dicatur occubuisse aeque ac miles gregarius, ut ne sacra quidem unctio impediverit, quominus occumberet. Cum vero hac etiam ratione loci sensum non satis liquere existimarent nonnulli, alias inducere lectiones conati sunt; ita unus pro בלי legendum coniecit ובני *et filiorum* vel ובן *et filii* (2); alius verba *et clypeus Sauli* omittenda esse censuit (3). Atqui hoc est nodum secare, non solvere. — Cum ergo interpretum, quos consulere mihi licuit, explicationes non plane satisfaciant, meam liceat paulo apertius explanare sententiam, quo pateat, quam exquisite pulcreque, ut reliqua, ita hoc etiam a poëta dictum sit.

Quam in se susceperat Iehova, in monte Sinaitico, peculiarem populi Israëlitici moderationem, hanc nequaquam misisse censendus est, postquam regium imperium erat introductum. Immo reges nomine Iehovae Israëlitis praeponebantur at-

---

(1) Quem vide in *Supplem. ad Lex. Hebr.* p. 340. Eandem sententiam tuetur etiam LUD. CAPPELLUS ad h. l.

(2) Ita auctor opusculi saepe laud. *Exeget. Handbuch*, qui alias etiam memorat coniecturas easque nimis fere quaesitas.

(3) Vid. auctor, supra allatus, in *Memorab. von* PAULUS, Tom. VIII. pag. 85.

que inungebantur, unde ad finem usque regni Iudaici nomen *legislatoris*, *iudicis*, ac *regis* Iehovae tributum fuit (1). Idem illud ipse etiam agnoscebat Davides; postquam enim rex erat creatus, Iehovam vocabat regem suum (2), et Salomonem Iehovae declarabat vicarium (3). Davides igitur tanto tamque honorifico beneficio non poterat non maximopere commoveri. Quare etiam dicitur statim atque a Samuele rex fuerat unctus, aliam induisse mentem et altiora spirare incepisse (4). Cumque semper gratum se praeberet erga Deum suum, non mirum profecto, eundem huius beneficii, divinitus in se collati, saepius fecisse mentionem (5), eiusque recordationem, et spem, quam inde fovebat, eum habuisse effectum, ut, in mediis etiam periculis et a Saulo profugus, hoc promisso glorearetur, Deo confideret, nec rem hominemve timeret ullum (6). Praeterea, cum adeo magnifice de illa unctione iudicaret, fieri aliter non poterat, quin Saulum etiam eandem ob causam honore et reverentia prosequeretur summa. Sed vero ulterius etiam procedens, quamvis infensissimum huncce inimicum bis vita potuisset privare, atque ad id ab aliis esset incitatus, vel sic tamen illi parcebat, quia, ut ipse inquiebat, Iehovae erat unctus (7). Neque alia de causa Amalekitam istum, qui Saulum a se interfectum finxerat, morte damnavit (8).

Ex his, ni fallor, sponte apparet, quid h. l. significare voluerit Davides, cum dicit, Saulum *frustra* (9) fuisse unctum. Cum enim tam magnifice de Israëlitarum rege, utpote uncto Iehovae, existimaret, putabat, alios etiam oportere eodem, quo ipse ducebatur, in talem virum sensu duci, aut saltem ei prae reverentia parcere, quod sponte etiam ex huius cum Amalekita agendi ratione patet. Scilicet, ut quisque est vir optimus, ita acutissime sentit, id, quod nefas ipse habet, ab alio perpetrandum esse nemine.

Quaenam, quaeso, iam superesse potest mirandi causa, Davidem, cum et Sau-

---

(1) Ies. XXXIII. 22.
(2) Ps. V. 3. LXVIII. 25.
(3) 1 Chron. XXVIII. 5.
(4) 1 Sam. XVI. 13.
(5) Ps. XVIII. 51. XXIII. 5.
(6) Ps. LVI. 5, 11. Ad vs. 5. cf. MUNTINGHE.
(7) 1 Sam. XXIV. 4—7, 11. XXVI. 8 sqq.
(8) 2 Sam. I. 14 et 16. Cum nostro loco conferri etiam possit Thren. IV. 20, ubi Iudaei Zedekiam, tanquam unctum Iehovae, mortuum lugent.
(9) Ita enim expono particulam בלי, quippe quae significatio h. l. aptissima videatur, ac facile ex propria *abolitionis* significatione, propter magnam dictionis poëticae brevitatem, oriri potuerit; NOLDIUS etiam l. l. explicuit *quasi non*, quod eodem redit.

lus, unctus ille sanctusque Iehovae, et amicissimus iuvenis Ionathanes in monte Gilboae essent caesi, dolore abreptum vehementissimo, atque ignarum, quo tandem se converteret, ita hunc montem increpuisse, ut, culpa istius calamitatis veluti in istum collata, agros eius ad sterilitatem atque vastitatem devoveret perpetuam!

V. 22.

Huc usque tantae calamitatis cogitatione nimis conturbatus fuerat Davides, quam ut mortuorum laudes celebrare potuisset. Haec enim esse solet gravium commotionum ratio, ut primum omnia conturbent, orationisque efficiant quasi fluctus quosdam, in varias partes iactatos, utque non ante quam affectuum impetus exsaevierit, serenior evadat oratio atque aequabilior. Ita etiam Davides, postquam in versibus praecedentibus omnem effuderat doloris aestum, in hoc et sequenti versu incidit in duumvirorum laudes celebrandas eximias. Quare statim iam hocce versu praestantem laudat eorum fortitudinem bellicam. Nec mirum sane; hanc enim et Israëlitae maximopere colebant, et ipse Davides tanto habebat pretio, ut pro ea, tanquam divinitus accepta, Deo gratias ageret (1).

Peculiarem praeterea vim huic versui accedere existimem, si virorum choro tribuatur; praesertim si forte fuerint milites, qui ipsi affuerant huic pugnae praesentes, atque adeo hanc Sauli et Ionathanis virtutem bellicam oculis ipsi suis contemplati, et tunc etiam admirati fuerant.

חללים a plerisque exponi solet, uti vs. 19 et 25, *interfecti*, *proiecti*, *confossi*, et recte quidem: nam, licet forte loca quaedam postulare censeantur, ut idem nomen significatione activa de *interficientibus* s. *militibus* accipiatur (2), nostro tamen loco consueta notio passiva praeferenda videtur. Cum enim vox illa ter in hoc carmine occurrat, decet utique, ut duorum etiam reliquorum locorum habeamus rationem (3). Iam vero notio passiva omnium est aptissima vs. 19, prouti ibi vidimus; vs. autem 25 eadem prorsus ac vs. 19 occurrit ratione; quare de hoc etiam idem erit dicendum: cumque in his vix aut ne vix quidem *militum* mentio facta

---

(1) Ps. XVIII. 35.

(2) Vid. B. KENNICOT in *Dissert.* I. *super rat. Text. Hebr. V. T.* p. 87 — 110.

(3) Unde etiam KENNICOT p. 106 sqq. in singulis locis vocabulum per *militem* exponit; GREEN vero, eum n. l. secutus, in reliquis passiva significatione accepit.

esse censeri possit, praestat, ut nostro etiam loco nomen significatione passiva accipiamus. Praeterea, Deut. XXXII. 42, qui locus cum nostro omnino conferendus videtur, in sublimi illo Mosis cantico, Deus inducitur vindictam ab Israëlitarum hostibus sumturus, atque haec dicens: » tunc inebriabo tela mea — sanguine *interfectorum* et *captivorum.*" In quibus verbis, similitudine ab heroë petita, dicitur Deus ita tela sua in hostes immittere, ut partim interficiantur, partim captivi abducantur. Eadem igitur dicendi ratio, brevitate ipsa se commendans et plane poëtica, in Davidis etiam verbis obtinet. Dicit enim: » gladius eius nunquam non nactus est *sanguinem interfectorum*;" h. e. eorum, quos ipse interfecit, quorum sanguinem ipse effudit.

מחלב *ab adipe*, dicitur de adipe, qui est circum intestina, coll. Levit. VIII. 16, 25. et IX. 19. Magnam itaque h. l. habet vim, ita ut significet poëta, Ionathanis sagittas non leviter tantum in hostium pectoribus fuisse fixas, verum ita, ut totae adipe illo intestinorum tegerentur et quasi includerentur (1). Hinc etiam SENECA de Hippolyti telis

. . . . tepido *viscere* condita,
Praedam de mediis nubibus afferunt (2).

Verbum, quod subsequitur, סוג varie exponi solet, ut dicatur arcus h. l. vel *tensus* vel *detensus*. Equidem posteriorem praeferam explicationem, sed aliud praeterea inesse existimem. Propria enim verbi notio est in *torta implicatione*, hinc *dissepire* s. *dirimere*, veluti *sepimento* similibusve. Ita etiam, a primaria illa significatione vel sine adverbio אחור *aversa parte*, uti Ps. LIII. 4, vel cum illo, uti Ps. LIV. 19, translate dicitur de eo, *qui corde suo devius est factus et aversus plane a virtute, a Deo aliisve;* qua significatione verbum etiam construitur cum praepositione מן *a, ab*, vid. Ps. LXXX. 19. Ies. LIX. 14. In his itaque verbum dicitur pp. de eo, qui a scopo aberrat, imagine desumta ab arcu, cuius nervus laxatus est, unde fit, ut, si quis illo uti velit, fraudetur, quia sagittae scopum non ferient, sed avertentur ab homine vel re, cuius petendi fuerat consilium; quae imaginis ratio sponte patet ex Ps. LXXVIII. 57. Iam vero idem illud nostro etiam loco spectari videtur; ita ut sensus huc redeat: arcus Ionathanis semper erat paratus, neque unquam, quod obtinere solet in arcu, cuius nervus laxatus

(1) Uti de Ehudis pugione dicitur, Iudic. III. 22.
(2) In *Hippolyto* vs. 818 sq.

est, eius sagittae a sanguine et adipe, i. e. a scopo aberrabant, sed ita in hostes immittebantur, ut semper virum aliquem fortem alto vulnere confossum prosternerent (1). Quare unusquisque videt, quam exquisita sint vocabula singula, et quanta vis sit in gradatione illa, ex qua primum *sanguis* tantum *interfectorum quorumvis*, sed deinceps ipse *virorum fortium* memoretur *adeps*.

Verba haec in primo versus membro posita, *a sanguine interfectorum* s. *confossorum*, *ab adipe heroum*, sensu suo referenda esse, tum ad secundum, tum etiam ad tertium membrum, sponte patet.

Ad loci autem pulcritudinem ulterius etiam percipiendam animadvertendum est, non dici Ionathanem in iaculando, Saulum in feriendo nunquam scopo suo excidisse, sed ipsum arcum gladiumque ipsum dici nunquam fuisse frustratos. Scilicet poëtae Hebraei solebant arma sua sibi fingere caedis avida, ita quidem, ut haec nonnunquam etiam dicerentur sanguinem bibere eoque inebriari (2). — Quae si teneamus, patet, quanta huic loco vis insit, et quam poëtica sit dictio illa: quare miror, fuisse aliquem, qui hunc versum frigidum planeque historicum esse existimaret (3).

Haud vero improbabiliter coniicitur, arcu maxime delectatum fuisse Ionathanem (4). Sponte enim sua poëta, amici eiusque mortui mentionem faciens, illud commemoravit, quod huic imprimis proprium erat. Idem forte etiam de gladio Sauli dicendum.

Ceterum cum hoc versu recte IONESIUS (5) comparavit Arabici cuiusdam carminis versum, in quo haec de iuveni forti dicuntur: » ubi provocavit adversarios, nunquam rediit a pugnae contentione sine spiculo, sanguine imbuto." Neque minus aptus censeri possit OSSIANI locus, ubi Calmaris fortitudinem his verbis cele-

---

(1) Haec longe maximam partem debeo ALB. SCHULTENSIO ad Proverb. XIV. 14. coll. eodem ad X. 4.

(2) Deut. XXXII. 42. Ies. XXXIV. 5 sq. Ierem. XLVI. 10. Chabak. III. 9. ad q. l. cf. I. W. A. SCHROEDER *Dissertat. de Cantico Chabakucci*, p. 35 sq. Vid. omnino SCHULTENS. *Orig. Hebr.* p. 81 sqq., ubi ex Arabicis et Latinis poëtis varia adducuntur exempla; cf. etiam LETTE ad *Cant. Deborae*, p. 160 sqq.

(3) Uti censuit auctor in *Memorab. von* PAULUS. l. l. pag. 86.

(4) Quod, uti supra, pag. 37, animadverti, coniecerat cl. v. D PALM. Exstat autem huius rei indicium in 1 Sam. XX. 20 sqq. Scilicet cum Ionathanes arcu delectaretur, inde statim in mentem ipsi venit, se per hunc optime significare posse Davidi, quidnam Saulus in eum decrevisset.

(5) De *Poësi Asiat.* p. 269.

brat: » nunquam rediit eius hasta sine sanguine, neque unquam eius arcus, in pugna cum heroibus, nisi brachium eius victoriam reportasset (1)."

Vs. 23.

Cum et Ionathanis et Sauli fortitudinem eximiam coniunctim celebrasset poëta, ita nunc secum reputans, eos non tantum simili fortitudine fuisse conspicuos, sed longe etiam magis amore mutuo coniunctos, huius amoris magnitudinem paucis, verum exquisitis descripsit verbis. Davides nimirum ipse ad amicitiam cum semper esset propensus, hanc item in aliis libenter animadvertebat, ac sponte eo adducebatur, ut eam in Saulo etiam et Ionathane extolleret atque nobilitaret.

Patet autem ex hisce egregia Davidis indoles, quippe qui, quamvis Saulus ipsum malis gravissimis affecisset, Ionathanem tamen a caritate paterna nunquam avertere conatus fuerit, sed eum, uti ex h. l. patet, ob ipsam illam erga Saulum caritatem laudaverit et maioris etiam aestimaverit. — En verae amicitiae, quae virtute nititur, indicium luculentissimum, dignum sane, quod ad imitandum proponatur omnibus!

Quod superest, versum huncce in duas partes dividendum esse iudicavi, quia illae argumento longe multumque a se invicem discrepant. Priorem partem ipsi Davidi tribuo: hic enim unus omnium optime iudicare poterat de amicitiae, quod in his obtinuerat, vinculo. Alteram partem, utpote plane versui 22 respondentem, denuo a virorum choro cantatam fuisse existimo.

Ipsa vocabula egregie valent ad indicandam intimam caritatem. Verbum אהב, quod primo loco occurrit, pp. significat *adspiravit*, *anhelavit*, inde *vehementius appetivit*, *adamavit* (2). Nec minor vis in verbo, quod proxime sequitur נעם, cuius propria notio est in *tenerrima mollitie*, *quae teneritudine sua mulceat* (3). Tandem verbum פרד pp. est *violenter divulsit* et *diffricuit cohaerentia* (4); quare egregie h. l. usurpatur de Saulo et Ionathane, qui in morte sua a se invicem non fuerint divulsi dilaceratique. Duorum autem priorum verborum species *Niphal*

(1) In *morte Cuthullinis*.

(2) Vid. A. SCHULTENS. ad Proverb. I. 22. VIII. 17.

(3) Verba sunt A. SCHULTENSII ad Proverb. II. 10. cf. idem ad XXII. 18.

(4) Coll. Ps. XXII. 15. Iob. XLI. 8. Conf. item A. SCHULT. ad Iob. IV. 11.

hoc loco vim habet reciprocam, *se invicem adamantes atque diligentes* (1). Postulat hoc ipsa rei indoles: etenim non adeo Saulus ab universo populo amatus fuisse videtur, ut haec verbi species vulgari significatione passiva et sensu magis generali accipi posse videatur; cum e contrario tam arctum Ionathani et Saulo intercederet caritatis vinculum (2), ut hoc ipsum longe aptius censeatur significari. Praeterea, postremum huius versus membrum hanc explicationem requirit. Etenim verba, *in morte etiam sua non sunt divulsi*, cum praecedentibus copulata, hanc mihi praebere sententiam videntur: prouti Saulus ac Ionathanes in vita sua semper arctissimo coniungebantur caritatis vinculo, sic iam eodem occubuerunt fato atque in morte etiam sua comites manserunt coniuncti.

Ipse scilicet Davides fuerat expertus, vitam fere non esse vitalem, cum dilectissimi capitis morte ab huius consortio et amicitia fuisset divulsus. Quare felicem eorum praedicabat fortunam, qui, alter alteri non superstes, ex mortui amici desiderio non fuerint dolore excruciati dilaceratique. Haec enim est vis amicitiae, ut, quo diutius illa fueris gavisus, eo etiam minus tolerare possis, ut ab ea distraharis unquam. Hinc omnium videtur esse dulcissimum, ut una dies utrique vitae imponat terminum. Quare etiam apud OVIDIUM *Thisbe* hoc ad maritum dicit:

. . . . quique a me morte revelli
Heu sola poteras, poteris nec morte revelli (3).

In dolore magnum solatium praebere solet, cum novimus, eos, quos vel honore, vel amicitia prosecuti sumus, quique in pugna occubuerunt, non turpiter cecidisse, sed magna excelluisse virtute. Quam ob rem apte poëta ad Sauli et Ionathanis virtutes bellicas, modo iam laudatas, iterum accedit.

Has autem virtutes ut aliis ante oculos ponat poëta, exquisitis, licet brevibus, utitur comparationibus. Ac primum quidem eorum *velocitatem* memorat. Per to-

---

(1) Idem animadverterat iam VATABLUS; hanc speciei vim notavit GESENIUS in *Lehrgebäude der Hebr. Sprache*, p. 239.

(2) Vid. supra pag. 22 sq.

(3) *Metamorphos.* IV. 152 sq. Hanc in rem eximius est locus apud HORAT. *Od.* II. 17. Cf. VIRG. *Aen.* IX. 445. et EURIPID. *Iphig. in Tauris* vs. 664 sq. Pariter poëta Arabs in mortem *Sahidi*: «equidem, inquit, me similem cuperem incolis sepulcrorum, dum in medio sepultorum coetu habitat Sahidus.» *Hamas. Excerpt.* pag. 540. Similem affectum prodidit Davides, mortuo Absalomo, 2 Sam. XVIII. 33. Vid. etiam Ruth. I. 16 sq. et Matth. XXVI. 35.

tam enim antiquitatem, nihil praeter fortitudinem in heroibus magis celebrari solebat, quam pedum celeritas (1); quippe quae in viris quibusque primariis requireretur prorsus. Hac praediti facultate suos ubivis ad res strenue agendas adhortabantur; hostes nunc ab hac, nunc ab illa parte invadebant, atque eorundem viros principes et fortissimos pugna singulari persequebantur et devincebant (2). Eiusmodi ergo celeritatem, eamque haud sane vulgarem, poëta tribuit Saulo ac Ionathani, comparatione petita ab *aquilarum* pernicitate. Aquilae enim incredibili velocitate in praedam irruere solent, nec conquiescunt unquam aut defatigantur, ante quam expleverint rapacitatem suam. Aptissima ergo imago est, ab avis rapacis celeritate desumta, ad pingendam herois bellici velocitatem in hostes irruentis. Exquisitae huic imagini adest etiam aptissimum verbum קלל, quod pp. significat *levis fuit* (3); unde vox illa, Latinis etiam (4) ad cursum translata, maximam denotat velocitatem, qua homo, quasi nullo impediretur pondere, in omnes partes facile se vertere possit. Cum h. l. optime congruunt illa apud SCHANFARUM: » volucres, celerrime volantes, cursu praevertit (5)." — Huic laudi Davides alteram etiam virtutis bellicae partem, *fortitudinem*, adjungit; atque ut ostendat, quanta illa fuerit, eos *leonibus* fuisse fortiores dicit. Leones enim propter fortitudinem insignem cetera animalia superant omnia (6); quare etiam frequentes ab iis desumi solent comparationes (7). — Uti autem aquilae ad celeritatem, ita leonis ad bellicam fortitudinem significandam exquisita est imago, cum leones quoque fortitudine sua ad subigendam praedam omnium sint validissimi.

---

(1) Hinc Epitheton Achilli imprimis proprium πόδας ὠκύς. cf. KOPPEN *Anmerkungen zu Homers Ilias.* ad I. 58.

(2) Vid. exempla apud HOMERUM *Iliad.* XVII. 87, 124. XX. 353, 381 sqq. XXII. 139 — 146, 157 — 166, 188 sqq.

(3) Col. SCHULTENS. ad *Harir. Cons.* IV. p. 34.

(4) Ita v. c. VIRG. *Aen.* XII. 489. Ceterum cum n. l. conf. etiam Thren. IV. 19. Pariter HOMERUS Achillem *Iliad.* XXI. 252. et Hectorem XXII. 308. cum aquilis comparat. Cf. omnino BOCHART l. l. II. 170 sqq. OSSIANUS etiam saepissime heroës cum aquilis componit, uti v. c. de Dermide: « Fortitudo tua similis erat torrenti concitato, velocitas tua instar erat aquilae regionis Athae, cum in dorcadem irrumpit." in *Dermide.*

(5) In SYLVESTRE DE SACY *Chrestom. Arab.* I. 316. cf. doct. L. G. PAREAU *de Tograio*, p. 134.

(6) Iud. XIV. 18. Proverb. XXX. 30.

(7) Gen. XLIX. 9. Num. XXIII. 24. XXIV. 9. 2 Sam. XVII. 10. 1 Chron. XII. 8. Ps. XXII. 22. Ierem. L. 17. Cf. omnino BOCHART. l. l. ubi multa ex Graecis Latinisque poëtis hanc in rem exempla afferuntur.

Vs. 24.

Memorata et Ionathanis et Sauli fortitudine, poëta sponte mentem advertit ad victorias, quas hac incitatus fortitudine reportaverat Saulus; quare apposite Davides hinc opportunitatem cepit, ut mulieribus etiam regem lugendi praeberet materiem. Scilicet, prouti viris fortitudine laudabilius in rege videri poterat nihil, ita idem ille rex maxime laudandus erat foeminis, quippe qui, mundi muliebris studiosissimus, effecisset, ut ipsae splendide vestirentur.

Verbum בכה, *flevit*, *deflevit*, adhibetur praesertim de carmine funebri, in publico coetu solenniter edito (1). — שני est *coccus;* inde vestes coccineae, sive pretiosissimae (2). Nomen, quod additur, magnopere dicti vim auget; עדנים enim sunt pp. *tenerae mollesque deliciae.* Prius itaque membrum pp. ita vertendum: » *Filiae Israëlis*, *Saulum deflete*, *facientem*, *ut induamini vestibus coccineis cum deliciis* i. e. quas in deliciis habetis. Nomen עדי *apparatus* usurpatur imprimis de vestitu splendidiori et mundo muliebri; verbum enim עדה, a quo nomen hoc originem duxit, coll. Arab. عدا et عدّ, pp. significat, *paravit se*, *accinxit se paratu et ornatu*, hinc *imposuit vestem*, *qua in publicum cum pompa solenni aliquis procedit* (3). — Nomen autem זהב, quo *aurum* designatur, est pp. *fulgor maximus;* verbum enim זהב, coll. Arab. ذهب, pp. de iis dicitur, *qui praestrictos habent oculos prae fulgore* (4). — Tandem לבוש est *vestimentum exterius.*

Itaque eximius poëta uno hoc versiculo fortissimi regis in Israëlitides collatum beneficium ita celebrat, ut, et exquisito verborum delectu et quadam etiam eorumdem abundantia usus, de ornamentis muliebribus ornatissime dicat. — Saulus autem frequentes reportaverat victorias (5), atque ingentem ex iis praedam factam, magna saltem parte, populo distribuisse censendus est (6); unde Israëlitides suas acceperint partes, quae praecipue vestimentis constarint (7). Cogitandae igitur

---

(1) Vid. A. SCHULTENS ad Iob. XXX. 31.

(2) Vid. ROSENMULLERI *Scholia* ad Exod. XXV. 4. cf. BOCHARTUS l. l. P. II. p. 624 sq.

(3) Coll. A. SCULTENS ad Iob. X. 17. XXVIII. 8. p. 775. XL. 5. et ad Proverb. XXV. 20.

(4) Vid. idem ad Iob. XXXVII. 22. p. 1062.

(5) Vid. supra pag. 22.

(6) Hoc enim iubebat lex, Num. XXXI. 27. cf. MICHAELIS in *Iure Mos.* §. 181.

(7) Cuius rei forte indicium exstat Iud. V. 30, si sc. membrum postremum referatur ad ipsam Iaëlem, et legatur לְצַוָּארִי *collo meo*, de qua interpretatione vid. MUNTINGH. *Gesch. der Menschh.* V. Annotat. p. 73—76. Idem luculentius ex Davidis Ps. LXVIII. 13. patet, qui locus cum nostro imprimis conferendus est.

sunt vestes a populis vicinis devictis ablatae, atque gentis Israëliticae mulieribus donatae, uti iam explicuit EPHRAEMUS Syrus et recentiores interpp. fere omnes, neque cogitandum modo de puellis et foeminis, quae in aula degere solebant, prouti censet L. CAPPELLUS. Uti autem mulieres etiam Israëliticae vestimentis, colore vario auroque ornatis, solebant delectari (1), ita nihil aptius dici poterat ad excitandas eas, ut regem mortuum lugerent. Neque vero etiam rei indoli magis esse consentaneum quidquam potest, quam ut existimemus, hunc versum mulieribus ipsis ad canendum esse datum, quo illae se invicem ad regem deplorandum incitarent. — Ceterum frequentissime etiam OSSIANUS mulieres ad alicuius herois mortem lugendam adhortatur, uti v. c. de *Orla* et *Rynone*: »lacrymemini filiae Morvenis iugosae, lugeatis filiae Lothae undosae (2)."

Vs. 25.

Cernitur hoc saepe in hominibus, mortuos amicos lugentibus, ut primum in verba erumpant vehementi affectu plena. Mox autem iidem frequenter solent in defunctorum laudes excurrere, atque inter laudandum videntur ad placatiorem rediisse animum. Brevi vero postea apparet, eos, quo magis excellentem amicorum imaginem menti suae repraesentarint, eo quoque acrius omnem persentire calamitatis suae magnitudinem. Quam ob rem licet paululum sedata sit affectuum vehementia, tamen ad dolorem suum exprimendum redeunt, atque tristissimis plerumque et moestissimis verbis desiderium suum significant lamentando. Similiter Davides, vs. 19—21, doloris vehementiae indulsit, et, vs. 22—24, mortuorum virtutes celebravit; nunc autem, vs. 25 ad finem usque carminis, ad dolorem suum significandum redit, affectuumque vehementiam quidem minorem exprimit, sed animi moesti desiderium maius.

Nostro versu in eandem lamentationem erumpit Davides, quae occurrit etiam in carminis initio. Sunt tamen quaedam immutata, pro diversa, quae hic obtinet, ratione. Ita in primo membro poëta utrumque memorat heroëm, quia paulo ante Sauli etiam fecerat mentionem; dum in versus 19 membro priori solum commemoraverat Ionathanem. Significanter autem in n. l. dixit poëta המלחמה, praeposita

---

(1) Cf. N. G. SCHROEDERI *Comment. de vestitu mulier.* p. 219.

(2) In *Fingale* V.

part. demonstr. ה, ut vertendum sit, *in medio illo praelio;* cuius dicti vim huc redire censeam: mirum admodum sibi videri, viros istos in ipso illo praelio, in quo fortitudinis ediderant documenta maxime illustria, periisse ambos.

In altero autem membro ipsum indicatur Ionathanis nomen, quo fit, ut magnam ex h. l. lucem capiat carminis initium, et vicissim hemistichium hocce nostrum peculiarem accipiat vim, quandoquidem sponte ita patet, imaginem dorcadis, in collibus suis proiectae, obversatam fuisse Davidis menti, cum diceret: Ionathanem in collibus ipsum suis esse proiectum.

V. 26.

Huc usque Davides coniunctim egerat et de Saulo et de Ionathane; sed tamen, quantum per carminis indolem licebat, huius amicissimi viri et desiderium et laudes praecipue indicaverat. Ex quo facile etiam concludere possis, quemnam imprimis ob oculos sibi posuerit poëta, cum utriusque herois coniunctam faceret mentionem. Nunc autem arctis illis carminis, in popularium gratiam conditi, legibus et quasi vinculis, sibi admodum molestis, contineri se amplius non patiebatur. At vero, quod animus iam dudum cupierat, in suam erga Ionathanem amicitiam praedicandam erupit. Nec tamen in huius caritatis recordatione diu moratus est, sed, cum semel pleno ex pectore summi in Ionathanem amoris effudisset sensus, eius animus nimio obruebatur dolore, et mox in flebilem illam rediit lamentationem: *Eheu ceciderunt heroës!* —Ad indicandam autem intimae illius amicitiae magnitudinem, omnia, quae in hoc vs. habentur, egregie valent. Valet vero imprimis repetitio verborum, caritatem amoremque significantium.

Verbum צרר, quod doloris magnitudinem exprimit, usu neutrali (1) occurrit, et significat pp. *strinxit*, hinc *constringendo vehementer arctavit*, *anxit* (2). Nec minus aptum est nomen, quo Ionathanem compellat Davides, אחי *frater mi;* dicitur enim אח ex propria vi, de *nexu quocunque arctiori et sacratiori* (3), unde

(1) De quo usu egit SCHROED. *Synt.* Reg. LXI. 1.
(2) Vid. Vener. GROENEWOUD in *Lexico.*
(3) Vid. A. SCHULTENS ad Iob. I. 4. p. 8. et SCHEID. in *Observ. Etymologicis*, hac voce.

Prov. XVII. 17. etiam usurpatur *de vero et coniunctissimo amico* (1). Sed admirabilis est prorsus poëta in describendo arctissimo caritatis vinculo. Sic primum adhibet verbum נעם, quod vs. 23. iam affuit, quodque usurpatur de *tenerrima amicitia*; praeterea addita est particula מאד *valde*, *penitus*, quo Latinorum superlativus indicari solet (2). Verbum autem פלא, quo utitur poëta ad designandum insigne discrimen inter amorem Ionathanis et mulierum, magnam item habet vim; est enim, coll. dial. Arab. pp. *fidit*; unde in specie Niphal, quae h. l. occurrit, dicitur de eo, *quod ab aliquo procul est positum*, et *quasi diffissum et rescissum* (3); nec omittenda est vis intensiva ה paragogicae, quae verbo addita est, cuique respondet Latinorum *admodum* (4). Denique nomen אהב dicitur pp. de *amore ardentissimo*, uti ad versum 23. vidimus.

Neque tamen mirum videatur, Davidem h. l. amorem Ionathanis cum amore mulierum comparasse. Ducebatur enim ille summa in foeminas propensione; quam iam antea luculenter patefecit in sua erga Abigailem agendi ratione (5), ac magis etiam deinceps demonstravit, cum, rex creatus, plures sibi sumeret uxores (6). Quare longissime discedo a KLINKENBERGII sententia, existimantis, Davidem h. l. respexisse ad amorem Michalis, quae, primum Davidi iuncta, deinceps Paltieli nupta fuit. Quod quamquam haec patris iussu fecerit (7), existimat ille exinde patere, huius mulieris erga Davidem non fuisse verum amorem. Ast, hanc si recipias sententiam, quaenam, quaeso, loci vis erit? Requiritur omnino aliquid, quod Davides summi aestimaverit, quodque eo ipso dignum censuerit, quocum Ionathanis compararet amicitiam. Immo veram eamque sibi spectatissimam mulierum caritatem significavit Davides, indicavitque adeo hoc dicto, quanto pretio Ionathanis amicitiam habuerit, cum hanc dicat sibi fuisse longe multoque cariorem, quam summum etiam maximique habitum mulierum amorem.

---

(1) Coll. cl. V. D. PALM in Opere Belg, cui titulus *Salomo*. IV. pag. 746. Pariter apud Arabes اخ, quod etiam de *fratre* dici solet, usurpatur de *amico coniunctissimo*, vid. cl. WILLMET in *Lex.* hac voce; quo sensu occurrere videtur *Exc. Hamas.* p. 574.

(2) Coll. SCHROED. *Gramm.* R. CII. p. 173.

(3) Vid. SCHULTENS ad Proverb. XXX. 18. p. 463 sq.

(4) Coll. SCHROED. *Gramm.* R. CLXV. p. 264.

(5) Cf. NIEMEYER *Charakterk. van den Bijbel*, III. p. 186.

(6) Vid. MUNTINGH l. l. V. Annotat. pag. 24.

(7) 1 Sam. XXV. 44.

Vs. 27.

Postquam Davides suam erga Ionathanem memoraverat amicitiam atque caritatem, dolore nimis impeditus videtur fuisse, quam ut in peculiaribus Sauli laudibus moraretur; quare ad carminis finem properabat poëta. Est autem eximii poëmatis finis aptissimus. Namque hoc versu totum canendi argumentum paucis repetitur verbis, significato dolore ex utriusque et Sauli et Ionathanis clade suscepto. Quae igitur si ab universo contantium choro una cum ipso Davide cantata tibi fingas et cum acerbi luctus significatione expressa, maximam sane vim habuisse censenda sunt in audientium animum.

Prius huius versus membrum occurrit iam vs. 19 et 25; posterius vero novum accedit, quod, uti supra animadversum est (1), magnam varietatem pulcritudinemque carmini addit.

Verbum אבד, quod in posteriori hoc membro occurrit, a multis exponitur *dispersus est;* quae significatio facile ab *errandi* notione, quae huic verbo inest (2), deduci potest. Alii vero illud rectius interpretantur significatione *pereundi* (3); nempe, quod recte plurimi observarunt, vocabulis כלי מלחמה, pp. *instrumenta belli*, non, ex nonnullorum sententia, intelliguntur ipsi *heroës*, sed *arma bellica*, quae igitur vere Israëlitis *periisse* dicuntur, quandoquidem ab hostibus erant ablata. Atque hoc sane haud parum ad luctus causam augendam valebat. Antiqui enim, uti armorum captura vehementer gaudere, ita eorundem iacturam imprimis lugere solebant; atque arma capta saepe in templis Deorum suspendebant, ut eo ipso significarent, Deos suos esse hostium Diis superiores. Quanto honore apud Romanos spolia opima, Iovi Feretrio dicata, habebantur! — Apud Graecos Epaminondas, in castra semianimis delatus, rogabat: num cadenti sibi scutum ademisset hostis; idque, cum servatum audiisset, prae gaudio osculatus est (4). — Apud Hebraeos vero ipse Davides Goliathi arma Iehovae olim consecraverat (5). Quid? quod Philistaei occisorum Sauli et Ionathanis arma in templo Astharoth suspende-

---

(1) Pag. 33.
(2) Coll. A. SCHULTENS. ad Iob. VI. 18. et MICHAELIS in *Supplem. ad Lex. Hebr.*
(3) Ita iam LXX, Syrus, Arabs, Vulgata antiqua et Hieronymus.
(4) IUSTIN. *Hist.* VI. 8.
(5) 1 Sam. XXI. 9.

rant (1). — Sic igitur Davides moerebat vehementer, quod et amici sui et regis Sauli arma quoque perierant. Ita enim summum illud utriusque spectatissimi viri ornamentum esse deperditum lugebat. Ita in hostium triumphantium manus has eorum delicias cessisse dolebat. Ita perpetuum istis victoriae, de summis heroibus reportatae, documentum fore aegerrime ferebat. Quid? quod Davidi nihil facile videatur gratius fuisse futurum, quam si ipsi hasce et regis, Iehovae consecrati, et iuvenis, sibi dilectissimi, reliquias nancisci licuisset et in perennem servare memoriam: ast et hoc doloris levamen ipsi perierat. Quare ita carmen claudit: » Eheu! occubuerunt heroës, et perierunt arma bellica!"

---

(1) 1 Sam. XXXI. 10.



PARS III.

CARMINIS CUM ALIIS POEMATIBUS COMPARATIO.

Ad finem perducta ipsa carminis interpretatione, accedimus ad postremam commentationis partem, quae versatur in similibus gentium quarundam carminibus cum hac Davidis elegia comparandis. Quamvis autem animus mihi fuisset, ex singulis, quas vos V. V. C. C. enumerastis, gentibus, unum eligere carmen, quod cum nostra elegia quodammodo conveniret, vel sic tamen ex Septentrionalium gentium poëmatibus nullum adducere potui. Licet enim Ossianus, quem spectari existimabam, carminibus funebribus abundet, spirant tamen ea aliquid a nostra elegia adeo diversum, ut, quamvis eum totum hoc consilio perlegerim, nullum invenerim carmen, quod, si universum spectetur, recte cum illa comparari queat. Quare ea loca peculiaria, quae nostram in rem valere videbantur, ipsi carminis nostri interpretationi inserui. In reliquis vero eum ordinem servandum esse duxi, qui in ipsa quaestione indicatus est.

§. 1. *De Hebraeis.*

Fuisse Hebraeis plura in honorem virorum clariorum carmina lugubria, tum ex satis frequenti horum commemoratione (1), tum maxime ex deperdito atque hunc in usum destinato libro (2) luculenter patet. Hoc enim threnorum libro non

(1) 1 Regum XIII. 29 sq. 2 Chron. XXXV. 25. Ierem. XXII. 18. XXXIV. 5. Formulae enim, quarum in his locis, excepto Chron. loco, mentio fit, videntur usitatae fuisse in carminibus lugubribus, uti recte a plurimis observatum est.

(2) Qui memoratur in Chron. loco modo allato.

significari superstites Threnos Ieremiae, recte observarunt plurimi interpretes, quandoquidem in his non unice Iosiae mors, cuius in altero loco mentio est, sed totius reipublicae Iudaicae misera conditio cum luctu commemoratur (1). Quae autem supersunt carmina lugubria, Ezech. XIX, XXVIII et XXXII, aliaque eiusmodi, nostram in rem inservire non posse, unusquisque facile percipiat.

Una tantum, quantum scio, superest elegia, quae cum nostra aliquatenus comparari queat, eam dico, quam ipse etiam Davides in mortem Abneri composuit, quaeque occurrit 2 Sam. III. 33 et 34.

Abnerus scilicet, ab Isbosetho male, ut opinabatur quidem, habitus, Davidem adierat, ut, postquam ei Israëlitarum omnium animos conciliasset, ulterius cum eo de imperio in illum conferendo ageret. Cum vero abiisset, ut diem indicaret, quo universus populus conveniret, Ioabus, cuius fratrem Abnerus interfecerat, eum revocari iubet. Hic igitur nihil mali timens retrogreditur, atque a Ioabo in loco quodam, ab omnium adspectu remoto, dolose interficitur. — Ab hoc igitur scelesto ac nefario facinore abhorrens Davides, non tantum diras quasque huius caedis auctori Ioabo imprecatur, verum etiam, ut ulterius ostendat, quam longe abesset, ut tale facinus aut perpetraret ipse, aut perpetratum approbaret, ab omnibus, ne Ioabo quidem excepto, Abnerum mortuum lugeri iubet, ipseque in hunc breve illud carmen fundit (1).

Num, prouti moritur ignavus, moriendum fuit Abnero? —
Manus tuae non fuerunt vinctae,
Tuique pedes non aeneis constricti fuerunt catenis! —
Cecidisti, ut qui cadit, supervenientibus insidiatoribus (2)!

Quis germanus horum versuum sit sensus, mihi nondum certo liquet; quare hanc

(1) Vid. imprimis cl. PAREAU in libello de *Threnis* illis, p. 41 — 51.

(2) Vid. 2 Sam. III. 7 — 32.

(3) Quamvis non huius loci sit, ulteriorem afferre explicationem, haec tamen notanda duxi, quandoquidem a nullo interprete memorata reperi. Videtur mihi substantivum, quod h. l. occurrit, עלה de *insidiis* interpretandum. Verbum enim Arab. غال pro غول significat *invasit de repente* et *de improviso;* unde etiam nomen غول est *quidquid hominem inopinantem invadit.* Hoc autem verbum recte cum עול posse comparari, patet vel ex eo, quod verbo غال cum عال et עול una eademque inest primaria notio *inclinandi prae nimio pondere*, vid. cl. WILMETT in *Lexico.* De hac verbi Hebr. cum Arab. comparatione egit etiam MICHAELIS in *Supplem. ad Lex. Hebr.* p. 1859.

afferre liceat sententiam, quae mihi adhuc satis probabilis visa fuit, quam tamen lubenter mittam, si quam postea aptiorem invenero.

Itaque ad carminis vim percipiendam haec tenenda videntur. — Ioabus antea Abnerum fuerat persecutus, nec tamen hostem hunc plane vincere aut captivum vinctumque potuerat abducere (1). Quare Davides et Abnerum, virum fortem, misere neque heroica morte occumbentem lugens, et Ioabo, fraude, non vero fortitudine conspicuo, iratus, carmenque fundens, primum quidem: » Tune, inquit, Abnere! fortissime vir! tune morte, imbellibus simili, occumbere potuisti!" Deinde ut eum laudet ac Ioabum perstringat: » Vincire tamen te manibus, ut captivum, neque ligare pedibus unquam inimico contigit tuo!" Tandem, ut rationem daret, qua erat factum, ut heros tam ignobili caede iaceret, simulque ut indignationem suam erga perfidum homicidam plane declararet, haec addit: » Cecidisti vero, ut cadunt ii, qui insidiatorum perfidia circumveniuntur!" — Quae criminis notatio quam gravis accidere deberet illi viro, quem Davides ipse potentia sibi praevalere agnoscebat (2), unusquisque facile videt.

Quod si ita carmen illud explicetur, apparet, Abnerum laudari a virtute bellica, quam item laudem in altera Davidis elegia eximie celebratam vidimus. Praeterea, in elegia, in mortem Sauli ac Ionathanis composita, quaedam insunt, quae cum hac ipsa comparari queant. In hac nimirum quaerit Davides, num imbellis fuerit Abnerus, quippe qui tam turpiter occubuerit; in illa miratur poëta, heroës illos fortissimos in pugna contra Philistaeos occumbere potuisse. Illic ipsi pugnae loco diras imprecatur poëta, cum nullus sit, in quem iram suam convertat; hic Ioabum, caedis auctorem, herois nomine indignum esse ait, eique turpissimum insidiatoris crimen exprobrat. In utraque praeterea cernitur aliquid valde abrupti; quamvis haec universe videatur inconcinnior, illa vero magis elaborata. Tandem vero haec indignationem spirat, illa plena est moestitiae sensu.

§. 2. *De Orientalibus aliis.*

Ab Hebraeis ad alias gentes Orientales accedens, imprimis Arabes esse adeundos existimavi; idque magis etiam, postquam frustra Chrestomathias duas Syriacas (3)

(1) 2 Sam. II. 24. (2) Ibidem III. 39.

(3) Quas curarunt KNÖS et HAHN, quarum haec continet carmina selecta Ephraëmi.

ut et Anthologiam Persicam (1) inspexeram, atque simul etiam intellexeram, in Indorum carminibus Epicis non homines, sed numina fere semper occurrere, hominibus superiora, eademque carmina universe mythologicis constare fictionibus (2). — Ast, quam de Arabibus carminibus habueram spem, eam nequaquam fefellit eventus. Plura enim sponte se mihi obtulerunt carmina, quae cum nostra Elegia partim comparari possent. Quo pertinent, quae occurrunt in *Monumentis Vetustioribus Arabiae*, a SCHULTENSIO editis, pag. 15 sq. et in *Hamasae Excerptis*, pag. 540 sqq. pag. 548 sqq. pag. 554 sqq. et 566 sqq.: quae cum singula suis gaudeant dotibus, atque passim habeant quaedam cum nostra elegia communia, potuisset ex iis aliquod eligi; nisi aliud mihi suppeditasset HUMBERTIUS (3), ex nobilissimo historico Arabico *Ibn Chalicano* (4); quod quidem mihi adeo pulcrum visum fuit, ac nostram in rem tam aptum, ut integrum adiiciendum esse existimaverim. Quo autem facilius illud intelligatur, versionem non uno tenore, sed interpositis paucis quibusdam observationibus exhibui. — Est autem carmen eiusmodi.

بِتَلِّ نُهَاكِي رَسْمُ قَبْرٍ كَأَنَّهُ
عَلِي جَبَلٍ فَوْقَ الجِبَالِ مُنِيفِ
تَضَمَّنَ مَجْدًا ثُمَّ عِزًّا وَسُودَدًا
وَهِمَّةَ مِقْدَامٍ وَرَأْيَ حَصِيفِ
فَيَا شَجَرَ الخَابُورِ مَا لَكَ مُورِقًا
كَأَنَّكَ لَمْ تَحْزَنْ عَلِي ابْنِ طَرِيفِ
فَتًي لَا يُحِبُّ الزَّادَ إِلَّا مِنَ التُّقَي

(1) Quae edita est a *Caesarea regia ling. Orient. Academ.* Viennae 1778.

(2) Vid. omnino cl. HEEREN in Opere nobil. *Ideën over de Staatkunde*, III. pag. 182 sq., qui inde a pag. 151. de Indorum poësi egit. Frustra itaque pervolveram carmen, cui nomen *Nala*, editum a cl. ROSENGARTIO, ling. Germ.

(3) In *Anthologie Arabe*, Paris. 1819. pag. 88 sqq. Eundem virum secutus sum in carminis lectione, punctis vocalibus insignita.

(4) Ita enim efferri solet nomen Arabicum ابن خلكان vid. Vener. H. F. TYDEMAN in *Conspectu Operis Ibn Chalicani*, pag. 18 sqq., ubi, varias scriptiones recensens, etiam illam memoravit, quam secutus est HUMBERT, *Khilcan*.

ولا المال الا من قنى وسيوف
ولا الذخر الا كل جرداء صلدم
معاودة الكر بين صفوف
كانك لم تشهد هناك ولم تقم
مقاما على الاعداء غير خفيف
ولم تستلم يوما لورد كريهة
من السرد في خضراء ذات رفيف
ولم تسع يوم الحرب والحرب لاقح
وسمر القنا ينكرنها بانوف
حليف الندى ما عاش يرضى به الندى
فان مات لا يرضى الندى بحليف
فقدناك فقدان الشباب وليتنا
فديناك من دهمائنا بالوف
وما زال حتى ازهق الموت نفسه
شجى لعدو او لجا لضعيف
الا يا لقومي للحمام وللبلى
وللارض همت بعده برجوف
الا يا لقومي للنوايب والردى
ودهر ملح بالكرام عنيف
وللبدر من بين الكواكب اذ هوى

وللشمس لمّا أزمعت بكسوف
ولليث كلّ الليث إذ يحملونه
إلي حفرة ملحودة وسقيف
ألا قاتل الله الحشا حيث أضمرت
فتي كان المعروف هير عيوف
فإن يك أرداه يزيد بن مزيد
فرب زحوف أمها بزحوف
عليه سلام الله وقفا فإنني
أري الموت وقاعا بكل شريف

Est igitur, ut fert inscriptio, Elegia sororis in mortem fratris Validis, qui erat, coll. vs. 6. Tariphi filius (1), Siibanita, ad sectam quandam schismaticorum pertinens, unus de viris bellicis, inter rebelles milites strenuis, et caput eorum, qui ab obedientia supremi religionis antistitis desciscebant eo, quo vixit, tempore. Interfectus autem est anno Hegirae 179 (2) in pugna contra Iezidem, coll. vs. 33 sq.

Hoc ergo fratre orbata mulier, sepulcrum intuens, recordatur, quanta huic viro fuerit praestantia; quare mirum ipsi accidit, sylvam, ubi mortuus iacet, non eadem, qua ipsam, affici tristitia, vs. 1 — 10.

In colle Nehachi est signum sepulcri, quod apparet positum
Super monte, prae ceteris montibus elato.

---

(1) Ad quem versum vid. HUMBERT, qui animadvertit, huius viri vitam ab Chalicano conscriptam fuisse atque reperiri in huius vitarum catalogo voce الوليد; at vero in huius operis *Conspectu* laudato, p. 247. tabula 794, habetur الوليد بن طريق *Valid filius Tariki* pro طريف *Tariphi*, quod habet HUMBERT; quod cum ab uno puncto pendeat, typographi errore facile permutari poterat; quare nesciens, quaenam vera sit lectio, Humbertium secutus sum.

(2) Haec debeo eidem TYDEMANNO in *Catalogo* l. l. Conf. MENINSKI *Lexic. Arab. Pers. Turc.* in voce خوارج.

Comprehendit gloriam itemque potentiam magnamque dignitatem,
Et nobilem spiritum herois, simulque prudentiam sapientis!
Sed, o arbores *sylvae* Chabour! quid frondibus insignes estis,
Aeque ac si vobis non dolendum esset ob filium Tariphi (1),
Ob iuvenem, qui nullum amabat viaticum, nisi Dei venerationem,
Nullasque opes, nisi hastas et gladios,
Neque ullum thesaurum, nisi diversas turmas equorum robustorum,
Qui iteratis vicibus irruant in acies structas! —

Deinde fratris reputans fortitudinem eximiam miratur, hanc illi non magis profuisse, sed eum occubuisse, aeque ac si vir fuisset imbellis, vs. 11 — 16.

Nunc tu iaces, aeque ac si non praesens hic affuisses, nec stetisses
In statione contra hostes minime facili,
Nec praelio ingruente induisses loricam,
E continuis annulis splendidissimi aeris confectam, rutilantem,
Nec strenue incurrisses in bellum imminens, bellum illud malis ita gravidum,
Ut ipsae hastae fuscae illud sua cuspide declinarent.

At vero, uti ingenuo homini apud Arabes fortitudo honori est, ita quoque liberalitas; et si quis fortitudine armatus sit et liberalitate dives, neque arma habere potest ad gloriam pulcriora, neque divitias ullas ad laudem opulentiores (2). Quare etiam hanc Validis liberalitatem egregie, licet paucis verbis, describit vates, vs. 17 et 18.

Comitem habebat ille liberalitatem; dum vixit, delectabatur eo liberalitas,
Cum obiit, nullo comite delectatur liberalitas (3).

Cum igitur tam nobilem amisisset fratrem, tanto huius tenebatur desiderio miserabilis soror, quantum perciperet ex iuventutis, quae mulieri est exoptatissima, aetate praeterlapsa. Unde pretiosissima quaeque solvere gestiret, dummodo hisce eum ex morte posset redimere. Scilicet erat ille admirabilis prorsus et fortitudine

---

(1) Cf. BIONIS *Epitaph. Adonidis* vs. 32 sqq. et MOSCHI *Epitaph Bionis*, initio.
(2) Sunt verba doct. L. G. PAREAU in *Specimine de Tograio*, pag. 65.
(3) Ita ipsa etiam liberalitas cum viro benefico mori dicitur *Exc. Hamas.* pag. 562. vs. 4. et 564. vs. 6.

et liberalitate, quas virtutes cum antea separatim iam celebrasset, nunc coniunctim laudat, vs. 19—22.

Te desideramus desiderio *amissae* iuventutis. Utinam vero nos
Te redimere possemus mille equis nostris optimis!
Nec desinebat enim, donec eum vivum auferret mors,
In angustias compellere hostes, simulque refugium praebere infirmis.

Cernens autem, fratrem suum in vitam non esse rediturum, auxilium tribus suae implorat, quandoquidem ad summas se adactam videbat molestias. — Hi vero versus, quamvis partim iam illustrentur ex iis, quae in initio ex Ibn Chalicano attuli, longe tamen maiorem lucem ex ulteriori Validis historia desiderant. — Sunt autem in iis omnia exquisita, et egregie summum, in quo versabatur mulier, angorem depingunt. Magnam imprimis vim habent comparationes a lunae defectu, solis eclipsi et omnium fortissimi leonis iactura petitae, quibus vates fratris virtutes ac beneficia, sibi nunc defutura, depingit, vs. 23—30.

Heus tu autem, mea tribus! mihi adesto contra lethum et contra vitae aerumnas;
Immo contra ipsam terram meam, quae, mortuo fratre, vehementes motus
minatur!
Heus tu ergo, mea tribus! mihi adesto contra infortunia et interitum;
Contra tempus importunum generosis, molestumque!
Contra lunae, quae utique e mediis astris coelestibus excidit, defectum;
Contra solis (1) subito obortam eclipsin;
Contra leonis, omnium leonum excellentissimi, *iacturam*, dum defertur
Ad tumulum, *ei* excavatum ac lapide tegendum! —

Tanta calamitate ad desperationem adacta soror, ut Deus ipse iram suam convertat in locum, ubi desideratissimus frater iacet, precatur, vs. 31 et 32.

Nonne vero perditurus est Deus viscera terrae, quae occultare audeat
Iuvenem, qui unicuique beneficus erat nihilque denegebat. —

Duo, qui sequuntur versus 33 et 34, ita cum praecedentibus cohaerere existimem, ut poëtria hoc significare voluerit: si tamquam imbellis mortuus esset, non dig-

(1) Sic etiam *Exc. Hamas.* pag 424. vs. 7. « Solis loco ille erat in frigore. »

nus fuisset pro quo iram divinam imprecarer; sed vero, ut terra horrida evadat precari nunc licet, cum non nisi fortiter pugnans ceciderit homo ille beneficus, et postquam hosti etiam gravia intulerat vulnera. Similitudine autem, a camelo desumta, significatur: quod si Iezid vires eius infregerit, hoc certo non fecit, nisi postquam ipse eum infregerat, uti alius quidam poëta in simili negotio dixit (1). Hoc historia etiam comprobat, singularem enim pugnam inierant ac diu vario marte pugnaverant, ita ut ambo aeque viribus deficere inciperent, licet tandem superior evaderet Iezid (2).

Quod si eum perdidit Iezid, filius Mezbedi,
Meminerimus, camelam fatigatam saepe ab alia camela fatigata vulnerari.

Tandem egregium carmini finem imponit mulier, exoptando, ut Deus Validis mortui curam gerat benevolam, seque ipsam hortando, ut ne nimis moleste sortem fortissimi fratris ferat, utpote mortalibus omnibus communem, quandoquidem, ut HORATII verbis (3) utar,

Pallida mors aequo pede pulsat pauperum tabernas
Regumque turres.

Sunt autem illi versus postremi 35 et 36.

Super eo sit salus Dei perpetuo! — Enimvero
Video mortem invadere in generosissimum quemque!

Universum carmen si spectes, multis partibus Davidico est dissimile. Illud enim unice in fratris mortem est compositum; quam ob rem quamvis apud Arabes maxima caritatis indicia in affinitate reperiantur, deëst tamen in illo amicitiae, proprie ita dictae, sensus eximius. Davides vero non tantum amici coniunctissimi memoriam celebrat, sed et regis, a quo mala plurima passus fuerat. Quod frustra in Arabico carmine quaeras. Nec mirum: namque si vel ea, qua Davides, conditione fuisset homo Arabs, vindictae tamen magis, quam generositatis studium in eo exspectandum fuisse videatur. — Praeterea vates Arabs diutius in variis mortui

(1) *Exc. Hamas.* pag. 564. vs. 6.
(2) Vid. HUMBERT, p. 93. annot. Dolendum autem est, eum aliud nihil ex historia ad carminis interpretationem adduxisse.
(3) *Odarum* L. I. 4. 13 sq.

viri laudibus celebrandis versatur; Davides contra, more suo, paucis utitur verbis, sed ad mortuorum virtutes praedicandas aptissimis. Denique vero in Davidis elegia affectuum ratio longe magis ad vivum est expressa, quae huius viri facultas poëtica plane est eximia.

Quamvis autem haec ita sint, plura tamen in utraque elegia habentur, quae recte comparari possint. Sic Saulus et Ionathanes ob eorum fortitudinem leonibus fuisse fortiores dicuntur, vs. 23; pariter Valides omnium leonum excellentissimus nuncupatur, vs. 29. Hic dicitur non occubuisse, nisi postquam hostem defatigaverat, vs. 33 sq.; idem etiam de illis significatur, cum saepius dicantur occubuisse morte heroica, vs. 19, 25 et 27. Saulus frustra unctus fuisse dicitur; Valides frustra fortis, vs. 11 sqq. et 36; utrique enim, quamvis excellentissimo, mors non pepercerat. Saulus laudatur ob beneficia in Israëlitides collata, vs. 24; Valides celebratur utpote maxime liberalis, vs. 17 sq. Davides gravissimo premitur angore ob mortem amici prae amicitiae desiderio; ob fratris obitum dolet soror. Quae tamen propterea fratrem praecipue lugere videtur, quod eius beneficiis auxilioque ipsa esset destituta; Davides vero solam Ionathanis erga se amicitiam cogitat, nulla habita utilitatis suae ratione. Idem suum erga Ionathanem amorem cum ardentissimo mulierum amore comparat, vs. 26; illa cum suavissimo iuventutis fructu, vs. 19. Infelix etiam mulier vult, ut locus, ubi Valides sepultus iacet, tristis evadat, vs. 5 sqq., cumque dolor vehementius etiam incresceret, eidem loco iram imprecatur divinam, vs. 31 sq.; haud aliter Davides montes, ubi ceciderunt heroës, ad maximam devovet sterilitatem, vs. 20. In utraque praeterea elegia frequens est fortitudinis commemoratio; in utraque etiam significatio doloris intimi et acerbissimi, eaque hominibus, qui lugentur, valde honorifica.

§. 3. *De Graecis.*

Superest, ut iam videamus de poëtis Graecis, e quibus duo carmina in medium adducenda esse existimavi. Quamvis enim hanc mihi scripsissem legem, ut ex singulis gentibus unum tantummodo adducerem carmen, ne nimium excresceret commentatio haecce, tamen alterutrum praetermittere nolui, cum utrumque nostram in rem aptissimum videretur; alterum est scolium in Alcmaeonidas, altero depingitur luctus Achillis de Patroclo. Et illud quidem praecipue cum carminis Davidici versu 25. convenit (1); veruntamen malui id ad hunc locum adducere, quam in

(1) Unde etiam LOWTHUS, cui carmen debeo, ad eum versum illud attulit, quem vide pag. 477.

media carminis interpretatione laudare, quandoquidem totum aliquod absolutumque constituit carmen. Posterius autem ex HOMERI *Iliade* petitum est, neque adeo singulare quoddam est carmen, sed pars carminis maioris. At vel sic tamen tanta Achillem inter et Davidem cernitur conditionis similitudo, ut aptissimus videatur hic locus, qui cum Hebraica Elegia comparetur. Quod meum iudicium laetus percepi summi GROTII sententia confirmari (1).

Scolium igitur, quod spectavi, quodque nobis servarunt tum alii, tum ATHENAEUS *Deipnos.* Lib. XV (2), cani solebat in honorem Alcmaeonidarum, qui magnis pollentes divitiis atque a Pisistratidibus in exsilium abire coacti, urbem quandam Lipsydrium in monte Parnethe (3) muniverant, ut ipsi tuti essent ab Athenarum tyrannis, oppressamque hanc urbem ab iis liberare conarentur. At vero a Pisistratidibus obsessi atque devicti occubuerunt. Cum autem non tantum his conatibus, verum etiam incitando, per Pythiam sacerdotem, Lacedaemonios ad opem Atheniensibus ferendam, optime de civibus essent meriti; ne eorum memoria oblivioni traderetur, breve illud, sed pulcerrimum scolium compositum fuit (4):

Αἴ, αἴ, Λειψύδριον προδωσέταιρον,
Οἵους ἄνδρας ἀπώλεσας, μάχεσθαι
Ἀγαθούς τε καὶ εὐπατρίδας,
Οἱ τότ᾽ ἔδειξαν, οἵων
Πατέρων ἔσαν.

Eheu! Eheu! Lipsydrium, amicorum proditrix!
Quales viros perdidisti, in pugna
Fortes genereque nobiles,
Qui tunc ostenderunt, qualium
Essent parentum (5)!

---

(1) Ad nostrae Elegiae vs. 26.

(2) Est ibi Scolium XXII. Tom. V. pag. 545. Ed. SCHWEIGHAEUSERI.

(3) Minus igitur recte LOWTHUS l. l. Lipsydrium de ipso monte accepit.

(4) Vid. HERODOTUS V. 62; SUIDAS et *Etymol. Magnum* in ἐπὶ Λειψυδρίῳ μάχῃ, HESYCHIUS in Λειψύδριον, et SUIDAS atque HESYCHIUS in Λυκόποδες, ad quae loca consulantur interpp.; conferantur MEURSIUS in *Pisistrato*, C. XVI. et SCHWEIGHAEUSERUS in Annotat. ad h. l. Tom. VIII. pag. 281 sq.

(5) In carminis distributione et lectione secutus sum SCHWEIGHAEUSERUM l. l.

Poëta Alcmaeonidas laudat propter fortitudinem, qua, nobili genere nati, patribus se praestiterint dignissimos; atque hactenus scolium cum Davidico carmine convenit, in quo etiam Sauli et Ionathanis laudes in virtute bellica positae extolluntur. Sed vero, quod nostram in rem imprimis valet, prouti Davides monti Gilboae, ubi occubuerant heroës, gravissima mala imprecatur, aeque ac si hunc caedis habeat auctorem; ita etiam poëta Graecus, toto hoc carmine ad arcem illam, in qua fortissimi viri occubuerant, se convertit, eamque caedis eorum turpissimae accusat.

Quam ob rem, quod in Davidici carminis explicatione, ad vs. 21, probare conatus sum, quodque in Arabico carmine, paulo ante commemorato, vs. 5 et 31 sq. cernitur, id in hoc etiam Graeco scolio conspicuum est; poëtas, affectuum vim exprimentes dolorisque vehementia compulsos, nonnunquam in res inanimatas ita esse invectos, ut in eas, tanquam in doloris sui auctores, omnem suam effunderent indignationem.

Carmina, quae huc usque allata sunt, ut et poëtarum cum iis, in quos carmen condiderant, coniunctio, hoc fere unum postulare videbantur, ut, quae in ipsis illis elegiis cum nostra occurrerent sive convenientia seu discrepantia, paucis indicaretur. Sed vero in Achillis ac Davidis conditione fatisque cernitur tanta similitudo, coniuncta illa cum mira quadam dissimilitudine, ut non potuerim, quin primum nonnulla de hac eorum conditione monerem, quo melius utriusque viri in lugendo ratio percipi posset.

Erant et Achilles et Davides omnium longe fortissimi, habebatque uterque amicum dilectissimum, qui ambo magna item eminebant virtute bellica. De Ionathane supra vidimus (1). Patrocli autem in amicum Achillem propensus animus ab antiquis saepius celebratur, unde PHILOSTRATUS dicit, eum χαίρειν, ὅποτε ὁ Ἀχιλλεὺς ἔχαιρε, λυπεῖσθαι δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον (2) *gaudere, cum Achilles gauderet, dolere autem eodem modo.* Quod vero ad eius fortitudinem attinet, hanc luculenter ostendit, cum, amici ndutus armis, ipsum Hectorem in fugam verteret (3). Quare etiam

---

(1) Pag. 24, item 25 sq.
(2) Pag. 736. Quem locum debeo WETSTENIO, in nota ad *Ep. ad Rom.* XII. 15.
(3) *Iliad.* XVI. 654.

Achilles, cum videret, Achivos retroagi, timebat, ne amicus cecidisset (1); namque, hoc vivo, illos repelli non posse credebat (2).

Neque tantum eodem fere amicitiae vinculo gaudebant; sed in eadem etiam tristi conditione versabantur. Uterque insons male a principe suo habebatur; quamquam aliter Achilles, aliter Davides; Achilli enim erepta fuerat puella pulcerrima Briseis, quam in virtutis praemium acceperat (3); quod omnino viro, zelotypia ardentissimo, gravissimum accidere debebat. Quare etiam hac sibi illata ignominia adeo irascitur Achilles, ut neque precibus, neque donis ullis placari possit, sed a pugna recedat, Iovem precetur, ut Achivos perdat, ipsum Agamemnonem interficere cupiat (4), atque amico Phoenici, qui eum hortatur, ut Agamemnonis, ipsum placare conantis, precibus cedat, ita respondeat: » Nequaquam te decet eum amare, ut ne mihi, qui te amo, odio sis; decet enim te, ut mecum eum laedas, qui me laeserit (5)." Ita etiam Patroclus videns, quanto in periculo versentur Achivi, existimansque, magnam esse admonitionis, ab amico profectae, vim (6), Achillem, ut arma induat, movere studet, at frustra; donec tandem Achilles amico arma sua concedat, ut hic pugnam adeat, quam ipse, prae ira in Agamemnonem, constanter recusat (7). — Quantum ab hisce differt Davides? Hic enim, peius etiam a Saulo habitus, gravissimo tamen inimico bis pepercerat, neque amicum ab adversario suo detraxerat, aut hunc ab illo haberi odio cupierat; sed e contrario eum laudat propter amorem, quo semper Saulum fuerat complexus. Scilicet tanta in Davidis animum vis erat religionis, qua divinitus erat institutus.

Ast idem ille Achilles, qui in ira sua terribilis apparet, multo nobis magis placet, ubi conspicitur amicum suum lugens; quo ipso luctu suo est Davidi simillimus. Davides, audito de Sauli ac Ionathanis morte nuncio, vestes dilacerat, atque una cum sociis suis lamentatur, et prae dolore cibum capere per totum diem recusat (8). Pariter Achilles, amicum mortuum intelligens, cinerem in caput effundit, faciem dilacerat, comam e capite extrahit, humi se proiicit, horrendum eiulat, a cibo omni abstinet, puellasque adstantes ad luctum secum significan-

(1) *Iliad.* XVIII. 12.
(2) Uti recte animadvertit HEYNE ad *Homeri* locum modo citatum.
(3) I. 185.
(4) I. 187 sqq.
(5) IX. 609 sqq.
(6) XV. 404.
(7) XVI. 20—66.
(8) 2 Sam. I. 11 sq.

dum movet (1). In quibus fortasse Achillis furor cernitur maior, sed doloris sensus in utroque heroë vehementissimus, eademque desiderii magnitudo.

Sed, age, videamus, quomodo ea ipsa, quae a Davide in carmine expressa sunt, conveniant cum dictis Achillis, ab Homero relatis. Ita, ni fallor, apparebit, doloris sensus, egregie ab Homero descriptos, pariter in Davidis carmine ita expressos esse, ut ipsam referant naturae vim. Simul vero etiam patebit, in heroë Hebraeo fuisse generositatem, qualem in Graeco frustra quaeras.

Etenim videatur quidem facile Achilles generositate etiam sua Davidi comparandus, utpote qui, mortuo amico, profiteatur, cladem, qua fuerat Agamemnon eiusque exercitus affectus, quamque antea a Iove deprecatus fuerat Achilles, sibi gaudio non esse (2), immo vero qui iram suam erga adversarium illum ipse damnet (3), eamque postea se missurum esse, palam affirmet (4). Verum rem si propius intuearis, animadvertes, praecipuam irae mittendae causam Achilli hanc fuisse, ut posset, cum Graecis pugnans, hostes suos clade afficere, atque ita amici sui caedem ulcisci. Qualia cum ne suspicari quidem liceat in Davide, huius ea manet laus propria atque integra, ut una cum amicitiae sensu eximiam expresserit erga adversarium generositatem.

Similior autem uterque est, cum in doloris iacturaeque tum in amicitiae sensibus significandis. Davides summo cum doloris sensu de eo lamentatur, quod arma etiam ipsa perierint amicorum, vs. 27. Pariter de iactura armorum luget Achilles, pulcrorum illorum et adspectu mirabilium, quae Peleo dii dono dedissent (5). Pulcerrime vero etiam Achilles suam erga Patroclum caritatem ita exprimit:

. . . . τὸν ἐγὼ περὶ πάντων τῖον ἑταίρων,
Ἶσον ἐμῇ κεφαλῇ, τὸν ἀπώλεσα . . . . . . (6).

Quem ego prae omnibus honorabam amicis,
Dilectum ut caput ipsum meum, hunc perdidi!

Quid? quod vitam ipsam sibi caram amplius non esse profitetur; quare, » Illico,

---

(1) *Iliad* XVIII. 22 sqq. XIX. 305 sqq. 320.
(2) XVIII. 73. coll. I. 407—412 et 500—531.
(3) XVIII. 107.
(4) XIX 56 sqq.
(5) XVIII. 84.
(6) Ibid. vs. 81.

inquit, moriar, cum amico pereunti non potuerim auxiliari (1)!" Immo amici sui tantum sibi esse dicit desiderium, quantum sibi foret, si patrem amisisset (2). Similiter Davides suum erga amicum amorem cum alio comparat amoris genere, sibi spectatissimo, vs. 26. Similiter etiam hanc felicem ac prope sibi invidendam esse sortem significat, qua amato homini amatus non maneat superstes, vs. 24. Denique, uti Achilles amicum dicit fuisse ad instar capitis sui sibi dilectum; ita Davides suavissimo amicum nomine allocutus: »Angor, inquit, de te, frater mi Ionathanes!"

Sic igitur, ut in hoc desinam, iure affirmare mihi videor, eximium esse Davidis carmen et plane admirabile, utpote quod, sive per se spectetur, sive cum aliorum poëtarum carminibus comparetur, dictione, naturae conveniente, eademque et gravissima et elegantissima esse appareat: quod vero etiam sensuum, in eo expressorum, tanta est praestantia, ut, si amicitiam spectes, cum carmine componi possit in Graecia confecto, in qua fuit omni aevo amicitia celebratissima; sin alios consideres animi affectus, excellentissimum praeterea praebeat neque facile aequiparandum generositatis exemplum.

Nullus itaque dubito, quin de Davidica hacce elegia merito asseri possit, quod ad propriam verae poëseos indolem designandam monuit HORATIUS (3):

. . . . volet haec sub luce videri,
Iudicis argutum quae non reformidat acumen.

Unde etiam hoc dici meretur de nostro carmine, quod universe de germana illa poësi idem dixit poëta, quodque symboli loco attuli:

. . . . haec decies repetita placebit.

---

(1) *Iliad.* XVIII. 98.
(2) XIX. 321 sq.
(3) *Epist. ad Pison.* vs. 363 sqq.



C O R R I G E N D A.

Pag. 1. lin. 6. invenili *lege* iuvenili

— 7. in margine superiori, AB ORDINE THEOLOGICO *lege* THEOLOGICAM.

— 10. lin. 1, 2. BREITIGERUS *lege* BREITINGERUS

— 20.	— 7.	Aquila en	—	Aquila et
— 32.	— 17.	viri doctis	—	viri docti
— 40.	— 14, 15.	contibantur	—	continebantur
— 44.	— 7.	volocitate	—	velocitate
— 45.	— 4.	Omnia enim, si	—	Omnia enim si
— 47.	— 6.	occidere	—	accidere
— 47.	— 11.	*platea*,	—	*platea* (3),
— 57.	— 7.	ignomina	—	ignominia

PETRI BOSSCHA

ORATIO,

DE MUTATO HOC ET SUPERIORE SECULO HISTORIAE STUDIO,

HABITA

DAVENTRIAE

d. VIII Novembris CIƆIƆCCCXXV.

CUM MAGISTRATU ACADEMICO ABIRET.

URBIS MAGISTRATUS, PRAESES CETERIQUE DECURIONES, QUOS INTER ILLUSTRIS HUIUS ATHENAEI CURATORES, VIRI AMPLISSIMI, GRAVISSIMI!

IUSTITIAE VINDICES, PRAETOR, IUDICES SEVERISSIMI, INTEGERRIMI!

QUIQUE HIS COLLEGIIS AB ACTIS ESTIS, VIRI PRUDENTISSIMI!

CLARISSIMI OMNIUM DISCIPLINARUM PROFESSORES, COLLEGAE AMICISSIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES DISERTISSIMI, VENERANDI!

ARTIUM AC DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

IUVENTUTIS ACADEMICAE SUAVISSIMA COHORS, COMMILITONES CARISSIMI!

VOSQUE OMNES CUIUSVIS ORDINIS, LOCI AC DIGNITATIS, QUI AD HUNC ACTUM CONCELEBRANDUM HUC CONVENISTIS, CIVES, HOSPITES, AUDITORES HUMANISSIMI!



Vivimus ea tempora, de quibus quam difficile ſit dicere, meliorane paritura, an vero imbecillitatis humanae nova ac deploranda documenta praebitura ſint, oſtendunt tam multae inſignium virorum disquiſitiones, quorum alii in illam

ſpem, alii in hunc metum ſunt propenſiores; atque hi imminentia pericula rerum veterum revocatione avertere, illi novarum aut vindicatione aut inſtitutione ſpes ſuas corroborare cupiunt. Noſtrum non est tantas lites componere: ſed id mihi obſervaſſe videor; nimio partium ſtudio ab utrisque peccari, et illum omnium ſeculorum ſapientisſimum magiſtrum, Tempus dico, frequenter nimis negligi, vel potius raro audiri, qui ſuo ipse exemplo declarat, non uno velut ictu vetera eſſe immutanda, ſed lento gradu progrediendum, ita ut, dum de innovandis rebus meditari etiam videatur, iam in novando ſit occupatus. Quum vero mutatarum ſeculo proxime elapſo rerum cauſae exſtiterint cum aliae, tum etiam inprimis mutatum prorſus hiſtoriae ſtudium, idque ab aliis extolli ſummis laudibus, ab aliis contra gravisſimis peti conviciis videamus, mihi autem hodie Magiſtratum Academicum, quo Amplisſimorum Curatorum honorifico decreto per ſex annos continuos functus ſum, ſolemni ritu depoſituro publice coram erudita concione verba ſint facienda, neque a perſona mea, neque a munere meo, quod et hiſtoriae ſtudium complectitur, alienum ducebam, ſi hac occaſione dicerem: *De mutato hoc et ſuperiore ſeculo hiſtoriae ſtudio.* Utinam vero ita mihi dicere contingat, ut nec veſtra, A. A. H. H! patientia abuſus videar, nec pro argumenti gravitate nimis tenuiter dixisſe iudicer: quod facere dum conor, vos auribus mihi, atque animis favete.

Innata hominibus est cupiditas ſciendi, quid ante ſe fuerit et acciderit: hinc patrum narrationes nepotibus traditae: hinc facta maiorum carminibus celebrata; hinc tandem nata hiſtoria. Quum vero vetuſtae illae traditiones arctisſimis finibus comprehenderentur, ita ut cuiusque familiae, cuiusque gentis aut ſtirpis fata tantum attingerent; quumque hominum proprium ſit, ſua laudare, ſuorum res geſtas aliorum ſaepe detrimento ad coelum extollere; hinc factum est, ut veteres quoque hiſtorici in eo fere ſint occupati, ut populi ſui gloriam unice ſpectent, ad eam ſingula referant, et velut poëtae epici popularium animos depingenda rerum geſtarum magnificentia incendere conentur et excitare. Fuerunt quidem apud ipsos veteres nonnulli, quos inter principem locum obtinent THUCYDIDES, POLYBIUS et PLUTARCHUS, qui ulterius oculorum aciem circumvertentes totam populorum complexionem uno intuitu comprehenderent, rerum cauſas et effectus indagarent, quibus respublicae ſtabant aut evertebantur: ſed praeterquam quod, ut omnes veteres, magis ad civitatum,

quam ad hominum sortem attenderint, id ipsum, quod paucos modo imitatores habuerint, et quod nec ipse CICERO in libris nuper inventis de Republica Romanae reip. terminos egressus sit, satis docet, Graecos et Romanos nondum eo pervenisse, ut ex historia vitae praecepta et publicae et privatae perciperent ea, quibus nunc historia commendatur, et quae facere debent, ut totius generis humani ad humanitatem progressus considerentur, civitatum status examinetur, ut obscura illustrentur, vitiosa emendentur, falsa tollantur, verbo, ut in dies magis progrediamur ad perfectionem.

Secuta sunt secula media, quibus depravati cultarum gentium mores et luxus enormis cum rudium populorum barbarie mirum in modum se miscuerunt. Qui tum ad condendam historiam sese conferebant, de veritate diligenter indaganda parum solliciti, neque intelligentes, quorsum tendere debeat historiae studium, fabulosas populorum origines contexebant, et sicut aliorum hominum parva ratio habebatur, ita regum praesertim nomina, stemmata, et generationum successiones, bella gesta, proelia edita, urbes captas, provincias sub dominationem redactas, foedera facta, scripto mandabant, aliquando etiam privatam principum vitam, oblectamenta aulica, dicta festiva, et alia minoris momenti negotia conscribebant: de causis vero et effectibus rerum, quam vim aut in respublicas universas, aut in civium singulorum sortem haberent mutationes vel fortuito natae, vel consulto introductae, qui status esset artium ac doctrinarum, et quomodo mobilis et inquieta mens hominum cogitationes suas in omnia nota atque ignota dimittat, utque hinc versus meliorem rerum statum perpetuo tendat genus humanum, quaeque adeo esset universa hominum conditio, de his omnibus ne cogitabant quidem.

Has tenebras dispulit tandem melior lux, quam accenderunt postliminio reducta literarum studia. Coeperunt historici se efformare ad Romana maxime exempla, et aliquamdiu iisdem finibus constitere. Neque id mirum sane: collocati enim medii inter praeteritam barbariem et veterum elegantiam, non potuerunt non horum praestantiam suspicere, rerum narratarum admirari magnificentiam, capi suavitate narrandi, quae mirifica delectatione animum afficit, movet, rapit. Sponte igitur ducebantur ad tantorum exemplorum imitationem, quae quum attingere, nedum superare, frustra conarentur, diu in hoc curriculo desudarunt, neque in alium tramitem oculos converterunt, ita tamen ut immortalia ingenii

et induſtriae monumenta hoc in genere nobis reliquerint LAUR. VALLA, NICOL. MACCHIAVELLIUS, PAULUS IOVIUS, FRANC. GUICCIARDINIUS inter Italos, MENDOZA et MARIANA inter Hiſpanos, THUANUS inter Gallos, SLEIDANUS inter Germanos, HOOFTIUS, PONTANUS, GROTIUS inter noſtrates.

Tandem vero exculta artibus et doctrinis magis atque magis ingenia acutius naturam hiſtoriae perſpicere coeperunt. Videbant populorum veterum vanitatem in inmenſum ſaepius auxiſſe res geſtas; alias narrationes de iisdem rebus, aut aliis narrationibus eſſe oppoſitas, aut naturali rerum curſui contrarias; multum favori, multum odio, multum timori tributum: hiſtoriam adeo ſaepe dubiam reddi et incertam, multisque in illa opus eſſe cautionibus, multo examine, iudicio multo. Primum ad turbatam miſere chronologiae rationem animum applicuit, et ad fixas legum regulas emendavit conſtituitque ſtupendi vir ingenii IOSEPHUS SCALIGER. Mox huius veſtigiis clariorem hiſtorico ſtudio facem admoverunt cum alii, tum immortalia patriae noſtrae decora PERIZONIUS, OUDENDORPIUS, BEAUFORTIUS, PAVIUS, WESSELINGIUS: et ex eo tempore celebrata iſta vetera Aſſyriorum, Babyloniorum, Aegyptiorum regna ad magis aequam normam cenſeri coeperunt: diſſipata est Romanorum ſuperſtitio et credulitas, quod ad eorum originem et primorum temporum magnificentiam attinet: quin et decantata iſta Graecorum facinora aliquantum ſplendoris amiſerunt; et ſic via ſtrata est ad eam hiſtoriae cognitionem, quae vere demum reipublicae ac generi humano fructus adfert uberrimos. Quae igitur huc usque *artibus* adnumerari ſolebat hiſtoria, ad altiorem *disciplinarum* ſedem tranſiit.

Nimirum quum iam ipſa populorum ingenia ignaviae clauſtris erumperent, quibus vincta diu torpuerant, quum iam praeteritorum ſeculorum annales attentius evolvi, rerum humanarum curſus acutius intelligi, cauſae et effectus diligentius indagari, et cuiusque hominis praeſtantia melius aeſtimari coepiſſent, arctius etiam ſe philoſophia cum hiſtoria coniunxit. Tum quid quisque populus proprii habeat in inſtitutis, moribus, legislatione, quid faciat ad populorum et civium ſalutem et gloriam, quid bonum aut pravum principem efficiat; quibus legibus concilientur et mutuo coniungantur principes et cives;

quae subditorum, quae imperantium sint officia et iura, accuratius examinari coepit. Nec hoc tantum; sed latius sese extenderunt historici studii fines, universum iam complectentes populorum ambitum, ut iam consideraretur, quo omnes vinculo colligentur; quid cuique quisque debeat, qua ratione singulorum vires sint adaequandae ac temperandae, ne alter alterum opprimat; ut detegerentur vitia et errores, quibus omnium saluti aut insidiae struantur, aut inconsulto noceatur. Quin non populorum duntaxat civitatumque naturam ac mutuam copulationem incolumitatemque, sed totius generis humani statum historia duce contemplari coeperunt, et quaerere, an continuo ad perfectionem procedant homines; quinam artium ac doctrinarum progressus fuerint per longum istum seculorum decursum; quid profuerint, quid nocuerint isti perfectioni instituta civilia; quid retinendum, quid mutandum, quid resecandum; quaeve imperantium virtutes humanitatis pomoeria protulerint, quae vitia progressionem retardaverint. Hanc viam prius ingressi sunt MONTESQUIVIUS, GIBBONUS, HUMIUS, ROBERTSONUS, quibus deinceps successere HERDERUS, MULLERUS, HEYNIUS, HEERENIUS, EICHHORNIUS, LAGERTELIUS, quos honoris causa nominasse suffecerit, et quorum vestigiis non pauci hodie insistunt.

At haec tamen historiam tractandi ratio suos nacta est adversarios: non quod laudatos illos viros aliquis reprehenderit, tamquam non pulcre de historia meruissent; eo enim temeritatis ac stultitiae nemo sanus procederet; sed omnem istam rationem philosophandi universe periculosam esse multi clamant, quod per illam saepenumero et perversae de rebus opiniones callide a malevolis in vulgus spargantur, et a minus acutis temere atque inconsulto sententiae ferantur, quae civitatibus gravissimas plagas intulere, et nunc quoque saluti publicae ruinam minitantur. Unde istae querelae? anne illae adeo vanae sunt et inanes, ut seria refutatione haud indigeant? ut sibilis tantum excipiendi sint, qui eas modo flebiliter expectorant, modo gravissimarum commemoratione calamitatum paventibus cordibus ingerunt? Profecto negari nequit, plerorumque querelas haud ex puris fontibus originem ducere, et eo tendere, ut depulsa tenebrarum nubila mentibus hominum denuo offundantur, ut deperdita paucorum priva iura postliminio reducantur, et ignorantiae caligine vindicentur: at simul tamen mihi persuadere non possum, adeo nihil istos dicere, adeo

ſana mente deſtitutas esſe eorum omnium querelas, ut ad dementium coetus ablegandi ſint, aut clamoſae linguae conviciis proſcindendi. Certe ſic exiſtimo, nullam esſe cauſam tam bonam, quam non utile aliquando ſit tueri contra adverſarios, non vituperando et clamitando, ſed modeſta disputatione, quae ne refugiat quidem agnoſcere, ſi quid recte ab aliis reprehendatur; probet etiam, ſi quid bene aut fiat ab illis, aut dicatur. Nam hoc demum modo veritas elicietur, male fidis et dubitantibus perſuadebitur, ad perfectionem progrediemur; cum alioquin animis exacerbatis arma armis oppoſita pro fortunae viciſsitudine victoriam diu reddant dubiam.

Ne tamen a me iam exſpectetis, A. A. H. H! ut litigioſa apud vos utar oratione, qua nonnullorum opiniones diluere coner: loquor enim ad tales, quibus perſuaſisſimum esſe certo ſcio, philoſophico hiſtoriae ſtudio inprimis deberi eam ſentiendi dicendique libertatem, qua nos Belgae fruimur, et quae facit, ut non modo regnum habeamus aequisſimis firmisque temperatum legibus, ſed ut noſtro etiam exemplo ſuſtineamus ſpem aliorum, qui quae contemplatione rerum praeteritarum in melius apud ſe mutata esſe gaviſi fuerant, disrupta iam vident et vituperata neglectu hiſtoriae, quae ſola ſoſpitatrix est et vindex libertatis. Exponam igitur potius, quosnam fructus protulerit mutatum ſeculo ſuperiore hiſtoriae ſtudium, ut deinde conſideremus, quid inde ſperare poſteris liceat.

Quodſi iam memoria recolimus hominum regnorumque ſtatum, qualis in Europa fuerit ſuperioribus ſeculis, videmus, post CAROLUM V multas magnasque quidem mutationes esſe factas in univerſa hominum conditione; ſervitutis reliquias penitus fere ſublatas; regiminis formam, antea incertam, inque multas partes diſtractam, magis fixam et concretam, unde ſingulorum iura circumſcripta magisque aequabilia; reges adeo minus ex arbitrio agentes, et in populorum ſalute regni firmitatem quaerentes: at vero ſicut nulla res magna protinus perficitur, ita quoque ſuperiorum temporum barbaries non uno ictu depelli potuit. Multa remanſerant priorum inſtitutionum veſtigia: ſumma poteſtas nullis fere, niſi fortuitis legibus circumſcribebatur; feudorum iura intacta ſtabant, et diverſos civium ordines, nobilium, ſacerdotum, oppidanorum, ita a ſe invicem diſtinctos tenebant, ut nullo paene nexu inter ſe coniungerentur, et ne iisdem quidem legibus esſent ſubiecti; unde iurisdictio dubia ſaepe reddebatur, et e po-

tentiorum arbitrio pendebat; quin et servitutis pristinae odiosa quaedam superant signa in multorum dominorum iuribus, in bonorum possessione; ne nunc loquar de sacerdotum superbia, de nobilium arrogantia, et quae inde sequebantur factiones, quae toties regna turbarunt; nec regna tantum, sed et liberas respublicas: nam nec illas quidem his malis immunes fuisse utraque patriae historiae pagina docet.

Quo magis autem literae excolebantur, et monasteriorum pulvere ac sordibus purgabantur immortalia veterum scripta, ita ut iam non solum in eleganti dictione explicanda, aut in Ciceronianis vocabulis ponderandis eruditi occuparentur, sed altiorem ex his scriptis sensum depromerent; PLATONIS, XENOPHONTIS, DEMOSTHENIS, CICERONIS non minus, quam historicorum libros evolverent ad naturam et indolem veterum populorum intelligendam explicandamque, eo magis etiam comparatio institui debuit praesentis temporis cum superiore. Hinc sponte recentiorum populorum historia acutiores nacta est cultores, qui, non contenti nudis rerum gestarum narrationibus, philosophiae lumine illustrabant maiorum instituta eorumque originem; qui docebant, qua olim ratione ex colluvie diversarum stirpium Germanicarum hodierni Europae populi coaluissent; quae iura sibi in victos arrogassent victores, unde natae regiminum, quae obtinebant, formae, ac diversae diversorum ordinum conditiones, et quae alia faciant ad variarum status publici partium intelligentiam. Quid hoc aliud efficere debuit, quam ut melius suorum iurium naturalium admonerentur homines, ut detegerentur abusus, qui ubique in administrationem publicam irrepserant; ut repagula opponerentur crescenti in dies magis nonnullorum potentiae ac superbiae; ut iuris aequitas non ex arbitrio paucorum, sed ex immutabili naturae lege aestimaretur; verbo, ut intelligeretur, quis esse finis imperii debeat, neque illum tam pendere ex eius forma aut regia, aut populari, quam ex sapienti potestatum temperamento.

Hos fructus quum afferret philosophicum historiae studium, profecto mirandum non est, populos meliora edoctos prae glandibus cultiora Cereris munera expetivisse, quae iam nunc fortasse plures nacti forent, nisi indomita flagrantes cupiditate arborem evulsissent ad percipiendos fructus, nondum satis maturos, quorum suavi sapore iam non ante fruentur, quam surculum novum nova cura aluerint, foverint, defenderint. Sicut enim in multis aliis rebus fieri so-

let, ut homines alicuius rei praeftantia capti ftatim eius poſſidendae ftudio ferantur, nec ſatis expendant, an ſibi aeque ac reliquis conveniat, ita quoque multi hiſtoricam iſtam philoſophiam tam caeco amore complexi ſunt, ut, nulla ratione habita neque temporum, neque populorum, praecepta illa, ceteroquin praeclara, homines natura aequales, reges populorum cauſa creatos, atque adeo ab his auctoritatem naotos, civesque adeo univerſos iisdem legibus iudicandos eſſe, et quae alia huiusmodi ſunt, inconſiderate in vulgus ſparſerint, et tumultus ſuscitaverint, qui tot tantasque calamitates in genus humanum profuderunt. Hinc ſyſtema illud feudale patres noſtri non exoletum viderunt, ſed de ſede ſua repente humi decusſum, unde caput ſemper extollere conatur, et perpetuum movet bellum, quod quemnam exitum ſit habiturum noſtrae aetatis homines non videbunt.

Neque tamen hinc quis exiſtimet, plus nocuiſſe, quam profuiſſe philoſophicum hiſtoriae ſtudium, et accedendum eſſe eorum opinioni, qui ſtatuant, valde illud periculoſum eſſe. Nam ſicut iam hiſtoria ſapientiores docuit, cum ipsos homines, tum etiam regna ad perfectionem perpetuo progredi, ita quoque fruſtra laborant adverſarii revocatione veterum et morum et inſtitutionum animos reddere quietos, et avertere populos a novis molitionibus, quibus votorum compotes fiant: quaſi vero alicuius rei inſtitutio pedibus manibusque, quod dicitur, tenenda eſſet et faceret ad publicam utilitatem, iſtam unam ob cauſam, quod ſic maiores fecerunt, et comprobarunt, ac plerumque quidem comprobarunt non rogati, ſed ipso facto, naturali rerum curſu; niſi hoc ſimul conſtet, nihil mutatum eſſe in rebus, temporibus, perſonis, opinionibus: quaſi vero iisdem ſemper terminis gentes circumſcribendae eſſent, neque intereſſet inter conditionem populorum, ex feritate vitae erraticae vix evadentium, et ſtatum civilem, aequalitate iurium ac legum temperamento moderandum. Sit igitur, quod ſua mala pro tempore habuerit philoſophicum illud ſtudium, quia nimis temere illo abuſi ſunt viri nonnulli, ingenio magis quam prudentia pollentes, plura tamen inde prognata ſunt bona, quibus iidem iſti fruuntur vel maxime, qui omni ope nituntur, ut nebulis involvant lumen undequaque relucens: ſed nitantur licebit, hoc ipso certamine ſplendidius in omnes partes iubar ſuum proiiciet, populosque ad perfectionem continuo procedentes clara radiorum luce circumdabit.

At vero hoc ut eveniat, cavendum est, ne temere abutamur his, quibus hiſto-

riae ſtudium abundat, bonis. Paulo ante iam reprehendimus inconſideratam quorumdam imprudentiam, quos fertili praeditos ingenio, quae de hominum ac populorum aequalitate et iuribus naturalibus forte ſommiaverant, tumultuario hiſtoriae ſtudio adſeverare firmisſime haud pudebat, quippe qui ex uno alterove facto de regnis regnorumque formis, de populis, de religione, verbo, de omnibus rebus univerſas ſententias pronunciabant, ipsum vero rerum curſum et univerſam rationem, ex accurata demum hiſtoriae ſcientia cognoscendam, non intelligebant. Quo maior autem erat auctoritas iſtorum coryphaeorum, eo plures habuerunt imitatores, qui, quo longius ab illis ingenio diſtabant, eo maiori audacia involarunt in hanc posſesſionem, et de hiſtoria ita locuti ſunt, ut dubites, quid magis in iis mireris, aut iudicii imbecillitatem, aut oris impudentiam. Sed ut plerumque fieri videmus, ſic hac quoque in re ipsum malum attulit ſuum remedium. Sapientiores iam nunc intelligunt, omnem philoſophiam in hiſtoria vanam esſe et periculoſam ſine accurata factorum cognitione. Quae firmiter a multis pronunciata fuerant de hominum, qui in hiſtoria illuſtrem obtinent locum, indole, ingenio, moribus, factis, de cauſis et effectibus rerum antea geſtarum, de rerum publicarum regimine, de iurium aequalitate, de bonorum posſesſione, ea omnia accuratius ad hiſtoricae veritatis normam examinarunt eruditi, et hinc iam hiſtoriae ſtudium noſtro tempore medium tenet curſum inter ſterilem rerum geſtarum ſcientiam, et infrenatam omnia miscendi innovandique libidinem.

Neque tamen haec ita dicta ſint, tamquam nullis iam erroribus obnoxium putaremus, qui hodie obtinet, hiſtoriam tractandi docendique modum. Fieri enim vix aliter potuit, quin prior illa licentia, quam ſibi multi ſumſerunt, ut imperioſas ſuas opiniones falſo hiſtoriae fuco oblinerent, altas egerit radices in multorum hominum animis, eoque altiores, quo proxime praeterita aetas plures opiniones ſibi oppoſitas de publicis rebus in lucem protraxerit, et plures ad ſcribendum impulerit; unde illa ſummi WYTTENBACHII vox: „Nunc ſunt, qui „in hiſtoria ſcribenda nil niſi disſerant ac ratiocinentur, et rerum geſtarum „ignorantiam philoſophando disſimulent" (*) Et illos quidem, qui nihil aliud agunt, quam ut, pravis animi motibus ducti, ſua commenta indoctae multitudini

(*) Philom. L. II. p. 146.

obtrudant, nihil iam moramur: at ſunt inter eos; qui haud infimum in hiſtoria locum occupant, bene multi, qui, aut nimio animi ardore prorepti, vitia et virtutes haud iuſta ſemper moderatione ponderantes pro ſuo ingenio augeant vel minuant, aut, ſibi nimium placentes in aliqua ſententia propugnanda, cauſas et effectus, ex fortuito rerum concurſu et eventu natos, in ſuam rem torqueant. Est ſane difficile priorum facta non ex eventu diiudicare, nos enim poſteri multarum rerum ſcientiam, ſine qua illi egerunt, exuere non poſſumus. Opiniones tamen noſtras in anteriora transferre tempora ſimul et iniquiſſimum est et periculoſiſſimum: nam ſic ſaepe conſilia hominibus tribuimus, quae numquam habuerunt, et, ſi bene rem conſideremus, habere non potuerunt: hinc non raro laudibus extolluntur viri, quorum res geſtae facto, non conſilio, bonum habuere exitum; contra vero vituperio exponuntur, aut oblivioni traduntur, quorum optima conſilia vel malum vel nullum ſucceſſum habuerunt. Hoc autem qui faciunt, videant, ne idem in ſe ipsi poſterorum provocent iudicium.

Aliud quoque huic proximum est vitium, quo in contemplanda aut univerſi generis humani, aut ſingularum gentium hiſtoria multi certum aliquem tenorem ac finem videre volunt, atque adeo tamquam ex lege quadam ante conſtituta, et deſcriptione ante facta, populos conſiderant, et ſecundum hanc legem mores et inſtituta diiudicant. Quum vero cuique fere manifeſtum eſſe debeat, ſicut in hominum privatorum negotiis, ita quoque in publicis non tam reſpici ſolere, quod in longinquo poſitum, quam quod in praeſens commodum ad manus est, populos adeo non ad propoſitum aliquem finem progredi, ſed ipsarum rerum curſu ferri ad finem incertum, etiamſi nos poſteri ex illo curſu, ex eventu tenorem ac finem videre nobis videamur, vix crederes, iſtud vitium in ſagaciores cadere poſſe. Et tamen haud raro obſervare licet, viros etiam acutos, cauſas et effectus conſiderantes, illud agere, ut nobis oſtendant, qua ratione haec vel illa inſtituta contulerint ad eventus remotiſſimos, atque ſecundum hanc normam ipsa illa inſtituta diiudicent. Vultisne exemplum? Iura urbibus conceſſa fontes fuerunt, unde e feudorum vinculis Europae populi evaſerunt, unde paulatim moderatior regiminis forma originem duxit, arbitrariae iurisdictioni termini ſunt poſiti, unde ſtatus omnis civilis aequabiliter omnibus partibus est temperatus. Profecto ſi quis ab initio haec commoda populis impertiri voluiſſet, meliorem excogitare rationem non potuiſſet. At vero in concedendis his

iuribus longe melior via patuisset, qua multo citius aequabiliusque bona haec nacti fuissent homines, quum iam a comitibus, a nobilibus ad ipsas urbes translata sint feudalia iura, quorum onus non nisi post longum tempus populi excutere potuerunt, et quorum nunc etiam in nonnullarum familiarum prae reliquis auctoritate supersunt vestigia. Quid igitur? Culpantur reges et principes, quod sic meliori suorum conditioni obstiterint, quod non brevissimam eamque optimam viam elegerint. Quasi vero praebendis his iuribus propositum ab initio fuerit principibus populorum conditionem in melius mutare, ac non potius sibi ipsis prospicere, ut crescenti comitum et ducum potentiae obices opponerent; quique inde natus est eventus consilio hominum sit tribuendus, ac non potius fortunae seu potius sapienti Providentiae moderamini debeatur: ne nunc dicam, hanc libertatis irrogationem, per gradus factam, longe meliorem fuisse, quam si repente e servitute in libertatem prosiluissent homines, quod quam periculosum sit, non necesse habeo, ut coram vobis, A. A! ostendam.

Iam illud, quod ex nonnullis maiorum institutis quaedam bona profluxerint, quibus hodie meliori statu civitatum fruimur, effecisse videtur, ut fuerint, qui secula ista media, quae ob barbariem, ignorantiam, superstitionem, principum tyrannidem ac populorum servitutem tam male apud omnes audiebant, aliquanto lenius et rectius iudicarent.

Sed hanc iudicii novitatem cupide arripientes alii medium aevum iam nobis depingere coeperunt tamquam felicia simplicitatis et innocentiae tempora, ac brevi nobis persuadere volent, ista ducum et comitum innumerabilium singula iura atque imperia, istam hierarchiam, istam nobilium superbiam, istam rusticorum servitutem, ista iudicia Dei longe praeferenda esse hodierno rerum statui. Eo nimirum multos saepe abripit novitatis studium, ut, neglectis puris historiae fontibus, et corrasis undique omnigenorum scriptorum locis male cohaerentibus; ipsa facta contorqueant ad propagandam opinionem aliquam antea conceptam, quam sinu fovent, alunt, et, ut filiam adamatam reliquis praestantiorem, omni labe vacuam existimant.

Meliorem scilicet istam historici studii rationem, cuius tanta bonitas brevi intelligebatur, non arctis finibus comprehensam mansisse, sed manasse latius, et tamquam coelo delapsam in domos inque scholas introductam fuisse, ut de vita et moribus, rebusque bonis ac malis, publicis ac privatis, per illud, quod

factum est, quaereretur, non est fane quod miremur. Hinc igitur incredibili celeritate ingens exortus est fcriptorum numerus, qui, veterem et novam hiftoriam pro fuo quisque ingenio tractantes, novas prorfus easque faepe diverfisfimas proferrent fententias. Et fic quidem examinando, illuftrando, praeclara lux accenfa est rebus antea dubiis, obfcuris aut latentibus: verum, quum non magnus fit illorum virorum proventus, qui, infignibus animi dotibus praediti, laboriofam eruditionem cum ingenii fubtilitate et perfpicacia coniungant, haud raro accidit, ut vel acutisfimos viros iucunde et fubtiliter de hiftoria philofophantes audiamus, fed ex ipsa hiftoria facile refutandos, vel hiftoriae peritisfimos parum acute philofophantes. Quodfi fe conferant ad rerum origines indagandas, quomodo ex prifca feritate ad hunc cultum pervenerint homines, qui gradus fuerint ab errabunda vita ad focietatis commoda, quae primarum civitatum fundamenta, quae formae imperii, qui nexus, quae fingulorum iura, amplus tum aperitur contemplationis campus, per quem tanto liberius licet vagari, quanto denfiora funt nubila, quibus finientes obteguntur. Saepe nunc ille locus tractatur de origine imperiorum, et unde diverfa ifta regimina exftiterint. Hos fi audias, ex antiquisfima illa familiarum forma, ex regimine patriarchali paulatim excrevit imperium monarchicum, quod primariae cuiusdam familiae princeps in alias fibi familias poteftatem arrogaret, quae deinceps, dilatatis gentium et civitatum finibus, in tyrannidem degeneravit. Illis vero fi fidem habeas, ex eadem illa familiarum ratione, ex eodem illo patriarchatu fluxit popularis regiminis forma, quod fic diverfarum ftirpium principes, eadem poteftate muniti, quum iam in focietatem coïrent, foedera firmaverint, quibus fumma poteftas magis aequabiliter inter omnes diftribueretur. Hoc igitur modo ex iisdem fontibus abfolutam poteftatem reges Asfyriorum, et moderatam auctoritatem, fenatorio ordine circumfcriptam, reges Romanorum, popularem vero regiminis formam civitates Phoeniciae et Graecae habuerunt. Videtis A. A. H. H!, quam incerta et ambigua fit ifta philofophandi ratio, fi femel in ipsa hiftoria hiftoriam tamquam ducem deferamus. Quo audacius autem ifti adfirmant, eo maiorem facere folent multitudini fidem, efficiuntque, ut multi hiftoria abutantur ad quasvis opiniones pervulgandas.


Hoc autem malum, quo perniciofius publicae faluti nullum esfe potest, in dies magis proferpere videmus, et ubique homines, qui vix fummis labiis hi-

ftoriam attigerunt, disputare audimus de gravisfimis rerum publicarum momentis, ex folo accurato hiftoriae ftudio cognoscendis iudicandisque, cuius veritatis infigne nobis documentum in MONTESQUIVIO, viro acutisfimo, dedit ERNESTIUS (*), qui vel in celebratisfimo illo opere *de caufis legum* plures notavit errores, ex minus accurata hiftoriae fcientia oriundos. Habet quidem et habebit hoc incommodum compenfationem in limatiore fapientium virorum iudicio, qui, falfa et temere adferta hiftoriae luce disfipantes, prohibebunt, ne fic plus noceat, quam profit ifta iudicandi libertas, quam nimis faepe in vanas exclamationum ineptias deflectere nemo prudens rerum iudex negabit; fed nullum efficacius huic malo remedium inveniri potest, quam in prudenti ftudiofae iuventutis inftitutione, et in hiftoria caute docenda.

Ante omnia igitur in Academiis difcant adolescentes, praeftantisfimum esfe hiftoriae ftudium, et nulli non afferre fructus uberrimos: deinde vero, qua ratione hiftoriae cognitio fit comparanda: fibi perfuadeant, nifi fundamenta fideliter iecerint, quidquid fuperftruatur, corruere, adeoque primum fcientiam rerum, ut geftae funt, hauriendam esfe non ex compendiis, non ex philofophicis contemplationibus, fed ex puris fontibus: tum difcant, quinam illi fontes fint, ut, quidquid audiverint aut legerint, examinare ipsi et comparare posfint: tandem admoneantur, qua ratione in hiftoria fit philofophandum, et quod ad res politicas, et quod ad omnem humanitatem attinet. Quae novisfime praeterierunt tempora, magnam in moribus, opinionibus, inftitutis mutationem procrearunt: nec mirum, fi ipsa quoque hiftoriam docendi ratio emendata fit. Sed iftud emendandi ftudium nonnullos in Germania maxime abripuit, ut, quae hiftoria duce nova et praeclara inventa fuerunt, adolescentibus exponant, ipsam vero hiftoriam non nifi obiter attingant, et quatenus faciat ad aliquam fententiam confirmandam. Hos autem fi audias, quid, inquiunt, res geftas enarrabo, quae ex libris editis, ex ipsis hiftoricis, ex compendiis cognosci posfunt? Ita vero qui loquuntur, vereor, ut prudenter agant. Sint enim aliqui inter magnum illum tironum numerum, qui naturali impetu animi in ftudia incumbant, et fcientiae cupiditate impulfi fitim iftam inexplebilem ipsi fcrutando et laborando explere conentur, quibus fane non opus est lento

(*) In Opusc. Philol. et Crit. p. 52.

illo ad disciplinarum adyta gressu: at maxima tamen illorum pars perpetuo ductu indigent, ac, nisi illis singula fere digito ostendas, facile sibi persuadent, se iam multum in doctrinarum studio profecisse. Nam, ut ERNESTII verbis utar, „maxima pars hominum aliena est ab illa diligentia, fugitque cogitandi et quaerendi molestiam, neque subire sustinet exercendi laborem, sine quo accurata et iusta verborum ac rerum scientia comparari nullo modo potest. Plerique, mediocri doctrina contenti, satius ducunt super rebus leviter et male cognitis fortiter disputare, et philosophando ingenii laudem consectari. In quo non cogitant, omnem illam disputandi contentionem frustra sumi, si incertum aut falsum sit id, a quo disputatio ducatur" (*). Quodsi igitur tam tarda sint ad laborem ingenia, tu vero in tractanda historia ipsam historiam, ipsas res gestas praetermittas, earumque praesumas cognitionem, quid iam amplius desudabunt in difficillimo indagandi quaerendique studio, quum planam videant et facilem philosophandi viam? Facilem? inquis: Sic scilicet adolescentibus videtur, quorum nondum satis corroboratae sunt mentes, et antea docendae, quid tandem sit philosophia: dumque ita philosophicum historiae studium promovere putas, in eo es occupatus, ut de sede sua philosophiam deiicias, quae si forte in quibusdam caussis carere doctrina et eruditione possit, in historia certe numquam potest.



Erunt fortasse, qui, quae huc usque disputavi, parum esse necessaria existiment, aut eo etiam tendere, ut metum moveant meticulosis quorumdam animis. Si qua ego auctoritate valerem, longiore his responderem oratione: iam vero monuisse sufficiat, me id inprimis voluisse, ut palam profiterer, quid mihi videatur, et quid adolescentibus exspectandum sit a mea disciplina; quam si huc usque vobis probavero, Viri Ampl., huius Athenaei Curatores diligentissimi! habebo, quod mihi impense gratuler. Et quidni mihi gratuler, quem ante hos sex annos summum magistratum Academicum in triennium creatum, eodem honore in alterum deinceps triennium honorifico decreto cumulastis;

(*) L. c.

quod ut singulari cuidam beneficio tribuere nolo, ita certe improbationis notam non habet.

Hunc autem magistratum quum solemni ritu hodie sum depositurus, ultro iam eo devolvitur oratio nostra, ut ex legis praescripto exponam, quaecumque per illud reginimis mei tempus Athenaeo laeta vel tristia acciderint. At sicut in civitate, temporum decursu firmiter constituta, omnibus ordine euntibus ac vigente pace, historia silet, certe momenta nanciscitur non nisi rariora, in quibus dicendi vim et efficacitatem exercere historicus possit, ita fata Athenaei enarraturus universam eius historiam, mea dicendi tenuitate neque augendam neque ornandam, brevissima oratione comprehendere potero. Viget enim ac floret Athenaeum vestrum, Cives Daventrienses, ut florentissimis reipublicae temporibus viguit ac floruit: stat incorruptum et intemeratum sub tutela magistratuum vestrorum, qui surdi ad quorumdam vocem de huius instituti angusta et tenui conditione, nihil antiquius habent, quam ut illud, munificentia privatorum hominum acceptum beneficium, publica auctoritate augeant et amplificent: id quod nuperrime etiam fecerunt creato recentiorum linguarum praelectore, viro doctissimo. Videtis eiusmodi huc vocari doctores, qui nominis celebritatem consecuti ab Academiis expetantur: vidistis BRUEYSIUM in cathedram Traiectinam, HOLTIUM primum in Groninganam, mox Lovaniensem, NIEUWENHUSIUM in Leidensem translatos, quod nescio an gloriosius et utilius accidat Athenaeo vestro, quam si omnes hac statione sibi subsistendum existimarent. Ut enim hae clades dignissimorum virorum vocatione reparantur, ita schola vestra hinc famam et celebritatem nanciscitur, quibus plures etiam alliciuntur iuvenes, ut hic studiorum suorum initia faciant, id quod eventu dudum apparuit. Neque angustiores illi termini, quibus hoc Athenaeum circumscribitur, impedire iam quemquam debet, quo minus hic studiorum primitias delibet: hoc enim iam pervulgatum ac repetitum est clarissimorum virorum iudicium, assiduitate, diligentia et studiorum solida ratione inprimis excellere eos adolescentes, qui e Daventriensi schola profecti in Academias hinc transierunt. Quin ipsos cives nostros Academicos, in arenam descendere ausos, inde victores et laurea summo omnium applausu ornatos rediisse vidimus.

Habemus igitur omnes haud leves laetandi caufas: Vos, Cives Daventrienfes, quod Athenaeum veftrum falvum habetis et incorruptum; Vos, Magiftratus Curatoresque amplisfimi, quod illud fub veftra tutela tutum praeftatis et inconcusfum; Nos vero, Collegae coniunctisfimi, quos inter te, cl. VAN ECK, licet aetate iam provectum, iuvenili tamen vigore florentem adhuc fumma cum animi voluptate confpicio, quod nomen et decus Athenaei neque imminutum est neque extenuatum; Vos vero, commilitonum fuavisfima corona, quod animi alacritate regiam ftudiorum viam fequimini, ut fpem faciatis nobis, fore ut aliquando patriae, parentibus, praeceptoribus fummam praebeatis voluptatem, vobismet ipsis laudem vitaeque felicitatem comparetis; quae fpes ne irrita fit, faxit fupremus bonorum omnium dator Deus!

Et fic iam non invitus magiftratum hunc meum, non infeliciter, quod praefifcine dixerim, geftum, trado fuccesfori. Utinam vero tibi tradere posfem, clarisfime COCK, qui huius ipsius Athenaei quondam alumnus, eius nomen ac gloriam et adolescens ftudii praeftantia, et mox docendi excellentia egregie auxifti, iam vero in eo es, ut ad altius honoris culmen evectus fedem tuam vacuam relinquas. Si noftra vota valuisfent, tua te urbs, tuum te Athenaeum diu et civem et doctorem confervasfent. Sed ut gloriofum est fcholae noftrae tales protulisfe discipulos, tales habere antecesfores, qui in lucem et celebritatis fplendorem proferri mereantur, ita iniquum fit tuum tibi iftum honorem invidere, tuum improbare abeundi confilium. Bonis igitur tu avibus proficiscere, et fic tibi obftringe Academiam Leidenfem, ut noftrum tibi obftrinxifti Athenaeum: fed in media fplendoris luce collocatus numquam memoria elabi finas ea omnis generis vincula, quibus hic maximam felicitatis partem es confecutus.

Ab amplisfimis autem urbis Magiftratibus in fequens triennium creatum Rectorem Magnificum renuncio ac proclamo vir. cl. IACOBUM ABRAHAMUM DOMPELING. Gratulor tibi ex animo hunc honorem, amicisfime collega, in quo obeundo tibi contingant omnia illa bona, quae mihi contigisfe gratus profiteor. Stet fub tuo magiftratu decus Athenaei, ftet intemerata ifta noftra concordia, ut coniunctis illud viribus confervetur, augeatur; ut religiofisfi-

mum fit omnibus, eam oftendere adolefcentibus regiam ftudiorum viam, quae unice facit ad veram et reip. fructuofam eruditionem, et quam huc usque fecuti fcholae noftrae alumni bonam fibi exiftimationem conciliarunt.

Quod fupereft, incolumem esfe hanc urbem iubeat D. O. M., incolumem patriam univerfam, incolumes omnes omnium, quas complectitur, caritates!

NICOLAI MULDER

NARRATIO

EORUM, QUAE, IPSO RECTORE, ATHENAEO FRISIACO ACCIDERUNT,

PUBLICE HABITA, CUM RECTORIS MAGNIFICI MUNERE ABIRET,

a. d. VII Iunii CIↃIↃCCCXXVI.

Regiminis mei tempus mecum reputans, A. A.! non posſum non agnoscere, plurimas nobis laetitiae et gratulationis causſas esſe, nonnullas vero doloris et deſiderii.

Salvos enim et ſoſpites permanſisſe et etiamnum exſiſtere Viros gravisſimos, Athenaei noſtri Curatores, vehementer gaudemus, cum ita continuo et ſtrenue res noſtras ſcientiasque tueri pergant et perſeverent. Vobis, Maecenates illuſtrisſimi! Divinum Numen vitam et ſalutem conſervet, ex animo precamur, ut veſtra ſub tutela carisſimum hoc bonarum artium pignus, haec antiquisſima Friſiorum Palladis ſedes laete vigeat, floreat, perennet!

Collegarum clarisſimorum et amicisſimorum ordinem ſi perluſtravero, vario afficior animi motu, laetitiae ſcilicet moerorisque ſenſu. — Salvum et vigentem video WASSENBERGHIUM noſtrum, qui doctrinae copia et docendi asſiduitate ſtudiique amore nemini cedit; — ſalvos itidem adſpicio caeteros Collegas, Viros Cl., excepto, proh dolor! unico noſtro GROENEWOUDTIO. Tu enim, Vir integerrime! gravi percusſus dolore ob obitum Patris carisſimi et venerandi, Viri doctisſimi ſacrorumque Codicum quondam interpretis, mox

in ſtudiis, quae in ipsis illis codicibus explicandis et intelligendis alacriter collocaſti, animi ſolatium quaerere optans et vero ſperans, en! gravi oculorum morbo correptus ab iis ſolamen moeroris petere non potuisti. At vero, quid dico? mi GROENEWOUDTI! Oculorum acie imminutâ, attamen non imminui animi ingeniique aciem iusſit Summum Numen! Quae ex libris illis ſacris et didicisti et docuisti ſupremae ſapientiae praecepta, hac ſub rerum conditione in proprios convertiſti uſus, atque eximium inde ſolatii quaſi divini fontem percepiſti. Neque ita ab docendi munere defuiſti, Vir Clarisſime! cum commilitonibus carisſimis tradere deſieris ea, quae in doctrinae tuae copia coacervaſti et ſedulo collecta ſervaſti. Faxit Deus, ut in priſtinam citisſime redeas valetudinem, Athenaeoque noſtro ſis decori et ornamento!

Lugendi autem gravis cauſa et tibi, Clarisſime DE CRANE, Senex venerande! advenit; lugendi cauſa, quae et me, imo quoque Palladem noſtram tangit. Ploret etenim animus tuus ereptum morte praematurâ virum, affinitate et amore tibi carisſimum; ploreo ego virum de me bene meritum; ploret Pallas noſtra virum omni laude in hisce choris docentem. Fuit nempe noſter CORNELIUS EKAMA, Friſius, Vir Cl. Hunc non commemorasſe, meritorumque eiusdem memoriam non proclamasſe impii foret animi. Ne autem exſpectetis A. A.! me vitae illius, vario laboris genere conſpicuae, vobis praebiturum esſe ſpectaculum: hora mihi deficeret. Verum etiam A. A.! non meum est, ſed hoc peragent illuſtrisſimi et doctisſimi collegae, quos in Academia Lugduno-Batava inclytâ, in Inſtituto Regio aliisque Societatibus litterarum ſcientiarumque ſibi habuit EKAMA noſter; hoc fieri oportet ab iis, qui linguarum uſu nobis maxime praecellunt et ad laudandum ſunt aptiores. Hoc unum volo, A. A.! ne umquam e memoria Friſiorum excidat, quid Friſius ille de Academia Franekerana meritus fuerit.

Ordinem noſtrum porro perluſtrans, IACOBI AMERSFOORDTII, viri optimi, memoria me afficit, at vero mox in ſuccesſorem eius, Virum nobilisſimum itemque plurimum venerandum doctisſimumque incido, REGNERUM BARTHOLDUM *Baronem* DE GEER. Quid de te dicam, Collega clarisſime! cum ſciant A. A., te iam fere per anni ſpatium amico quovis modo inter nos verſatum fuisſe; cum omnibus notisſimum ſit, te iuvenum inſtitutione et liberali cum iis necesſitudine eorum animos ad recte vivendum et ſedulo discendum ducere; cum nemo neſciat, tuam doctrinam tuasque in-

genii dotes ad Athenaei, imo quod pluris est, ad Societatis vere Chriſtianae Eccleſiaeque ſalutem converti posſe. Pergas, Vir gravisſime! omnia animi tui conamina alumnis noſtris impendere, ut ſic eorum ſtudium et doctrina in dies magis magisque increſcat; pergas, Vir amice! nos amicitia tua continuo proſequi, ut iunctis viribus Athenaei huius ſalutem et decus augeamus, extollamus. Ex animo itaque Tibi de munere tuo gratulor, eo magis, cum Regi optimo placuerit Theologiae Profesſoris officiis id addere, quod Concionatoris Athenaei vice fungi debeas. Hoc enim munus noſtro ordini gratum, iuventutis commodis aptisſimum, totius Eccleſiae emolumento evenisſe, omnes aequi iudices et religionis amantes mecum asſerere confido. — Salvum te ſervet Omnipotens ex animo precamur!

Non posſum non publice laudare Athenaei noſtri Alumnos, quorum numerus iterum auctus fuit. De eorum diligentia et in ſcientiis progresſibus multa dicere, noſtrum non videtur A. A.! hos promulgent *Academiae* Patriae noſtrae, quibus data est poteſtas noſtros diiudicandi carisſimos discipulos, quibusque contingit plures noſtrae Scholae alumnos, magna cum laude, ad varios Doctrinarum gradus promovere et elevare. Singulos enumerare non est huius loci, at iubet conſuetudo et officium eum publice laudibus cumulari, qui, antea huius Athenaei commilito, nunc apud Lugdunenſes eum ſibi acquiſivit honorem, ut digna fuerit iudicata eius docta commentatio litteraria, quae inter praeſtantiores praemioque quaſi altero dignas publice collocaretur. Hunc ſcilicet honorem ex animo gratulamur iuveni eximio WYBRANDO VERWEY.

Vos, commilitones optimi! ſedulitate et morum integritate ſtrenue pergatis Athenaeo gloriae et decori esſe; Vos praecipue, qui mox ad Academica altiora ſtudia transire debebitis, vos quovis modo omnibusque viribus comprobare conemini, Friſiorum inſtitutiones et ingenia minime languescere aut ab antiqua virtute degenerare.

At vero gravi afficior dolore, veſtrum coetum continuo reſpiciens. Tres enim commilitones carisſimi, iuvenes optimi, e medio veſtrum et vita fuere ſublati, quorum deſiderium Parentibus, Praeceptoribus, Condiscipulis, Amicis maximum est.


Primus, qui e vita decesſit, multis titulis commendandus iuvenis, fuit HIERONIMUS NOORDENBOS, phthiſi, atroci illo morbo iuventutique perquam

inimico, correptus. Iam magna cum laude in Academia Lugduno-Batavâ Philosophiae Naturalis Candidatus factus, maiorem vero sui existimationem sibi comparaverat mirandâ assiduitate et in labore perseverantia tenaci, nec minus summâ modestiâ moribusque integerrimis. Iure itaque lugemus huius Viri iuvenis obitum.

Alter obiit commilito, itidem Medicinae studiosus, de quo, si per maius temporis spatium studio salutifero sese dicare ipsi concessum fuisset, non erat desperandum, eum in arte sua bonos esse facturum progressus. Hic, quem dolemus, fuit IOHANNES DE IAGER.

Tertius, qui e vita migravit, fuit iuvenis Chirurgiae studio praecipue deditus, MENNO GOSLINGS, qui, mox absoluto curriculo academico, iamiam utilissimum Medicorum cursum non sine laude ingressus fuisset. Ex intimis pectoris penetralibus huius, ut caeterorum, mortem praematuram deploramus, sperantesque fore, ut annus subsequens nulla mortis clade turbetur!

Denique A. A.! adminicula studiorum nostrorum recensens eadem fere habeo commemoranda, quae antecessores mei. Bibliotheca enim publica, Museum Physicum Chemicumque, pro modulo aeris concessi, fuere aucta et amplificata. Aedificium porro Laboratorii Chemici pro parte fuit emendatum, speramusque fore, ut instrumentorum numerus et valor aliquando augeatur, ne plurima experimenta utilissima in lectionibus nostris amplius deficiant. Praeparatorum autem et sic dictorum simplicium collectio in usum iuventutis continuo amplificatur. Hortus noster botanicus egregie viget, et tum plantarum numero, tum varietate gaudet tantâ, quanta nostro terrae spatio convenit. Gratias agimus sinceras Viris celeberrimis, amicis admodum venerandis, REINWARDTIO, DRIESSENIO et BLUMIO, qui plantas et semina nobiscum communicarunt.



Igitur A. A.! demandatum mihi Magistratum deponere superest, quod laeto animo facio, cum nulla mihi sit regendi cupido. Virum itaque clarissimum, a Curatoribus Athenaei illustrissimis mihi delectum atque designatum successorem, IOANNEM GUILIELMUM DE CRANE, *I. U. D.*, *Litterarum Humaniorum et Historiae Professorem ordinarium*, novum, in annum sequentem, Athenaei

Rectorem Magnificum publice declaro, renuntio. Te itaque compello, Collega aeſtumatisſime! ut ſuperiorem hunc locum occupes, quo rite, ſolemniter et more maiorum hocce munus in te transferre posſim.

Salve Athenaei Franekerani Rector Magnifice! — accipe novae tuae dignitatis inſignia priſca. — En ſceptra, quae e iuvenilibus meis in tuas magis exercitatas manus laetus transfero. — En Sigilla — Album. Accipe ſincera, quae fundo, vota, ut Magiſtratus tuus Athenaeo felix, Tibi vero gratus placidusque eveniat! Faxit Deus, ut omnia Tibi pro votis proſpere cedant, et ut Magiſtratum non tantum tuum, ſed et reliquum vitae ſpatium inoffenſa felicitate abſolvas, Tibi apprecor!

Denique, Supremum Numen veneratus, ut Athenaeum noſtrum floreat, utque priſtinum recuperet Academiae decus, ut omnibus eius civibus ſit vigor atque integritas, Tibi iam Rectori Magnifico honorificum hunc locum relinquo.

BARTHOLDI REGNERI DE GEER

O R A T I O,

DE

THEOLOGIA, NOSTRA AETATE IN BELGIO
FELICITER EXCULTA,

PUBLICE DICTA,

DIE VII IUNII MDCCCXXVI,

*CUM THEOLOGIAE IN ATHENAEO FRISIACO
PROFESSIONEM SOLEMNI RITU AUSPICARETUR.*

FRISIAE GUBERNATOR ILLUSTRISSIME!

ATHENAEI FRISIACI CURATORES, VIRI GRAVISSIMI!

RECTOR MAGNIFICE! PROFESSOR HONORARIE! QUARUMVIS ITEM DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

QUICUNQUE NATALIUM SPLENDORE ET MUNERUM DIGNITATE CONSPICUI ESTIS, VIRI AMPLISSIMI!

SACRORUM ANTISTITES, VIRI PLURIMUM REVERENDI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

CUIUSCUNQUE DOCTRINAE STUDIOSI, HUIUS ATHENAEI ALUMNI EXOPTATISSIMI!

QUOTQUOT AD SOLEMNIA HAEC CELEBRANDA CONVENISTIS, AUDITORES HUMANISSIMI!



Prudenter a maioribus nostris est constitutum, ut, qui publice docendi munus capessant, habita oratione disciplinam suam commendent. Quo officio ut rite quis perfungatur, ipsi cavendum est, ne argumentum vulgare et obsoletum eligat, neve incognitum atque abstrusum. Fastidium creant obsoleta. Abstrusa non satis ab omnibus percipiuntur. Placent ea tantum et ad veram utilitatem conducunt, quae, nec a disciplina, quam profiteatur orator, aliena sunt, et

vero ita comparata ac dispoſita, ut auditores, cum argumenti praeſtantia alliciant, tum delectent nativa dictionis ſimplicitate.

Quae cum ita ſint, Auditores, non est, quod orationem, ex intimis doctrinae penetralibus petitam, et erudite elaboratam, a me exſpectetis. Equidem de eiusmodi oratione conficienda nunquam cogitavi. Simplicitatem enim veramque popularitatem amo. Et vero tantam mihi disciplina Theologica utiliter ac populariter disſerendi copiam praebet, ut facile ea evitentur, quae ſolam eruditionis et acuminis laudem ſpectare videantur. Ex uberrimo autem hocce Theologiae fonte, prae caeteris argumentum mihi arriſit, quod ad praeſentem Theologiae conditionem et ad patriam noſtram referatur. Quid enim praeſtantius, quid utilius excogitari potest, quam praeſentium rerum, earum praeſertim, quae patriam ſpectent, attenta conſideratio? Non praecedentibus, ſed noſtris, aut, ſi quid animus generoſius ſpiret, et noſtris et futuris temporibus vivimus. Praeteritorum ſaeculorum inveſtigatio eo est referenda, ut accuratius de praeſentibus iudicemus, ut ea, quae vera ſunt et probata, ad publicam utilitatem conferamus, et ad poſteros noſtrorum temporum memoriam transferamus. Bene autem a multis obſervatum est, disciplinam Theologicam novisſimis his temporibus tantam ſubiisſe mutationem, ut de ea quid ſperandum ſit, quidve timendum, nunc maxime disquiratur. Quam litem etſi nos non prorſus dirimere posſe ſciamus, in ipsa tamen, quae in patria noſtra hodieque cernitur, Theologiae conditione multa deprehendimus, quibus ea ad meliorem formam adducta esſe merito dicatur. Qua de re ſi paulo diſtinctius expoſuero, nec ab utilitate eorum, qui me audient, nec ab officio meo abhorrebit oratio. Dicam igitur *de Theologia, noſtra aetate in Belgio feliciter exculta.* Dicam autem breviter et modeſte, tenuitatis meae probe conſcius. Sentio enim, multos reperiri, qui gravius atque ornatius dicere posſint. Quocirca a vobis quaeſo, Auditores, ut benigne me dicentem audiatis.

De felici Theologiae in patria noſtra conditione ut recte iudicetur, non alienum est, in memoriam revocare, quibus finibus contineatur verum Theologiae ſtudium. Notum est, Theologiam, quae in Scholis docetur, variis partibus conſtare. Complectitur enim Historiam Eccleſiaſticam, Hermeneuticam et Criticam ſacram, Theologiam Naturalem, disciplinam Dogmaticam et Moralem, item Homileticam et Paſtoralem. Ut omnes illae partes, apte dispoſitae ac

secum invicem coniunctae, universam disciplinam Theologicam constituunt; ita singulae diligentem pertractationem requirunt. Ecclesiae Historia, rite tradita, non annales modo complectitur et ieiunas factorum enarrationes. Facta e limpidissimis fontibus cognoscantur; rerum causae investigentur hominum studia observentur; atque ita quid in rebus, ad religionem pertinentibus, praestiterint homines, quid divina spectaverit Providentia, explicetur et in vitae usum conferatur. Ad Hermeneuticam et Criticam sacram recte excolendam opus est, ut ex iis, quae ad haec usque tempora in lucem prolata sunt, Codicis Sacri explicandi subsidiis, sanae interpretationis regulae constituantur; quo fiat, ut spuria Sacri Codicis loca a genuinis accurate discernantur, et prudenter ac liberaliter singulorum locorum sententia indicetur. Theologia Naturalis, i. e. rerum divinarum disquisitio, quae, rationis humanae ope, ex ipsa rerum natura petuntur, firmissima tradat principia, quibus omnis religio nititur, quaeque adeo ad religionis placita et praecepta, ex ipso Codice Sacro petita, ornanda et confirmanda egregie valent. Theologia Dogmatica et Moralis a recta procedat Sacri Codicis interpretatione; cuius rei hic est uberrimus fructus, ut utraque disciplina non ex hominum opinionibus, sed e Codice Sacro ducatur. Doctrinae Homileticae studium, quod vere hoc nomine dici meretur, id spectat, ut ex religionis historia eiusque placitis atque praeceptis apte et utiliter dicendi argumenta petantur; tum vero, ut ratione et via procedat oratio, temporumque et hominum indoli adaptetur. Denique ad Theologicam disciplinam pertinet doctrina Pastoralis. Complectitur haec eorum officia, quibus Christianorum institutio et cura committuntur; ita autem tradatur necesse est, ut ex ratione et experientia prudenter et vere efficiatur, quid religionis antistiti sequendum, quid fugiendum sit, ad recte instituendam et tuendam religionem Christianam.

Tali igitur modo si variae, quas memoravimus, Theologiae partes pertractantur, non bene excoli non possunt. Quominus autem sic ab omni parte Theologia excoleretur, variae causae in patria nostra antea obstiterunt; quibus factum est, ut quaedam huius disciplinae partes vel negligerentur, vel male tractarentur. Nostra aetate causae istae magnam partem evanuerunt. Itaque processit Theologiae studium, et dulcissimos ingenii, diligentiae, prudentiae ac probitatis fructus tulit. In his nonnulla prae caeteris excellunt, quae inprimis nostra attentione digna esse videantur, et ad rite excolendam

Theologiam plurimum conferre. Veram intelligo *ſentiendi liberalitatem*; deinde *pacis et concordiae ſtudium*; denique *practicam illam rationem*, qua ſingulae Theologiae partes Chriſtianorum in uſum convertantur. In his igitur verſabitur noſtra oratio. Quibus rite perſpectis, habebimus profecto, quod Theologiam in patria noſtra feliciter excultam dicamus.

De ſentiendi liberalitate cum dicimus, quae in Batavorum Theologorum ſtudiis cernitur, non intelligimus effrenatam iſtam humani ingenii licentiam, qua, reiectis ſanae doctrinae regulis, ad qualescunque hominum opiniones disciplina Theologica conformetur. Quemadmodum illam CICERO veram libertatem vocat, qua *legum ſervi ſimus, ut liberi eſſe poſſimus*, ita hanc ſolam Theologi liberalitatem praedicamus, quae ſanae rationis et Sacri Codicis auctoritate ſeſe duci patiatur, at vero illiberale mentis ingeniique ſervitium ferre recuſet. Quodſi quaeratis, Auditores, num germana haecce liberalitas olim in patria noſtra deſideraretur, cogitetis velim, quantam in Theologiae inſtitutionem vim habuerint Philoſophorum placita, et liberiorem illius noſtris temporibus profeſſionem facile agnoscetis. Non est, quod omnem in excolenda Theologia Philoſophiae uſum improbemus. Tanta enim verae Philoſophiae vis est atque praeſtantia, ut ſine ea in caecam Theologia ſuperſtitionem abeat et credulitatem. Elucet et ſemper elucebit praeſtantiſſimum rationis lumen, a Deo mentibus noſtris inditum, ut meditando, iudicando, ratiocinando, quid verum ac bonum ſit, cognoſcamus. Divina hac luce cum nulla doctrina carere poſſit, lubenter concedimus, verum Theologum ſimul eſſe debere Philoſophum. Summo cum fructu Philoſophiam ad disciplinam ſuam rite excolendam in ſubſidium vocabit; modo immutabilia illa rationis principia ſequatur, quae omnibus hominibus temporibusque communia ſunt, et in ipsa rerum natura fundata. Eam vero philoſophandi rationem improbamus, qua variae Theologiae partes ad horum illorumve Philoſophorum placita ita informentur, ut fucatum ex iis habitum contrahant atque colorem. Quod in patria noſtra ſaepe factum fuiſſe dolemus. Quis perverſa ignorat Scholaſticorum ſtudia, quae, ante et post Sacrorum emendationem, cum in aliis regionibus, tum in patria noſtra, invaluerunt! Nimirum germanam ARISTOTELIS philoſophiam venditantes, ſubtilibus et argutis de rebus divinis disputationibus, liberale Theologiae ſtudium funditus everterunt. Scholaſtica haecce argutandi ratio, cum primum a LUTHERO caeterisque Sacrorum emendatoribus profligata eſſet, postea denuo vim

suam in Theologiam exseruit. Itaque Theologi non pauci regiam viam deseruerunt, a GROTIO aliisque patefactam, et a recta Codicis Sacri interpretatione profectam. Quo factum est, ut plurima Theologorum Batavorum scripta ineptas Scholasticorum distinctiones et spinas complecterentur. Tandem Scholastica disciplina in contemtum abiit. Vix autem, vinculis hisce abiectis, recuperata videbatur libertas, cum, ecce! in novam sese Theologi proiiciunt servitutem. Oritur saeculo decimo septimo CARTESIUS. Permultis, Scholasticam rationem aversantibus, placet eius philosophia, a naturae humanae contemplatione ducta, liberior illa et paucis principiis contenta. Amplectuntur eam Theologi, quorum auctoritate principia Cartesiana in Theologiam inducuntur. Magnis inde exortis litibus, tandem ipsa negligitur Cartesii disciplina, et novam saeculi decimi octavi initio formam, per philosophiam Leibnitianam, accipit Theologia. LEIBNITIUS enim observandi et argumentandi rationem, BACONI receptam, cum Cartesiana coniunxit, et sic philosophiae doctrinam condidit, cui formam systematicam WOLFIUS dedit. Haec cum tempori perquam consentanea esset, maximam vim adepta est in Theologiae institutionem. Itaque novis argumentis philosophicis, a priori, ut dicebantur, petitis, mathematica fere demonstratione, variae eius partes pertractatae sunt. Theologi nostri philosophiam illam Leibnitio-Wolfianam primum contemserunt. Eadem vero sensim in patria quoque nostra cum Theologiae studio coniuncta fuit. Quo factum, ut haec arctioribus etiam vinculis constringeretur. Ex his angustiis cum Theologi, velut e carcere, erumpere conarentur, progrediente saeculo decimo octavo, liberiores de rebus Theologicis exstitere sententiae, quae postea, in aliis regionibus, in licentiam abierunt.

Sic igitur in Theologiae nostrae historia varia apparent systemata philosophica, quae disciplinae Theologicae adaptata sunt. Atque ita exstitit misera illa forma systematica, qua dici vix potest, quantum detrimenti ceperit eius studium. Etenim non in eo substiterunt Theologi, ut praecipua rerum capita, apte et concinne disposita, in unum corpus colligerent. Sed multis adiectis, quae a disciplina aliena erant, per ambages processerunt, et nimis subtiliter res omnes definiverunt. Itaque eorum systemata non complectebantur perspicuam et succinctam doctrinae expositionem, sed diversissimarum rerum formularumque farraginem. Constitutis eiusmodi systematibus, alter alterius subinde vestigiis insistens, non suum ipse iudicium et certam animi persuasionem seque-

batur. Quid igitur? Psittacorum instar voces reddebat, quas ex systemate acceperat, et constitutis formulis caeco impetu assentiebatur. Systemata haecce, a Theologis recepta, et quasi per manus tradita, fere ad saeculi decimi octavi finem viguerunt.

Neque tamen ea, quae hactenus dixi, de omnibus Theologis Batavis dicta velim. Fuerunt enim iis, quae nostram aetatem antecesserunt, temporibus Theologi, qui liberaliorem normam secuti sunt, et quorum tanta fuerunt merita, ut grata mente ea recolamus. Eluxit, post celebratissimos Theologos antiquiores, CAMPEGIUS VITRINGA, cum doctrinae copia, tum liberaliore Codicis Sacri interpretatione. Aptiorem cernimus in VENEMAE nostri Historia Ecclesiastica, cum ordinem, tum fontium indagationem. Sic item alii Theologi Batavi non contemnendis dotibus eminuerunt, et ad liberale Theologiae studium viam aperuerunt. Universe tamen invaluerat ista, quam descripsimus, ratio, eaque germanis Theologiae studiis prorsus adversabatur.

Quodsi quaeratis, Auditores, quî factum sit, ut philosophica illa et systematica forma in Batavorum Theologia dominaretur, habemus quod respondeamus. Universe tenendum est, hancce normam patrum memoria cunctis fere cultioribus Europae gentibus propriam fuisse. Inprimis autem observandum est, eam, quam diximus, Theologiae institutionem, arctissime cum politica patriae nostrae conditione fuisse coniunctam. Ab eo enim tempore, quo Batavi Hispanorum iugum excusserant et emendata receperant Sacra, maximam vim Belgii Proceres in ipsam Theologiae conditionem exseruerunt. Hi igitur subinde Theologis Batavis normam praescripserunt, quam in Scholis sequerentur; adeoque publica ipsorum auctoritate accidit, ut, pro rerum temporumque conditione, variis formulis Theologia adstringeretur. Quod ex Symbolis, publice constitutis, multisque legibus Ecclesiasticis, abunde patet.

Ex iis, quae observavimus, satis, ni fallor, apparet, universe in patria nostra olim desideratam fuisse veram studii Theologici liberalitatem. Quibus rite perspectis, facile nostrorum temporum felicitatem agnoscetis. Profligatis quippe subtilibus systematum philosophicorum distinctionibus formulisque, increscente Hermeneutices et pragmaticae historiae studio, tum etiam humanitatis cultu, variae Theologiae partes ad liberaliorem rationem informatae sunt. In Historiae Ecclesiasticae, quae nunc fere probatur, expositione dominantur lucidus ordo, studium veri atque diligens temporum hominumque observatio,

Sacri Codicis interpretatio a Theologis noſtris ad ſimplicisſimam et verisſimam normam revocata est. Religionis ac morum doctrina, quae in Scholis traditur, claram et ſuccinctam explicationem complectitur placitorum ac praeceptorum, quae ut vera et indubitata in Codice Sacro proponuntur, remotis iſtis dictionibus et orationis figuris, quae a divinae religionis indole alienae ſunt, atque ex ſolo ingenio humano petitae. In his igitur aliisque Theologiae partibus germanum ſtudium viget, a verisſimis principiis profectum, et a recta rerum divinarum humanarumque cognitione. Cuius rei egregia ſpecimina dedere, et qui noſtra aetate fuerunt, et qui nunc ſunt, Theologi. Hos iccirco non appello, ne mea oratio, ſi minus de aliquo dixero, ingrata, ſi ſatis de omnibus, infinita esſe videatur.

Liberale hocce Theologorum Batavorum ſtudium eo magis laudandum est et celebrandum, quod cum prudentia et modeſtia coniunctum ſit. Praecellunt adeo Batavi plerisque recentioribus Germaniae Theologis, qui, ingenio indulgentes, ad inconſideratam ſentiendi licentiam procesſerunt. Novimus, post philoſophiam Wolfianam, invaluisſe in Germania liberalem ac popularem philoſophiam, a BACONE repetitam; hanc autem excepisſe Philoſophiam Criticam, cuius auctor primarius KANTIUS fuit. Hic cum univerſam religionis doctrinam rationis purae, quae dicebatur, finibus coërcuisſet, et Codicem Sacrum totum ad moralem interpretationem contorſisſet, ſcepticismi anſam dedit. Dubitatum fuit de divina patefactione omnibusque religionis placitis, de quorum veritate ex ipsis rationis principiis non conſtaret. Deërat igitur certum fidei fundamentum, et ſic via ad ἀπιστίαν ſtrata est. Erat tamen eiusmodi de rebus divinis cogitandi licentia hominum uſibus parum aptata. Quocirca aliam deinde, ſed haud multo meliorem formam in Germania accepit Theologia. Post KANTIUM enim a SCHELLINGIO aliisque ad myſticum ſenſum, ad phantaſiam omnino conformata fuit. Unde tanta ſententiarum obſcuritas exſtitit, ut eorum, qui has partes ſequerentur, nonnulli quid ſentirent ipsi fere ignorare viderentur.

Conſtat igitur, Germaniae Theologos complures, variis opinionum fluctibus iactatos, nihildum certi, in quo tuto conſiſterent, invenisſe, et continuo in extrema ruisſe. Quis iam his Theologos Batavos opponat, nec ingenue fateatur, prudentiorem ipsos et moderatiorem rationem ſecutos esſe? Facile quippe novarum opinionum inconſtantiam ac levitatem agnoverunt, quotquot

re vera docti et ingenui Theologi haberentur. Itaque, misfis vagis et errantibus mentis cogitationibus, hanc folam laudem fibi plerique quaefiverunt, ut fana rationis principia et rectum Codicis Sacri ufum conferrent ad illuftrandam confirmandamque divinam noftram religionem.

Maxime autem in eo eluxit noftrorum Theologorum liberalitas; quod ex fcriptis Germanorum Theologicis, fpretis opinionum commentis, quaecunque bona esfent, collegerint et in ufum converterint. Unde magis magisque Theologiae ftudium effloruit.

Sed fatis de hac felicitatis noftrae parte in excolenda Theologia disputavimus. Est aliud etiam, quo hodierni Theologi Batavi antiquioribus praecellunt, bonum, quod velut ftella e tenebris eluxit, *pacis* dico *et concordiae ftudium*. Nemo nunc facile inveniatur, quem non dolore afficiat controverfiarum recordatio, quae de Theologica disciplina, praefertim de dogmatica eius parte, in patria noftra actae funt. Nimirum cum Theologi, ante et post Sacrorum emendationem, Scholafticis aliarumve disciplinarum philofophicarum disquifitionibus toti imbuerentur, necesfe erat, ingenia exafperari. Itaque continuis Theologiae ftudium disfidiis continebatur. Et hic veftram, Auditores, memoriam ad praeteritorum temporum cogitationem excitetis, velim. Confiderate acerrimas de rebus divinis contentiones, in perpetuum Theologorum opprobrium publicae fubinde luci expofitas. Animum advertite ad librorum Theologicorum farraginem, quibus in fe invicem Theologi invecti fuerunt, variisque fefe aemulationis et odii telis petiverunt. Superfunt monumenta, quae vehementisfimas lites continent, de iufta et legitima magiftratuum in Ecclefiam auctoritate. Viget adhuc triftisfima illius aetatis memoria, qua opinionum disfenfio *Remonftrantes* inter et *Contra-Remonftrantes* mentes exacerbavit, civium animos distraxit, patriam turbis implevit, et patrum aetate facinora protulit, quae horret ipsorum pofteritas. Saevit etiamnunc in hiftoricis Belgarum fcriptis bellum Theologicum, quod VOETII inter et COCCEII asfeclas agitatum fuit, atque in varias partes Chriftianos divifit, quarum reliquiae noftris temporibus vix evanuere. Quis haec memoret, nec videat, litigandi de rebus divinis ftudium Theologiae rite excolendae admodum nocuisfe, et velut alteram fuisfe Pandorae pyxidem, quam infinitam malorum vim in genus humanum effudisfe fingebant poëtae?

Fatemur, mediis istis tempestatibus, quibus animi ad Theologicas lites erant propensiores, nonnullos placidi ingenii fuisse Theologos, a dissensionibus prorsus alienos, qui paci in Ecclesia servandae, vel restituendae, magnam operam darent. Cuius rei, praeter alios, AMESIUS, ALTINGIUS, WITSIUS, VENEMA egregia dederunt exempla. Sed pauci erant, qui a temporis ratione recederent atque leniorem normam sequerentur. Universe desiderabatur pacis inter Theologos et concordiae studium. Deficiente vera liberalitate, vel minima verborum sententiarumque discrepantia litibus opportunitatem dabat. Accedebat, ut supra observavimus, quod res sacrae in patria nostra cum rebus civilibus indivulso nexu copulatae essent. De utrisque autem cum diversissimae sententiae regnarent, variae illae de rebus Theologicis et civilibus opiniones innumeras contentiones pepererunt, quarum continua serie patriae historia continetur.

Gaudeamus igitur, Auditores, caliginosa ista saecula praeterita esse! Laetiora vivimus tempora. Procedente liberaliore Theologiae studio, evanuerunt subtiliores e Theologia distinctiones philosophicae; evanuerunt futilissimae de dicendi formulis disputationes; atque ita primaria quaedam controversiarum caussa cessavit. Accessit invalescens cultus et humanitatis progressus, qui maiorem in ferendis aliorum sententiis scriptisque facilitatem attulit. Neque omittenda est felicissima illa, quae nostra aetate accidit, politicae patriae conditionis immutatio; huic enim acceptam referimus Belgii *legem fundamentalem*, qua diversis Christianorum coetibus eadem civilia iura concessa sunt. His igitur caussis invaluit inter Theologos Batavos pacis et concordiae studium. Nondum placida haec ratio ad sectarum consociationem processit, quam non vi sed sensim esse exstaturam, ab eruditissimis Theologis sapienter observatum est. At vero in Scholis Theologicis, atque optimos inter Theologos, propensio cernitur ad mutuam benevolentiam cum aliter sentientibus colendam. Egregios fructus huius moderationis, sine qua nullus coetuum Christianorum consensus sperari potest, multa testantur nostrae aetatis scripta Theologica et sacrae orationes; eiusdemque progressus ex eo apparuit, quod vani et irriti fuerint eorum conatus, qui nuper, mystico sensu abrepti, in caeteros Christianos sunt invecti, et novas de religione turbas in Ecclesia movere conati. Perpauci eorum partes secuti sunt, stoliditate ipsis aequiparandi. Caeteri conticuere, neque ora intenta tenuere ad istorum nugas.

Est denique, quod felicem Theologiae in patria noſtra conditionem celebremus, quod univerſae eius partes ad *practicam rationem* referantur, atque ad veram ſocietatis Chriſtianae utilitatem. Dici vix poteſt, quantopere illae, quas memoravimus, disquiſitiones philoſophicae, tum etiam Theologorum discordiae et altercationes obſtiterint et impediverint, quominus vera ex Theologiae ſtudio utilitas perciperetur. Theologi enim non modo in Scholis argutando et litigando occupabantur, ſed disputationes ſuas ſubinde in ſacros ſermones, in hominum ſocietatem et vitam communem, inferebant. Itaque ſaepisſime accidit, ut Chriſtiani magis ad peculiarem ſui ſyſtematis formam defendendam informarentur, quam ad divinae religionis praecepta vitâ moribusque exprimenda. Erat cum hisce disputationibus coniunctum inſanum argutiarum ſtudium, omni prorſus utilitate deſtitutum. Misſis rebus, quarum cognoscendarum cauſa variae Theologiae partes pertractantur, in levibus nugatoriisque inquirendis multi Theologi verſabantur. Non verum iſti virtutis et ſapientiae emolumentum quaerebant, ſed in verborum cortice haerebant, paleas modo legentes, uberrima rerum ſegete neglecta. Sic igitur falſa ſubinde ſcientiae opinione inflati, docendo difficulſates augebant, et eximia discipulorum ingenia ad frivolarum vanarumque rerum ſtudium prorſus deprimebant. Nec mirandum, eiusmodi Theologorum ſcripta oratione tam esſe obscura, ut non ad hominum mentes illuſtrandas, verum ad ingenia fatiganda, conſcripta fuisſe videantur. In his ludicris cum olim graves etiam doctique viri bonas horas perdiderint, est ſane quod laetemur, aetatem noſtram ita reſipuisſe, ut, qui in talibus ingenioſi videri velint, vel puerorum ſibilis explodantur. Quaecunque a noſtratibus pertractantur Theologiae partes, eae non ad contemplationem, non ad ſubtiliorem disputationem, ſed ad veram hominum utilitatem, conferuntur. Ita traditur Eccleſiae Hiſtoria, ut ad obſervandam Providentiam divinam, ad hominem cognoscendum, ad virtutem colendam, referatur. Sacri Codicis interpretatio atque Chriſtianorum placitorum morumque disciplina ita inſtituuntur, ut ſana fidei et pietatis principia e Codice Sacro eliciantur et hauriantur. Quod ad Homileticam partem attinet, eiusmodi noſtra aetate ſacras orationes conficiendi praecepta traduntur, ut, remotis inutilibus quaeſtionibus nugisque, et abiectis obſcurioribus orationis figuris, ſermonis concinni, perſpicui, caſtigati, bene politi, ratio habeatur. Denique ea doctrinae Paſtoralis praecepta, quae, ad ſocietatem Chriſtianam moderandam et iuven-

tutem instituendam, traduntur, ita sese veritate et simplicitate commendant, ut, si quid videamus, quaecunque bona merito ab iis exspectemus.

Talem igitur exitum Deus nobis ostendit, hanc spem Ecclesiae dedit. Quae cum ita sint, est sane, quod summas Belgarum nostra aetate in Theologia laudes praedicemus. Qua de re ne uberius disseramus, vetant temporis, quibus concludimur, angustiae. Igitur ad orationis finem contento studio cursuque properemus.

Ad felicem, de qua dixi, Theologiae in patria nostra conditionem pro viribus tuendam ego quoque contendo. Et vero admiror atque veneror divinam Providentiam, quae me, nec opinantem, ad utilissimam Theologiae disciplinam docendam vocavit. Quod autem praestantissimo huic muneri, favente Rege, sacri oratoris munus additum fuit, hoc quoque, et mihi, et vobis, ut spero, haud parum laetitiae attulit. Annus fere abiit Academicus, quo nova mea provincia me occupatum tenuit. Quodsi mecum reputem, quam parum meas expleverim vires, quantumque ego ingenio et doctrina inferior sim clarissimis illis, qui in Academia Franequerana floruerunt, Theologis, tantam in me haec cogitatio vim habet, ut laetitiae, ex novo honore haustae, sensum, si non excutiat e pectore, hebetet certe atque obtundat. Verum enimvero demissum animum erigit vestra, Auditores, opinio, quam mihi iamdudum significastis, sermonibus meis sacris benigne audiendis, et amicitiae testimoniis mihi largiendis, nunc vero ore vultuque, ad benivolentiam composito, testamini. Recreat inprimis et confirmat honorificum gravissimorum Athenaei Curatorum de me iudicium, cui diffidere non par est, cum nunquam ipsorum prensaverim gratiam. Sospites, Viri Amplissimi, et fortunatos vos servet Deus Optimus Maximus! Quicquid generose ad nostram publicamque salutem suscipiatis, id omne bene vobis cedat; faxitque Deus, ut vestra liberalitate vestrisque consiliis disciplinarum studia in hoc Athenaeo provehantur! Equidem non desinam, honorifico munere, quod mihi detulistis, dignum me praestare, atque laboris et exercitii assiduitate virium et doctrinae defectum compensare. Ita omnem operam me in id collocaturum spero, ne quid unquam, vel detrimenti, vel dedecoris, Athenaeum vestrum mea culpa cepisse videatur; atque felicem me existimabo, si quid contulerim ad ipsius florem, ac studii Theologici in patria nostra emolumentum.

Quum arctissimo cognationis vinculo inter se disciplinae coniungantur, eodem, Professores Clarissimi! nostros animos coniunctos esse debere, et ipsa rei indoles postulat, et collegarum nomen, quo nos invicem compellamus. Quodsi unquam vanae gloriolae minutiarumque studium ex eruditorum virorum pectore generosum amicitiae sensum excusserit, excussit autem saepissime, est sane, quod gratias Deo agamus, hunc inter nos animorum esse consensum, quo vix maior cogitari possit. De vestra autem in me amicitia non est quod dubitem, cum singularem, qua me collegam excepistis, comitatem humanitatemque mea testetur grati animi conscientia. Neque est quod diffitear, vestrum hunc in me animum plurimum valuisse, ut laetus et alacer gravissimam Theologiae in me susceperim provinciam. Talia autem cum voluntatis vestrae in me fuerint testimonia, certiores vos esse velim, me animo candido et integro, ad omnia, quae possim, humanitatis et amicitiae officia vobis praestanda, semper promptum esse futurum atque paratum. Caeterum illud spero, eodem nos ardore et perpetua voluntatum sententiarumque consensione ad egregia quaeque esse conspiraturos. Ad unam quippe eandemque societatem doctrinarumque palaestram pertinemus; quocirca diversos inter labores idem nobis esse debet studium, propositum idem. Faxit Deus, ut alacriter omne studium ad Athenaei ac patriae utilitatem conferamus! Vos autem, Collegae coniunctissimi! qui, aetate provectiores, ad vitae metam properatis, ut feliciter placideque vestrum cursum conficiatis, opto.

Superest ut vos compellem, praestantissimi huius Athenaei cives! qui variis disciplinis excolendis operam datis. Vos omnes ne dubitetis velim, me bona et fausta quaeque ex animo vobis apprecari, eundemque, quem me experti fuistis, semper vos esse experturos, sincerum amicum. Peculiare autem cum mihi vobiscum intercedat vinculum, qui Theologiae operam navatis, ad vos iam maxime tendit mea oratio. Audivistis, in hodierna Theologiae conditione quantum sit momenti, ut strenue studia vestra persequamini. Equidem in omnibus, quae mihi docendae sunt, Theologiae partibus eo enitar, ut fidem ac pietatem Christianam vestris in animis excitem. Haec autem summa vestra erit laus, quod ad religionis vim atque praestantiam commendandam omnes in doctrinarum studiis profectus conferatis. Hoc igitur semper spectate. Studiorum comitem me accipite, et eandem, quam mihi declarastis, alacritatem ac modestiam perpetuo servate. Id agite, ut, quas accepistis

ſentiendi iudicandique facultates, ſtrenue expoliatis, et virtutis, quae omnium rerum excellentisſima est, veros cultores vos praeſtetis ac conſtantes. Sic aliquando uberrimos ſtudiorum fructus percipietis, eritisque Friſiae, patriae, Eccleſiae ornamenta.

Caeterum, Commilitones carisſimi, quibusvis ſtudiis dediti, mementote, vitam brevem esſe et ſuos cuique mores fortunam fingere! Vobis res est cum virtute, non cum deſidia, cum dignitate, non cum voluptate, cum iis, qui ſe patriae, qui laudi, qui gloriae, non qui ſomno et conviviis et delectationi natos esſe arbitrantur. Magni ſubeundi ſunt labores; ſudandum est pro communibus commodis, ut optatam vitae metam contingatis. Quodſi igitur turpis deſidiae et inhoneſtae voluptatis illecebris capti, egregios naturae dotes et temporis opportunitates neglexeritis, atque vana utilibus praetuleritis, illius ſimiles eritis, qui, iter faciens, in diverticula ſubinde deflectat, aut per avia vagetur, et brevi, deſtitutus viatico, vix ac ne vix quidem eo, quo ire ſtatuerat, posſit pervenire. Vita haec noſtra iter est, quo invia ſaepe et ſenticoſa loca peragranda ſunt. Iccirco nusquam ſubſiſtendum est, nec, ubi nihil est, quod agamus, morandum, ſed viatico parcendum, ut quam commodisſime eo tendamus, ubi ſumma fruemur beatitudine. Sic igitur ad altiora adſcendite! Vota ſolvite, Deo, patriae, parentibus facta, et ſocietatis Chriſtianae ſpem, in vobis collocatam, explete atque exemplis veſtris ſuperate!

Quod reliquum est, votis noſtris, Tu, Deus Optime Maxime, annuas, conatibusque noſtris proſperos largiaris ſuccesſus! Tibi autem Tuoque Filio et Spiritui Sancto in perpetuum conferatur laus, honos et gloria!

